ANNALIUM VIRTUTIS ET FORTUNÆ BOIORUM PARS...

Andreas Brunner, ...

Digitized by Google

7
S-D
69

6
4 I
36

Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

78 C 32

74. 3. E. 46

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALIVM BOICORVM
PARS TERTIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google


Digitized by Google

ANNALIUM VIRTUTIS ET FORTUNÆ BOIORUM PARS III.

AUCTORE ANDREA BRUNNER E SOCIETATE IESU

A. CIↃ IↃC. XXXVII.

MONACHII, FORMIS CORNELII LEYSERII ELECTORALIS TYPOGRAPHI.



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE
PRINCIPI
D. D.

MAXIMILIANO

COMITI PALATI-
NO RHENI,
VTR. BOIARIÆ
DVCI,
S. ROM. IMPERII
SEPTEMVIRO ET ARCHI-
DAPIFERO,
PATRIÆ PATRI

TERTIAM BOICORVM
ANNALIVM PARTEM

DAT, DICAT CONSECRATQVE
ANDREAS BRVNNER
SOCIETATIS IESV SACERDOS.

Bibliot. Coll. Rom. Soc. Jesu
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL.
Digitized by Google

QVod felix fauſtúmque ſit, SERENISSIME PRINCEPS, etiam hæc BOICORVM ANNALIVM PARS Portum, de quo propè deſperauerat, ſubit, non minore herclè gaudio meo, quàm quo in ſimili fortuna Iulius Cæſar maximus Imperator idémque elegantiſſimus Scriptor eſt affectus, cùm ſaluis, quos elata manu ab aquarum iniuria defenderat, Libellis in Pharium littus emerſit. Quid enim huic Lucubrationi promitterem involutus ipſe Tempeſtatis SVECICÆ fluctibus & ſub OBSIDIS nomine Triennium CAPTIVVS? cùm inter furores Martios non de his modò LIBELLIS actum, ſed Bonis Litteris omnibus & ipſi Humanitati exitium imminere videretur.

Digitized by Google

tur. Reſpexit tamen vltima vel paſſos vel metuentes Deus, & inter redituræ ſerenitatis argumenta hos quoque cum Auctore ſuo Commentarios velut in BONÆ SPEI PROMONTORIVM enatare eſt paſſus; quod etſi eorum pretium non augebit, mihi tamen meminiſſe dulce eſt, quæ tolerare durum fuit; cúmque labores ipſi pro ſtipendio mihi ſint, huius magnitudine ad illorum grauitatem denſitatémq; expenſa me oblecto. quæ dum inter vota Littoralibus debita Diis librantur numerantúrque, noui acceſſione momenti inſignitet aucta ſunt, in cuius gratiam, ſi vel ſolum ſit, longæ jactationis faſtidiis non inuitus ignoſcam. Quod enim iniquitati temporum imputari, magna veriſimilitudi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ne, potuit, multò jam rectius inter ſublimioris conſilij arcana refeFetur, Librum dudum prodire geſtientem tantiſper prementis, dum in diuinæ Bonitatis ſcenam tempeſtiuus actor emitteretur. Periiſſet properantis gratia, & vel ipsâ Belli flammâ deflagraſſet, vel ſi maximè ſuperiorum Temporum imaginem, lituis nullis interſtrepentibus, in otio venditaſſet, condimenta certè recoctæ Antiquitatis cramben palato commendatura nondum maturuerant. Vetus quodque Seculum velut Speculum noſtri inſpicimus: niſi vtrumque inter ſe comparantibus omnia velut parallela congeminent, non modò diſtare Annis, ſed in alium detruſi nobis orbem videmur. Nemo Maiorum gloria valde afficitur, qui illam

illam non auxit; fac etiam excidiſſe, continuò exprobrari ſibi infelicitatem ſuam exiſtimabit, vocaríque ſe ad antiquam næniam

FVIMVS TROES! *ſtetit Ilium & ingens*
Gloria Dardanidûm!

quam in partem etſi SERENITATI V^æ^ aduerſus Fortunam querela nulla relinquitur, ſcimus tamen etiam Alexandris in ſumma felicitate lacrymas cecidiſſe, & imperatori omnium Naturæ affectuum Abrahamo ſubinde ſuſpirio pectus diductum. Produxiſſem ſcilicet SERENITATI V^æ^ Maiores ſuos, illa Antiquiſſimæ Nobiliſsimæque Gentis decora ab OTHONE MAGNO WITTELSPACHIO propagata & in eodem ſemper rerum faſtigio viſa, ſerie nunquam interrupta; ſed

 graue

graue SER.^{ti} V.^{ae} futurum fuerat illud Heroum agmen claudere, cùm nondum

Paruulus aulâ
Luderet Æneas;

cùm Immortalibus illis Viris, quos ſola Æternitatis cura tangit, proprium illius Pignus, id eſt, WITTELSPACHIÆ Arboris Propago oſtendi non poſſet, AVREÆ profectò ARBORIS & AVRICOMOS FOETVS alentis, quorum

Primo auulſo non deficit alter
AVREVS, *& ſimili floreſcit Virga Metallo.*

quæ Gentilitia Felicitas etiam SERENITATI V.^{ae} debita cùm Vota Publica nunc demum expleuerit, quantò explicatiore fronte AVOS PATRESQVE monſtramus idem nomen, poſt feliciſſimam

mam

Digitized by Google

mam BOICI AVSTRIIQVE ſanguinis mixturam, ſortito? Quàm pronis nunc auribus vtraq; Gens accipiet MECHTILDEM RVDOLPHI, qui ex HABSPVRGICA Domo imperauit primus, communem omnium, quicunque hodie BOICO PALATINOQVE nomine cenſentur, Parentem eſſe? Quàm ſuaue erit vtriuſq; Familiæ Incrementa inter mutuas Neceſsitudines agnoſcere? quas Superis cordi eſſe, poſt antiqua documenta, hoc etiam recentiſſimo tam luculentè eſt affirmatum.

Hæc auſpicia, hæc præludia deſiderauit BOICO pariter AVSTRIACOQVE nomini facturus præconium Liber, & SOBOLEM vtrique ex æquo debitam

in

Digitized by Google

graue SER.^ti V.^æ futurum fuerat illud Heroum agmen claudere, cùm nondum

Paruulus aulâ
Luderet Æneas;

cùm Immortalibus illis Viris, quos ſola Æternitatis cura tangit, proprium illius Pignus, id eſt, WITTELSPACHIÆ Arboris Propago oſtendi non poſſet, AVREÆ profectò ARBORIS & AVRICOMOS FOETVS alentis, quorum

Primo auulſo non deficit alter
AVREVS, *& ſimili floreſcit Virga Metallo.*

quæ Gentilitia Felicitas etiam SERENITATI V.^æ debita cùm Vota Publica nunc demum expleverit, quantò explicatiore fronte AVOS PATRESQVE monſtramus idem nomen, poſt feliciſſi-

mam

Digitized by Google

mam BOICI AVSTRIIQVE ſanguinis mixturam, ſortito? Quàm pronis nunc auribus vtraq; Gens accipiet MECHTILDEM RVDOLPHI, qui ex HABSPVRGICA Domo imperauit primus, communem omnium, quicunque hodie BOICO PALATINOQVE nomine cenſentur, Parentem eſſe? Quàm ſuaue erit vtriuſq; Familiæ Incrementa inter mutuas Neceſsitudines agnoſcere? quas Superis cordi eſſe, poſt antiqua documenta, hoc etiam recentiſſimo tam luculentè eſt affirmatum.

Hæc auſpicia, hæc præludia deſiderauit BOICO pariter AVSTRIACOQVE nomini facturus præconium Liber, & SOBOLEM vtrique ex æquo debitam

in

Digitized by Google

in primo adorandam veſtibulo propoſiturus, non vt Hederam ſuſpenſam parum vendibili merci, ſed melioris AVSPICEM Æui, Patriæq; ſub eius exoptatiſsimum reſpirantis ortum Benignum SIDVS & certiſsimum MVNIMEN. Quomodo Sardes Lydiæ Vrbem Rex Meles, circumlato in faſciis Leone filio, inexpugnabiles reddidit; ita nos, qui non vnius Vrbis, ſed Prouinciæ vniuerſæ ſalutem Paruulo hoc LEONE nixam credimus, albis interim Quadrigis impoſitum moderantémq; Felicitatis Habenas circumducimus, votíſque popularibus gratam vicem rependimus, quæ olim SER.^tis V.^æ nuncupata Genio nunc in duo capita, PATRE non inuito, ſparguntur; ex cuius ſenſu nutúque ne à conſortio quidem qualiſ-

cun-

Digitized by Google

cunque gloriæ, quæ publicatis BOICÆ Gentis illuſtribus factis, ad SERENITATEM V.ᵃᵐ velut hæreditario jure tranſitura eſt, ſuauiſsimam SOBOLEM magis, quam ab vtriuſq; PARENTIS Amore putauimus excludendam; quibus vti ſine hoc Collega nullius Boni jucunda eſt poſſeſsio, nóſque, ſine iniuria Heroicorum affectuum, illud in Æneam dictum auſi ſumus repetere,

Omnis in ASCANIO *Magni ſtat*
Cura PARENTIS

ita intereſſe non putauimus, priórne MAXIMILIANVS in fronte Libri, an FERDINANDVS oculos impleret: nempe gratus Alexandro Hephæſtionem præ ſe adorantium error fuit, quòd etiam illum Alexandrum eſſe & ALTERVM SE diceret;

hìc

Digitized by Google

hìc idem non liceat, quando veriſsimè etiam FERDINANDVS MAXIMILIANVS eſt? Tu modo

SERVA, TVERE, SOSPITA
VNVM IN DVOBVS, NVMEN,
INQVE VNO DVOS.

FACVL-

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER SVPERIOREM GERMANIAM.

EGo Wolfgangus Gravenegg Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis Tertiam Partem BOICORVM ANNALIVM à P. Andrea Brunner eiuſdem Societatis Sacerdote ſcriptam & conſueto more cenſam probatámque, pro poteſtate ab admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Vniuerſæ Societatis Præpoſito Generali accepta, publici juris facio. Cornelio inſuper Leyſſerio Bibliopolæ Monacenſi & Electorali Typographo jus Cæſarei Priuilegij vſurpandi hactenus indulgeo, vt eo inuito ANNALES hos ab ipſo editos, nemo recudere, nemo intra S. R. Imperij fines & hæreditarias S. Cæſ. Maieſtatis Prouincias importare aut venum exponere auſit. Roborandæ Facultati Sigillum officij mei appreſſi & nomen meum ſubſcripſi, Monachij 2. Apr. A. CIↃIↃCXXXVII.

VVolfgangus Grauenegg.

Digitized by Google

COMPLECTITVR TERTIA PARS ANNALIVM HISTORIAM CCXLIV. ANNORVM,

QVÆQVE AB ANNO MLXX VSQVE AD MCCCXIV. BOIORVM GENTI DOMI FORISQVE MEMORIA DIGNA ACCIDERE.

VIRTV-

Digitized by Google

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER XI.

Breuiarium rerum geſtarum
WELFONE PRIMO P.
WELFONE SECVNDO P.
SVEVIS,
DVCIBVS BOIARIÆ.

S*Tatus Reipub. ex Pontif. & Cæſ. diſsidio.* WELFONIS *Origines & illaudata ad Principatum* BOIARIÆ *via. Ottonis exauthorati molitiones Eberhardi Comitis Ellenburgij conſilijs diſcuſſæ. Cæſaris in Ottonem perſidia in Conſiliariorum* I.

Principem Leopoldum Merſburgium & Eginonem Ottonis Calumniatorem vindicata. Raptus etiam Rudolphus Sueuiæ Dux in inuidiam; & poſt D. Annonis ex Aula diſceſſum vniuerſæ Saxoniæ iugum intentatum. Otto exauthoratus Populares ſuos ad tuendam armis Libertatem oratione inflammat, impetu quàm ſucceſſu maiore.

II. *Gregorius VII. Pontifex pium pro redintegranda Pace ſed inutilem laborem ſumit: Nundinationem Eccleſiaſticarum dignitatum, & inceſta Sacerdotum coniugia perſequitur. Salomonis Vng. Regis in Clientelam Imperij concedentis factum improbat.* BOII *Bello Saxonico inuoluti lugenda Victoria potiuntur, qualem VVilhelmus VVindbergenſis Anachoretes multò antè prædixerat. Saxones deditione facta, contra datam fidem, hoſtiliter accipiuntur. Otto mortem ſibi paratam*

ſua

ſuo Marte euitat, & à Rege in gratiam recipitur.

III. *Henricus Pontifici infenſus ad eum in ordinem redigendum cœtum cogit, Gebhardo & Altmanno* BOIARIÆ *Epiſcopis reclamantibus. Iniqua ſententia in Henricum retorta & odium eidem conflatum: Burcardo Halberſtatenſi Epiſcopo Libertas ope Dynaſtæ* BOII *parta. VVelſone annitente Comitia Triburiam indicta, quibus Altmannus Paſſau. Epiſcopus Rom. Pont. Legatus eiq; maximis Virtutibus conciliatus præfuit. VVelſo illic cum Ottone in gratiam reductus, Henricus Abdicationis metu ſumma hieme in Italiam contendit Pontifici ſatisfacturus, eo ad ingenium redeunte, Rudolphus Sueuiæ Dux ad Regnum vocatus. Inde bella, & Pontificis ad illa ſopienda curæ. Agnes Henrici Mater olim* BOIARIÆ *Princeps cum ſanctitatis fama decedit.*

Digitized by Google

IV. *Sequitur eam Ellenhardus Epiſcopus Friſingenſis vir ſanctus & Thaumaturgus. Reges æmuli bello ob Fortunæ vices memorabili congrediuntur. Henricus pro Victore ſe ferens* BOIIS *è patria extractis fœde imponit; paulò poſt ope potiſſimùm Ottonis, qui priorem etiam victoriam illi corruperat, iterum victus, & deniq; Pontif. ſententiâ Regio nomine exutus. Henricus viciſſim Gregorio Antipapam ſubrogat, eaq; iniuria VVelſonem in ſe omneſq; Clientes & Amicos ſuos armat. Legitimi Epiſcopi ſedibus ſuis pulſi. Reges iterum prælio decernunt. Otto Victoriam Rudolpho conciliat; Rudolphus Victor ex vulnere moritur.*

V: *Henricus Italiæ imminens pacem per Legatos tentat: cum his Gebhardus Salisburgenſis & Otto cordatiſſimè expoſtulant. Rudolpho aduerſus Henricum Hermannus Rex ſuffectus primo triduo*

Digitized by Google

triduo triumphat. Cæſus eo prælio Cuno Rotenſis Monaſterij Conditor. Henricus Vaticano potitus Idolum ſuum D. Petri ſolio imponit; Hermanno, ob Ottonis mortem, ſuppetias ire Pontifici non auſo. VVelſo interim Auguſtam inuadit; quam, eius copijs alio digreſſis, Henricus ab Antipapa coronatus & redux recuperat. Cœnobij Reicherſpergenſis & Ordinis Carthuſienſis initia.

Henrici cauſa iniquis ſuffulta patrocinijs à Gebhardo Salisburg. euertitur. Gregorij VII. mors. Saxones in Henrici gratiam reuerſi eundem pacta conuenta conuellentem iterum eijciunt. BOII *ad ſe fugientem deſerunt. Gebhardus Salisburgenſem ſedem recuperat. Henricus ad VVürceburgum VVelfonis potiſſimum opera & erga SS. Crucem pietate memorabili prælio victus etiam in* BOICA *male accipitur, Saxonum paulò poſt manibus ægre ela-* VI.

pſus. Atilenſe Cœnobium inſtauratur: Haibacenſe Myſtarum Collegium inſtituitur. Illuſtria aliquot funera, inq; his etiam Gebhardi Salisburgenſis ducitur. Auguſta Henriciana factionis pœnas VVelfoni pendit.

VII. *Hermanno euileſcente & abdicante Ecbertus regio nomini imminens Henrico negotium faceſſit. Ratisbonæ decora VVilhelmus Abbas Hirſaugienſis, Gerardus Card. Oſtienſis, & Vdalricus Monachus Cluniacenſis producuntur: deducta eodem Scotorum Colonia. Salisburgum Thyemonem Præſulem virum S. accipit: Deus eundem duris exercet. Adalbero & Altmannus Paſſ. Epiſc. Reipub. Chriſtianæ Columina terris ſubducuntur. Varnpacenſis, Raitenbuechenſis & S. Nicolai Cœnobiorum Origines. De Gottvvicenſi, quod itidem Altmanni opus fuit, ſcitu digna. Altmanno Vdalricus ſucceſſor*

datus

datus ſanctitate ſuppar. Matris eius felix obitus. Tentata VVelſonem inter Regémq; gratia diſſilit. Prodigia triſtia & infauſta.

Conradus Henrici Cæſ. F. aduerſus Patrem inſurgit maximis ab eo cauſis alienatus. Incitati in eundem Germaniæ Proceres. VVelſo Vxorem tumulat. Filij cum Mathilde diuortio afflictus iterum ſe ad Cæſaris partes applicat quotidie ob morum fœditatem vulgò exoſioris. Belli ſacri Initia Virtute BOIORVM *nobilitata. B. Engelmari beata ſed cruenta mors. VVelſo hæreditate paterna adita Filios à Cæſare diſceßionem meditantes in officio continet. Origines Monaſteriorum Caſtellani, Baumburgenſis & Berchtesgadenſis. Henricus Filium cognominem, Conrado abdicato, conſortem imperij legit.* VIII.

VVelſo Dux BOIARIÆ *Expeditionem* IX.

Digitized by Google

tionem Hieroſolymitanam cum ingenti comitatu ſuſcipit, & innumeris conflictatus ærumnis in Cypro decedit. Thyemo Salisburg. Antiſtes à Barbaris membratim conciditur. VVelfoni Patri filius cognominis ſuccedit laudatiſſimus Princeps. Henricus Belli ſacri ſigno per ſimulationem elato Ratisbonæ BOIORVM *odium incurrit. Sighardus Comes Burghuſianus illic per iniuriam cæſus. Eius* BOIORVMq; *in Bohemicum Bellum pellectorum clades.*

X. *Cataſtrophe infelicis imperij Henrici Cæſ. Henrico F. à* BOIARIÆ *Proceribus in eum concitato. Is Norimbergam* BOICIS *opibus Viriſq; adiutus oppugnat. Ratisbona in Patris fidem redeunte, deſertus fugit. Auctus nouo milite & nobilibus Transfugijs patri vicem reddit, & deniq; in cuſtodiam abditum eiurare imperium cogit. Legati*

gati Romam Acta renunciaturi intercepti à VVelſone liberantur. Nouo bello inter Patrem & Filium recrudeſcente, Pater & huius & antecedentium Fax extinguitur.

GESTA SVNT HÆC

Ab Anno CHRISTI MLXX. vſque ad MCVI.

WELFO I. DVX BOIARIÆ.

LÆtis Auſpicijs Omnibúſq; , quibus conceſſum WELFONIBVS in BOICAM Imperium conſecrari poſteríſque commendari, æquum fuerat, occurrens in ipſo limine Reipub. Facies, quæ nullo æuo turpior fuit, obnunciat, præfaríque vel inuitum cogit, non eſſe magnæ Spei locum ea Tempora euoluturis, quibus non modo Pax, ſed bellorum etiam ſine ſcelere gerendorum copia negabitur.

I. STATVS REIP. EX PONTIFICIO ET CÆSAREO DISSIDIO.

Colliſa inter ſe duo ſumma Chriſtiani nominis capita orbem terrarum in partes trahebant; Pontificio inde, hinc Cæſareo claſſico inſonante: iactabantur vtrinq; ingentes cauſæ & neminem paſſuræ quieſcere, qui ſaluam Rempub. vellet: illic ſummum æternúmque ius & vicaria Numinis in terris poteſtas, Religio, Pietas cæteráque animi bona, quibus cælum emitur, vt in vltimum adducta diſcrimen, conclamabantur;

Digitized by Google

iſthic Maieſtas Imperij, parta à Carolis & Othonibus decora, & ſuauiſſimum Germaniæ auribus Libertatis nomen velut animam agentia oſtentabantur ambiguis quò ſe verterent, & vtrique parti ita obnoxijs, vt deſeri neutram, citra impietatem, poſſe appareret, paratúmque exitium eſſet quoquouerſum diſceſſuris; cùm alterius factionis Dux proſcriptis terram, alter etiam cælum eriperet. Accedebat, quòd cauſa peior ſæpe felicior fuit, & ius ſuum triumphis probauit, plauſibili in vulgus argumento: quamquam neq; ſociorum pudere illic quemquam poterat; cùm plures ſacrorum Antiſtites Regem, quàm Pontificem ſequerentur, & Religionis periclitantis ſigna ipſi Religionis Anteſignani desererent; improbi quidem ex animi ſententia & odio Pontificiæ cenſuræ, quę nullo ſeculo malis moribus grauiùs incubuit; cæteri non peſſimi illi quidem, minus tamen fortes, metu iræ regiæ & Neronis rediuiui: ſed qualeſcunque ij eſſent, factioni nihilominus dignitatem, quam virtutibus non poterant, nomine conciliabant, eximebántque

que aſſeclis ſuis verecundiam acceden-di non modò fortioribus, ſed imaginem etiam ſanctitatis, tam denſo Mitrarum Infularúmque numero, repræſentantibus; vt difficilius nihil fuerit, quàm in illa fatali orbis terrarum deliratione (quomodo mitiùs appellem?) non deſipere, & dum Germania pleraque, pertinaci in Reges ſuos fide, innocentiam prodigit, nec impium fieri, nec infelicem. Quorum neutrum vt BOICÆ noſtræ contingeret, efficere præter Deum nemo potuit; nos enim ne nunc quidem rationem excogitauerimus, illius in tuto collocandæ: quamquam ſi à ſcelere ſemper abſuiſſet, deputari in lucro poſſet, pietatis causâ malè plexam fuiſſe. Cuiuſmodi trophæum vtinam genti vniuerſæ ſtatuere poſſemus! nunquam illud quantumuis cruentum pia poſteritas auerſaretur. Dabimus tamen quod proximum eſt, aſſeremúſque hanc BOICÆ veram laudem, haud temerè alium Germaniæ populum plures meliori cauſæ patronos commodaſſe; quos ſuis locis ex ſacro potiſſimùm ordine producemus, non fraudaturi etiam

Prin-

Digitized by Google

Principes hac gloria, quibus amica præ Cæſaribus Religio fuit & flagrans erga Pontifices ſtudium tantum famæ peperit, vt gentilitium eorum nomen, velut auſpicatiſſimum Pontificiarum partium ſectatores ſibi adoptarint tulerintque tam ambitioſè, vt aliquot deinceps ſeculis celebratiora longè Guelforum & Gibellinorum vocabula fuerint, quàm quæ Circenſibus olim nata ludis Romanæ vrbis ſtudia Veneto Praſinóque colore diſtraxerunt. Porrò Welfonum, quos Itali ferè Guelfos maluerunt dicere, originem ab Agilolfingis omnium BOICÆ Principum, quos à Theodone I. ad vltimum vſque commemorauimus, ſeminario, magna probabilitatis ſpecie, nouitij quidã ſcriptores repetunt, haud ſanè repugnante Thegano, quo excitari teſtis antiquior nullus poteſt: is enim Welfum primum eo nomine Ludouici Pij ſocerum *nobiliſſima ſtirpe Boiariorum* ortum diſertè ſcripſit; quem Marianus poſtea ſecutus BOIORVM etiam Ducem auſus eſt appellare, dignitatis titulo, quâ Maiores eius nuper exciderant,

GVELFORVM NOMEN A WELFONIBVS BOIAR: DD.

WELFONVM ORIGINES.

B. Rhenan. l. 2. Rerum German.

Lazius de Migrat. Gent. l. 7.

M. Velſerus l. 6. MS.

inclinatis, eſſe tædio cœpit; principatûs cupiditate amorem coniugis extinguente; cùm facilè intelligeret ambitioni ſuæ nihil ita patrocinaturum, vti Ottonis odium; neque id manifeſtiùs profiteri ſe poſſe, quàm filiâ repudiatâ. Ad largitiones deinde conuerſus Regis familiares auro expugnatos ſibi obnoxios reddidit. his interpretibus conciliatus Henrico Cæſari, Rudolphi potiſſimùm Sueuiæ Ducis ſuffragatione, anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo extremo, ferijs Natalitijs, * Babenbergæ Dux BOIARIÆ inauguratus eſt. Properè omnia, nihil more maiorum factum; BOIIS, quorum maximè intererat, non modò non fauentibus, ſed etiam inconſultis; vt Rex ipſe pertimeſceret neq; rata habituros, quæ per lubidinem feciſſet, neque aliter exiſtimaturos, quàm impoſitum ceruicibus ſuis tyrannum non Ducem: certè rem noui exempli & quàm ſimillimam ſeruituti ſuſpectam fore liberæ genti, neque accipere Principes ſolitæ, niſi quos probaſſet: proinde ad leniendos animos & tumultus anteuertendos quamprimum in

A. MLXX.

* *Lamb. Goſlariam ſubijcit.*

in BOICAM proficiſci ſtatuit. Otto interim ærumnarum ſatur & conſumptâ patientiâ impos ſui ad vltima deſperantium vota ſolatiáque delapſus id vnum agebat, ne periret inultus. Occupato igitur Haſengunenſi monte, cùm locum ſuapte natura munitum opere munitiorem reddidiſſet, eóque commeatum ex agro vicino conuexiſſet, à prælio adeò non abhorrebat, vt optaret etiam; quòd rebus omnibus perditis dilapsíſque amicis, nullam niſi in ferro ſpem reliquam haberet. Eberhardus Comes Ellenburgius flagrantiſſimâ apud Henricum Regem gratiâ, collectam illo monte nubem in luctuoſam cruentámque pluuiam ſoluendam intelligens, ſuſcepta voluntaria legatione, Ottonem adijt obteſtatuſque eſt, ne infelicem innocentiam cum ſcelere defendere, quàm acceptas iniurias Regi, aut certè Reipub. condonare mallet; optabiliùs ipſi eſſe debere, indigniſſimis exemplis perire, quàm ſalutem ſuam pernicie patriæ redimere; quanquam ne id quidem polliceri ſibi poſſit, ruinâ publicâ ſolum ſe non afflictum, aut incendio,

OTTONIS EXAVTHORATI MOLITIONES.

EBERHARDI COM. AD OTTONEM ORATIO.

Digitized by Google

tionem Hieroſolymitanam cum ingenti comitatu ſuſcipit, & innumeris conflictatus ærumnis in Cypro decedit. Thyemo Salisburg. Antiſtes à Barbaris membratim conciditur. VVelfoni Patri filius cognominis ſuccedit laudatiſſimus Princeps. Henricus Belli ſacri ſigno per ſimulationem elato Ratisbonæ BOIORVM *odium incurrit. Sighardus Comes Burghuſianus illic per iniuriam cæſus. Eius* BOIORVMq; *in Bohemicum Bellum pellectorum clades.*

X. *Cataſtrophe infelicis imperij Henrici Cæſ. Henrico F. à* BOIARIÆ *Proceribus in eum concitato. Is Norimbergam* BOICIS *opibus Viriſq; adiutus oppugnat. Ratisbona in Patris fidem redeunte, deſertus fugit. Auctus nouo milite & nobilibus Transfugijs patri vicem reddit, & deniq; in cuſtodiam abditum eiurare imperium cogit. Legati*

gati Romam Acta renunciaturi intercepti à VVelſone liberantur. Nouo bello inter Patrem & Filium recrudeſcente, Pater & huius & antecedentium Fax extinguitur.

GESTA SVNT HÆC
Ab Anno CHRISTI MLXX.
vſque ad MCVI.

WELFO I. DVX BOIARIÆ.

LÆtis Auſpicijs Omnibúſq; , quibus conceſſum WELFONIBVS in BOICAM Imperium conſecrari poſteríſque commendari, æquum fuerat, occurrens in ipſo limine Reipub. Facies, quæ nullo æuo turpior fuit, obnunciat, præfaríque vel inuitum cogit, non eſſe magnæ Spei locum ea Tempora euoluturis, quibus non modo Pax, ſed bellorum etiam fine ſcelere gerendorum copia negabitur.

I. STATVS REIP. EX PONTIFICIO ET CÆSAREO DISSIDIO.

Colliſa inter ſe duo ſumma Chriſtiani nominis capita orbem terrarum in partes trahebant; Pontificio inde, hinc Cæſareo claſsico inſonante: iactabantur vtrinq; ingentes cauſæ & neminem paſſuræ quieſcere, qui ſaluam Rempub. vellet: illic ſummum æternúmque ius & vicaria Numinis in terris poteſtas, Religio, Pietas cæteráque animi bona, quibus cælum emitur, vt in vltimum adducta diſcrimen, conclamabantur; iſthic

Digitized by Google

iſthic Maieſtas Imperij, parta à Carolis & Othonibus decora, & ſuauiſſimum Germaniæ auribus Libertatis nomen velut animam agentia oſtentabantur ambiguis quò ſe verterent, & vtrique parti ita obnoxijs, vt deſeri neutram, citra impietatem, poſſe appareret, paratúmque exitium eſſet quoquouerſum diſceſſuris; cùm alterius factionis Dux proſcriptis terram, alter etiam cælum eriperet. Accedebat, quòd cauſa peior ſæpe felicior fuit, & ius ſuum triumphis probauit, plauſibili in vulgus argumento: quamquam neq; ſociorum pudere illic quemquam poterat; cùm plures ſacrorum Antiſtites Regem, quàm Pontificem ſequerentur, & Religionis periclitantis ſigna ipſi Religionis Anteſignani deſererent; improbi quidem ex animi ſententia & odio Pontificiæ cenſuræ, quę nullo ſeculo malis moribus grauiùs incubuit; cæteri non peſſimi illi quidem, minus tamen fortes, metu iræ regiæ & Neronis rediuiui: ſed qualeſcunque ij eſſent, factioni nihilominus dignitatem, quam virtutibus non poterant, nomine conciliabant, eximebántque

que affeclis ſuis verecundiam acceden-di non modò fortioribus, ſed imaginem etiam ſanctitatis, tam denſo Mitrarum Infularúmque numero, repræſentanti-bus; vt difficilius nihil fuerit, quàm in illa fatali orbis terrarum deliratione (quomodo mitiùs appellem?) non de-ſipere, & dum Germania pleraque, per-tinaci in Reges ſuos fide, innocentiam prodigit, nec impium fieri, nec infeli-cem. Quorum neutrum vt BOICÆ no-ſtræ contingeret, efficere præter Deum nemo potuit; nos enim ne nunc qui-dem rationem excogitauerimus, illius in tuto collocandæ: quamquam ſi à ſcelere ſemper abſuiſſet, deputari in lu-cro poſſet, pietatis causâ malè plexam fuiſſe. Cuiuſmodi trophæum vtinam genti vniuerſæ ſtatuere poſſemus! nun-quam illud quantumuis cruentum pia poſteritas auerſaretur. Dabimus tamen quod proximum eſt, aſſeremúſque hanc BOICÆ veram laudem, haud temerè alium Germaniæ populum plures me-liori cauſæ patronos commodaſſe; quos ſuis locis ex ſacro potiſſimùm ordine producemus, non fraudaturi etiam

Prin-

Digitized by Google

Principes hac gloria, quibus amica præ Cæſaribus Religio fuit & flagrans erga Pontifices ſtudium tantum famæ peperit, vt gentilitium eorum nomen, velut auſpicatiſſimum Pontificiarum partium ſectatores ſibi adoptarint tulerintque tam ambitioſè, vt aliquot deinceps ſeculis celebratiora longè Guelforum & Gibellinorum vocabula fuerint, quàm quæ Circenſibus olim nata ludis Romanæ vrbis ſtudia Veneto Praſinóque colore diſtraxerunt. Porrò Welfonum, quos Itali ferè Guelfos maluerunt dicere, originem ab Agilolfingis omnium BOICÆ Principum, quos à Theodone I. ad vltimum vſque commemorauimus, ſeminario, magna probabilitatis ſpecie, nouitij quidā ſcriptores repetunt, haud ſanè repugnante Thegano, quo excitari teſtis antiquior nullus poteſt: is enim Welfum primum eo nomine Ludouici Pij ſocerum *nobiliſſima ſtirpe Boiariorum* ortum diſertè ſcripſit; quem Marianus poſtea ſecutus BOIORVM etiam Ducem auſus eſt appellare, dignitatis titulo, quâ Maiores eius nuper exciderant,

GVELFORVM NOMEN A WELFONIBVS BOIAR: DD.

WELFONVM ORIGINES.

B. Rhenan. l. 2. Rerum German.

Lazius de Migrat. Gent. l. 7.

M. Velſerus l. 6. MS.

rant, eidem comiter attributo: Sede inter Sueuos fixa, Altorfij & Rauenſpurgi Dominus audijt; Poſteritatem illius nouæ aliæ ſuper veteres cauſæ neceſſitudinéſque cum gente BOICA illigarunt. Hainricus primùm Etichonis F. Welfonis Nepos Regum BOIARIÆ beneficiarius quatuor prædiorum millia, in prima BOIEA, quam Lycates incolunt, fiduciario iure poſſidenda accepit; Altonis Monaſterium inſtaurauit; Altorfij in fundo patrio nouum excitauit; & ex Beata Hohenvvartenſi Comite BOIA D. Conradum Conſtantiæ Epiſcopum, Etichonem & Rudolphum ſuſtulit. Hunc Itta Oeningenſium Comitum ſanguis Welfonis II. Patrem fecit, vti & Richlindæ, quam Adalberoni vltimo Eberſpergenſi Dynaſtæ nuptam ſolarij ruina oppreſſit. Welfo II. Conradi Salici odijs & rebellione inſignis ex * Iutha Lucelburgenſi Henrici BOIARIÆ Ducis ſorore Welfonem tertium & Cuniſſam ſeu Kunegundem procreauit. Welfo III. Carantanum & Veronenſem limites tutatus cùm in Henrici III. caput coniuraſſet,

Chron. VVeingartt.

* alij Irmengarden vocant.

ſet, eius ſceleris ſiue magnitudine ſiue dolore oppreſſus ſine ſobole deceſſit. Cuniſſa ſoror Azoni Aſtenſi nupta Welfonem I V. enixa eſt, quem Auia ex Italia reuocatum auitis bonis impoſuit; quorum deinde quàm patrij ſoli potior habita eſt ratio, vt Sueuis non Italis accenſeretur, velut in illam gentem emancipatus. BOII cum nihilominus non modò ob primæuas Welfonum origines, ſed etiam Principatûs iure, quem inter eos geſſit & ad poſteros transmiſit, ſibi vendicant; quo nomine id quoque meruit, vt maioribus eius, quorum claritatem, quantacunque ea fuit, ſuperfuſâ noua luce obſcurauit, à cenſu numeróq; excluſis, cùm Quartus inter Welfones eſſet, Primus tamen appellaretur. Viam illi ad ſummum in BOICA Imperium Fortuna magis quàm Virtus aperuit. Nam vt Ottoni Gottingano BOIARIÆ Duci per ſummam iniuriam exauthorato ſuccederet, datam eidem fidem, cùm maximè colenda eſſet, non fefellit modò ſed eiurauit. Filiam Welfoni Otto deſponderat; quæ cùm illi, rebus ſoceri integris, cordi fuiſſet, iiſdem incli-

WELFO BOICÆ PRINCIPATVM QVOMODO NACTVS.

inclinatis, eſſe tædio cœpit; principatûs cupiditate amorem coniugis extinguente; cùm facilè intelligeret ambitioni ſuæ nihil ita patrocinaturum, vti Ottonis odium; neque id manifeſtiùs profiteri ſe poſſe, quàm filiâ repudiatâ. Ad largitiones deinde conuerſus Regis familiares auro expugnatos ſibi obnoxios reddidit. his interpretibus conciliatus Henrico Cæſari, Rudolphi potiſſimùm Sueuiæ Ducis ſuffragatione, anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo extremo, ferijs Natalitijs, * Babenbergæ Dux Boiariæ inauguratus eſt. Properè omnia, nihil more maiorum factum; Boiis, quorum maximè intererat, non modò non fauentibus, ſed etiam inconſultis; vt Rex ipſe pertimeſceret neq; rata habituros, quæ per lubidinem feciſſet, neque aliter exiſtimaturos, quàm impoſitum ceruicibus ſuis tyrannum non Ducem: certè rem noui exempli & quàm ſimillimam ſeruituti ſuſpectam fore liberæ genti, neque accipere Principes ſolitæ, niſi quos probaſſet: proinde ad leniendos animos & tumultus antevertendos quamprimum

A. MLXX.

* *Lamb. Goſlariam ſubijcit.*

in

in BOICAM proficiſci ſtatuit. Otto interim ærumnarum ſatur & conſumptâ patientiâ impos ſui ad vltima deſperantium vota ſolatiáque delapſus id vnum agebat, ne periret inultus. Occupato igitur Haſengunenſi monte, cùm locum ſuapte natura munitum opere munitiorem reddidiſſet, eóque commeatum ex agro vicino conuexiſſet, à prælio adeò non abhorrebat, vt optaret etiam; quòd rebus omnibus perditis dilapsíſque amicis, nullam niſi in ferro ſpem reliquam haberet. Eberhardus Comes Ellenburgius flagrantiſſimâ apud Henricum Regem gratiâ, collectam illo monte nubem in luctuoſam cruentámque pluuiam ſoluendam intelligens, ſuſcepta voluntaria legatione, Ottonem adijt obteſtatuſque eſt, ne infelicem innocentiam cum ſcelere defendere, quàm acceptas iniurias Regi, aut certè Reipub. condonare mallet; optabiliùs ipſi eſſe debere, indigniſſimis exemplis perire, quàm ſalutem ſuam pernicie patriæ redimere; quanquam ne id quidem polliceri ſibi poſſit, ruinâ publicâ ſolum ſe non afflictum, aut in-

OTTONIS EXAVTHORATI MOLITIONES.

EBERHARDI COM. AD OTTONEM ORATIO.

Digitized by Google

cendio, cuius autor fuerit, non ambuſtum iri. Totius Imperij viribus, quas contra ipſum Rex iratus concitârit, ægrè pares copias obiecturum, qui extorris patria, exutus principatu, præter montem cum deſperatis inſeſſum ne ad receptum quidem ſuffugium vllum habeat: quanto rectiùs facturum, ſi inutilem ferociam regiæ potentiæ & iniquitati temporum ſubmittat; etiam arboribus, dum deſæuiunt venti, pertinaciam exitio eſſe, & roboris fiduciâ altiſſimas quercus periclitari; humiles contrà & flecti faciles impetum cedendo effugere inclinatáſq; iterum aſſurgere; ſi vim vi paret retundere, æquitate fortaſſe & iure ſuperiorem fore; de fortuna nihil ſibi poſſe promittere, quæ etiam innocentes oppreſſerit. Si ſeruire tempori & generoſum pectus obarmare patientia quàm ferro malit, multò fidentiùs regi occurſurum: etiam Leones proſtratis parcere: & aduerſus maximas iniurias non eſſe certius telum, quàm ſi præ te feras, nullam te accepiſſe. Pollicitus denique eſt iam nutanti, ſi ab armis diſcederet, præſidium de monte

dedu-

Digitized by Google

deduceret, Regi ſe permitteret, ablata bello omnia ad eum reditura; hanc quoque ſeceſſionem ei fraudi non fore. Ita induciæ factæ: dies Ottoni dictus, quo ſe Coloniæ regi ſiſteret, quem & belli tædere & pigere Ducum cœperat, quòd proniore in Ottonem animo cum eo colludere veriùs, quàm ex eo victoriam petere videbantur. Igitur metu liber, ſicut ſtatuerat, in BOIARIAM abijt, & proceribus facti ſui ratione reddita, ſatisfecit. Welfo, nemine intercedere auſo, principatum adeptus alteris nuptijs Iuditham nuper Reginam Angliæ in thorum adſciuit. Rex Paſchalibus ferijs Coloniæ fuit, prorogatiſque, quas cum Ottone pactus fuerat, in Pentecoſten inducijs, Halberſtadij denique ſe ſuáque dedentem haud ſanè pro ſpe promiſsiſque accepit, cùm liberæ affixum cuſtodiæ non modò de fortunis, ſed ipſo penè capite deſperare coëgit. Indignum facinus plenúmque perfidiæ è veſtigio in Leopoldum Merſpurgium vindicatũ eſt; quem ſatis conſtat vnum omnium ardentiſſimè in Ottonis perniciem incubuiſſe & peſſimis artibus

OTTO ARMA PONIT.

WELFO PRINCIPATVM BOIAR. ADIT.

ÆRVMNÆ OTTONIS.

Lambert. Hiſt. bell. Sax.

LEOP. MERSPVRG. EXITIVM.

bonorúmque virorum euerſione primum gratiæ locum apud Regem obtinuiſſe. Iuuat ſupplicij ordinem, quod, vltore Deo, Ottoni pependit, agnoſcere. Attilæ Hunni, qui Flagellum Dei fuit diciq; voluit, feralem gladium eundémque Martis olim creditum, Vngari, qui Hunnis in Pannonia ſucceſſere, in hæc vſque tempora aſſeruârant: cum ante annos pauculos Salomonis Regis Mater, de quo multa nobis, priore libro, mentio fuit, Ottoni dono miſerat, quòd eius potiſſimùm operâ cum filio in regnum reſtituta fuiſſet: Otto illum apud Dedonem Marchionem Iuniorem, pignoris loco & amicitiæ teſſeram collocauit: quo perempto Henricus Rex & denique hic, quem nominaui, Leopoldus eo potitus eſt mirè geſtiens Attilæ ipſiúſque adeò Martis hæredem ſe factum. Sub finem Iulij Menſis, dum regis lateri ad Moguntina Comitia eunti adequitat & accipitrem plaudentem alis librantémque ſe in altum retrahit, ſuo pondere effuſus equo in hunc ipſum fatalem enſem vagina elapſum incubuit, quíque communis hominum

Supra l. 4. Annal. Boicorum Ann. CDXXIX.

ſen-

ſenſus tunc fuit, Ottoniano ferro Ottoni, quas meruit, pænas exſoluit. Comitijs, quorum memini, Carolus cauſam præbuit, qui empti Conſtantienſis Epiſcopatûs infamiâ aſperſus adductúſque in iudicium omnibus ſententijs damnatus eſt. Inter iudices etiam Gebhardus Salisburgenſis Antiſtes aſſedit, qui hoc ipſo anno Gurcæ apud Carantanos Epiſcopium ſtatuit, Pontifice & Rege factum probantibus: vtriuſque literæ extant. Prid. Non. Maij Guntherum Epiſcopum inaugurauit, Albuino Brixinenſi & Ellenhardo Friſingenſi præſentibus. Socianda Epiſcopo ob æmulationem pietatis Alberadis Banthenſium Comitum ſanguis, quæ Hermanno Vohburgenſi Dynaſtæ Boio nupta Banthenſe Caſtrum Religioni dedicauit. Fallitur Bruſchius, qui monumentum id Alberadi ſoli inſcribit; cùm literæ, quæ primas loci origines continent, etiam mariti nomen præferant. In ſequentem annum ſeptuageſimum ſecundum Adalberti Bremenſis mors incidit, qui vnus maximè felicitati publicæ obſtare creditus, odijs hominum,

Chron. Salisb.

GVRCENSIS EPISCOPATVS INITIA.

In vita S. Gebhardi.

vulgo Bantz.

Hun. l. ſtemmat. 1. fol. vlt.

MLXXII.

Lambert.

Digitized by Google

quod viuendo non potuit, moriendo ſatisfecit. Ibi demum, velut liberatis regijs auribus ab improbi aſſentatoris obſidione, apertíſque ad audiendum verum, liberæ voces & ſe fortunáſque ſuas deflentium ſuſpiria eruperunt, Regémque Traiecti Paſchalibus operantem ad ſuſcipiendam reipub. curam præficiendóſque juri dicundo integriores viros, excitarunt. Anno Colonienſis, ſeculi ſui Cato diu multúmq; obluctatus, revocatus tamen in aulam eſt, cenſuram non modò populi, ſed regis etiam geſturus; cum eo pariter Iuſtitia exulans redire & reſpirare Germania viſa. Nihil apud eum venale; nihil gratiæ datum: intactus cupiditatibus & ab amore pariter odióque liber eò curas omnes intendebat, ne cui bono malè, ne cui malo bene eſſet. Quod res noſtras propriè ſpectat, Eginonem impurum nebulonem, qui Ottonem BOIARIÆ Ducem maledicentiâ ſuâ de ſolio detractum inuidiæ obiecerat, iniuriarum poſtulatum & non vnius ſceleris conuictum populo in catenis oſtentauit, &, repetito ſæpius ſpectaculo, paſcere

S. ANNO IN CVRIAM REDIT.

EGINONIS EXITVS.

Digitized by Google

ſcere oculos iuſtiſſimo ſupplicio applaudentium coëgit. Subtractum tamen morti, vt paulo pòſt peiùs periret, Fabricius ſcripſit; deprehenſo in latrocinio oculi eruti, quódque vitæ ſontis ſuperfuit, tolerandum corrogatâ ſtipe fuit, ſic quoque inviſo & deteſtabili. Ottoni contrà Pentecoſtes ferijs cuſtodiâ exempto noua lux oborta; quanquam ea libertas magnâ poſſeſſionum iacturâ emenda forti viro fuit & bis miſero, quòd quem ſua reum innocentia fecerat, pecunia abſoluerit. Eo tamen vtcunque erecto, ſimilis ruina Rudolphum Sueuiæ Ducem penè obtriuit. Res nouas moliri & inſectari præſentem Reip. ſtatum inſimulabatur; conquirere inſuper ſectatores, vel potiùs ſatellites, quibus ſe ducem offerret ad improbos conatus; eámque cauſam eſſe vitandi regiam, toties vocato. Non abſentiam illam, ſed ſeceſſionem videri meditationémque belli. Nihil facilius erat Rudolpho, quàm eas criminationes depellere, ſi copia iuſti iudicis fuiſſet: ſed Ottonis exemplum in oculis erat, qui ſatis docuerat, apud regium tribunal

L. ſ. orig. Sax.

Lambert.

RVDOLPHVS SVEV. DVX CALVMNIIS APPETITVR.

Digitized by Google

neminem grauiùs periclitari, quàm qui nihil deliquiſſet. Satis illic ad damnationem eſſe, accuſari; aduerſus iras talis Principis fruſtra patrocinium ſuſcipi; Ne tamen nihil agendo ſuſpicionem peruicaciæ contemptæque regiæ auctoritatis accenderet, Agnetem matrem Regis, quam, poſitâ purpurâ abdicatiſq; rerum mortalium curis, Romanis aris pietas affixerat, vltimis precibus impulit, vt Româ regreſſa in Germaniam cauſam ſuam apud filium ageret; quòd pro comperto haberet, aut materni nominis reuerentiâ flectendum, aut aliam quidem eius placandi rationem nullam ſupereſſe. Dedit hoc roganti Exauguſta tanto promptiùs, quanto notior illi Virtus viri fuit, cuius gratiâ eum coniugio Mathildæ filiæ dignata ſibi generum adſciuerat; etſi ea neceſſitudo, immaturo Mathildæ obitu, mox ſoluta eſt. Wormatiam ergo cum honeſtiſſimo Religioſi cœtus comitatu ingreſſa Rudolphum fide publica euocatum cum filio in gratiam reduxit, ſoporatâ tamen potiùs, quàm extinctâ eius irâ, & in maiorem mox flammam erupturâ; Anno

certè

Digitized by Google

certè Colonienſis non incendia, ſed fulmina ominabatur; quibus nę ipſe dediſſe vires argueretur, abdicare culturam inſanabilis ingenij ſtatuit, & cùm Reipub. non poſſet, exiſtimationi ſuæ conſulere. Senium ergo cauſatus & impares regendo clauo vires à rege petijt, vt Magiſterium Aulæ morúmque eius ſibi exuere liceret: ipſum intuentem exempla Maiorum ſuorum inhærentémque laudatis eorum veſtigijs alio Duce non indigere, & fortaſſe imperandi artes libentiùs à Regibus, quàm Antiſtite ſacrorum accepturum. Non inuitus cõmeatum Annoni dedit Henricus iam dudum offenſus præſentiâ Pædagogi & Cenſorijs oculis, qui peccantem cogerent erubeſcere. Mox, velut freno ſubmoto, cupiditates ſuas palàm ſoluit. Certamen inſtituiſſe diceres, famam priùs an opes prodigeret; ita properè pudorem fœdâ laſciuiâ, ærarium inſanis ædificijs exhauſit. Ea Saxones & Thuringi non tam ſuis montibus, quàm ceruicibus impoſita tanto ferebant impatientiùs, quòd receptacula ea prædonum fecerat rapinis victi-

ANNO EX AVLA DISCEDIT.

A. MLXXII. *Lambert.*

HENRICI CÆS. ADVERSVS SAXONES INIQVVM ODIVM.

Digitized by Google

tantium, quarum licentia illis vicem ſtipendij fuit. Nihil ſub tali duce illicitum aut inconceſſum; furtis ſtupra iungebantur, ne miſeri ciues fortunarum iacturam vltimum malorum crederent, etiam vxorum chariſſimorúmque pignorum pudicitiâ proſtitutâ. Neque iam Saxones præter libertatem, quod amitterent, habebant; cùm cognitum eſt, illi quoque Henricum imminere, totíque genti iugum minari. Otto certè BOICÆ nuper Princeps eius vocem, cùm ex ſumma Hartesburgenſi arce ſubiectam planitiem contemplaretur, excepit, Feracem frugum Saxoniam eſſe; ſed frugi hominem pridem nullum gignere, prouectus deinde licentiâ, ex ea gente ſibi occurſantibus natalium vilitatem exprobrabat, mancipia & terræ filios dictitans. Obſaturati iniuriarum atrocitate Saxones III. Kal. Iulij regis Goslariæ conueniendi conſilium cepére. Principes vtriuſque ordinis ad id delecti velut mortalium vltimi in conſpectum admiſſi non ſunt: ad limen regiæ totum diem excubantes, ſub veſperam, familiaris ſcurra, ecquando de ſtatio-

Annal. Altah. Hiſt. belli Saxon.

LEGATIO CONTEMPTA.

ſtatione cogitarent decedere? rogauit; Regis enim aures talibus legatis non vacare. Dicti impudentia efferauit animos & haud dubiè bellum accendit. Eadem nocte cum ſingulis familiaribus in templo congreſſi, Diuis præſentibus Rempub. à ſuperbo Principe deſertam commendarunt; verſi deinde ad lamentationes veriùs quàm dicendas ſententias, confuſis lacrimis dolorem animorum teſtati ſanguinem Libertati ſacrarunt, deuotis morti ceruicibus, ſi alia euitandæ ſeruitutis ratio nulla ſuperfuiſſet; vtique enim iugulum præbere, quàm iugum ſubire, ſatiùs fore. Comitia in certum diem Nokmeslouium indicta. eò cùm omnes, qui ſaluam Rempub. vellent, vocarentur, Saxonum nomen vniuerſum confluxit. Concionis habendæ partes Ottoni datæ; iſque occupato editiori colle, vnde audiri ab omnibus poſſet, negauit noui ſe quidquam allaturum, ſed priuatos ſingulorum gemitus & deploratas inter domeſticos parietes ærumnas protracturum in apertum, &, velut in funere publico extinctæ Libertatis, conclamaturum: quid

Auditos ſed contemptim dimiſſos Lambertus ſcripſit.

CONIVRATIO ADVERSVS CÆSAREM.

OTTONIS ORATIO.

' quid enim, inquit, vltima paſſis tractiſq;
' per omnia humanæ patientiæ exempla
' vel adeſt boni, vel deeſt mali, quò mi-
' nus viuentes videntes perijſſe dicamur,
' eò infeliciore fato, quòd hoſtis noſtri
' nomen audituri faciliùs credent mitio-
' ra tuliſſe nos, quàm meruiſſe? Regis vi-
' ctima ſumus; ad illius arbitrium plecti-
' mur exturbamúrque de vita: nam liber-
' tate pridem excidimus, eodem iudice
' & palàm deierante, nullum per omnem
' Saxoniam ingenuum caput viuere.
' Hinc velut cum vltimis Germanorum
' & in barbariem efferatis dedignatur le-
' gibus agere. gladio nobis ius dicitur:
' ab auribus regijs vt execrabiles arce-
' mur, quódque etiam peſſimis ſeruorum
' conceditur, vnis nobis non licet queri:
' Cùm tantum vbique ſit hoſtium, pla-
' cuit ex nobis nihil vnquam hoſtile auſis
' triumphum peti, Imperij viribus, cuius
' pars ſumus, in nos verſis. Circumferte
' oculos; vbique ferrum ſupra caput eſt,
' totidémque arces nobis, quot ſcopuli
' imminent, acerbiſſima noſtrarũ opum
' ſpoliaria, ergaſtula innoxiæ Iuuentutis,
' proſtibula matronarum & virginum.

quid-

Digitized by Google

quidquid auaritiæ vel libidini poteſt in
prædam cedere, illuc conuehitur, &
conuehitur noſtris humeris; ita parum
eſt capite diminutos libertatem amiſiſſe, quando infra mancipiorum vilitatem abiecti eadem ſorte, qua doſſuaria iumenta, miſeram ſeruitutem crudelibus dominis ſeruimus: quam cùm
nulla non dies intendat, nóſq; ipſi ſtultâ
patientiâ velut cote acuamus ferrum in
noſtra viſcera, euigilabimus ſcilicet, vbi
ipſa de nobis ſalus deſperauerit; cúmq;
ad reſtim res redierint, viros eſſe nos recordabimur. quin potiùs dum in manu
ferrum eſt, antequam hunc, quem ita
ſitit, ſanguinem noſtrum tyrannis ſorbet, eneruátque vigorem animorum,
auitas opes, aras, focos, vitam, quæque
Saxoni vitâ charior eſſe debet, Libertatem vindicamus, nunquam habituri
maiores bellandi cauſas nec grauiorem
hoſtem: niſi fortè Regem in illo, quàm
tyrannum maultis agnoſcere, qui vos
ſervos vocat clauſóſque munimentis
expilat, vbi præda defecerit, concidendos latronibus ſuis obiecturus. Nihil
de me priuatim querar, quem ex Duce
exulem

Digitized by Google

' exulem fecit; neq; mihi hoc caput tanti
' eſt, vt illius ſalutem veſtro periculo
' emendam cenſeam. Nemo meâ vel
' omnino alterius cuiuſcunq; causâ fer-
' rum ſtrinxerit; oderit bellum, cui tuta
' pax conceditur; & diſcedat vel nunc à
' communibus ſignis, qui nullo ſe ab
' Henrico maleficio meminit affectum.
' Adoret regem, qui non illius crudeli-
' tate factus eſt miſer. Ignoſcamus, etſi
' Clementem, Pium, Æquum, Benefi-
' cum nemo eſt expertus; vel Patrem Pa-
' triæ vocet, quicunque fortunis aut vitæ
' ſuæ negat inſidiatum; & quem dome-
' ſtica lamenta non excitarunt, illum nec
' quiritatione mea, nec adeò claſſico vllo
' neceſſe eſt permoueri. Non niſi de pu-
' blica & priuata re deſperantibus me
' Ducem offero vel commilitonem. Li-
' bertatis obliuiſcentibus, miſſionem ſua
' ignauia dabit. Fortibus viris ſatis eſt,
' meminiſſe, ſalutem Patriæ in manibus
' ſuis eſſe ſitam, talémque in poſterum
' Saxoniam fore, qualem ipſi fecerint.
Auditus eſt pronis auribus Otto, & ſe-
cundùm eum proceres alij ſacri pro-
ſanique fortunarum ſuarum naufra-
gia

gia ad eundem ſcopulum facta, appoſitis ad ciendam inuidiam verbis exaggerantes. Succlamatum ergo vndique, magnóq; conſenſu poſtulatum eſt bellum, & raptim citato agmine Hartesburgum, vbi Regem eſſe conſtabat, petitum. Improuiſa obſidio ingentem Regi aduerſus vim imparato pauorem prenſandíque mitioris conſilij neceſſitatem attulit. Erat cum eo Bertholdus, quem hoc anno Carantano Principatu exutum infeſtiorem fortaſſe Ottone paſſurus fuerat, niſi promiſſorum magnitudine & qualicunq; prioris iniuriæ purgatione deliniſſet. Hunc ad Saxones Legatum ire iuſſit, magis trahendi temporis cauſâ laxandæque ad capiendam fugam obſidionis, quàm quòd ab armatis vllam pacis conditionem æquam exſpectaret. Et Legatus quidem fruſtra fuit, aſpernantibus ſuauia dicta exacerbatis Saxonum animis, auribúſque calamitatum memoriâ obtuſis: Excubiarum nihilominus intentio inter illas verborum altercationes elanguit, Regíque cum intimis familiarium facultatem præbuit elabendi. Idibus Augusti

HENRICVS REX OBSESSVS.

ELAPSVS.

Hen-

Hersfeldiam acceſſit; quo tempore Rudolphus Sueuiæ Princeps cum Epiſcopis BOIARIÆ, Rhenanis Sueuiſq; & dilectis earundem gentium copijs agrum Moguntinum, Caſtris poſitis inſedit, Regi in bello Polonico præſtò futurus. Illius expeditionis famam Rex diſſipauerat ſatis gnarus, aduerſus Saxones, quos perditos euerſóſque cupiebat, auxilia ſe non reperturum, quàm diu quieuiſſent. Ita profuit Regi, Saxones arma ſumpſiſſe priores. contra tumultuantes militiam nemo detrectauit. Non placuit tamen furentibus obuiam ire, & tum maximè ardentem ignem ferro ſcrutari, tutiùs morâ ſopiendum, ſi extingui non poſſet. Tempus igitur illis, donec deflagrarent, datum; quod Rex conciliandis Germaniæ Principibus & auxilijs vndecunque contrahendis impendit. Neque Saxones partibus ſuis deerant haud minus ſibimet iam, quàm Regi irati, quo per ſocordiam è manibus emiſſo, fruſtra caluam occaſionem rei bene gerendę eſſent aucupaturi. Niti ergo tanto acriùs pro ſe quiſque, circumſpicere ſocios & adiungere fœderibus,

Digitized by Google

ribus, caſtella regia diruere, præſidijs ferè ſine maleficio dimiſſis; fauorabili exemplo & ad gratiam efficaci; quòd rapta pro libertate arma nulla crudelitate infamarent. Porrò tam modeſti bellatores cùm nihilo peiores oratores eſſent, cauſam ſuam in Comitijs Gerſtingenſibus, quæ in XIII. Kal. Nouemb. coacta fuerant, tam plauſibiliter egere, vt Principum, qui Regis nomine aderant, nemo duriorem in illos ſententiam dixerit, nemo rebelles turbatoréſq; Reipub. cenſuerit appellandos: quin potiùs verſæ ab ijs in Regem iræ, per cuius impotentiam Saxonibus non licuerit quieſcere. Viros ingenuos eò neceſſitatis adductos, vt ſeruitus illis vel militia fuerit capeſſenda, & ſub iugum aut ſigna abeundum, auxilio quàm odio digniores videri. cui enim dubium eſſe poſſe, regióne furori, an fortium ſociorum ærumnis ferre ſuppetias, & tyranno coronam, an ciuibus nihil meritis libertatem detraxiſſe, æquius ſit? Neque iam longè aberat, quin dictis facta coniungerent, ſi Rudolphus Sueuiæ Dux, cui regnum deſtinabant, com-

HENR. INVIDIA CONFLAGRAT.

Digitized by Google

munibus votis acquieuiſſet. Ergo eius conatus mentione ſuppreſsâ, iactatæ in ſpeciem pacis conditiones ſunt, Regiq; Würceburgum enunciatæ nullam earum aſpernanti, quòd maioribus quotidie argumentis proniora Principum in Saxones ſtudia proderentur: quæ illi etiam cauſa fuit, vt motis Nouembri menſe caſtris in BOIARIAM iter intenderet fidei erga ſe incorruptæ; cuius tamen longa ei experimenta capere non licuit; non ob defectionem Welfonis, quam perperam in hunc annum conijcit Bertholdus Conſtantienſis, ſed gliſcentibus denuò Regis abdicandi conſilijs, quorum rumore Wormatiam retractus eſt. Inflauerat veteris inuidiæ reliquias Regingerus Henrici familiaris, recentibus ſanguinarij ingenij meditamentis, verè an per calumniam ambigitur, in apertum tamen prolatis. in Rudolphum Bertholdúmque Duces ſicas diſpoſitas fuiſſe affirmabat, & ſolicitatum etiam ſe, vt Regem metu liberaret ſtabiliretq; illi Imperium funere duûm æmulorum. Quò atrocius crimen fuit, eo promptiùs creditum eſt, accelerata-

IN BOICAM CONTENDIT.

DE EO ABDICANDO CONSILIA.

ratáque tanto ſtudioſiùs Comitia, quibus Rex Tyranno ſufficeretur; quæ tamen tempeſtiuo Henrici aduentu refrixere.

Hæc ferè facies Germaniæ fuit, fœda ſine dubio & magnarum index tempeſtatum, quæ ſequentibus annis deſæuierunt; quò opportunior cenſenda eſt cura Numinis ſuas in terris vices incomparabili viro hoc ipſo anno demandantis, eo conſilio, ne, ſi bellandum cum impietate tam armatâ eſſet, bonæ cauſæ magnus Dux deeſſet. Is eſt Gregorius VII. cuius nomen neſcias laudéſne an maledicta illuſtrius fecerint; cùm non niſi explorata virtus in ſummum bonorum amorem, malorum vltimum odium potuerit incurrere, & paribus punctis famam infamiámque colligere. Indignè tulit, in Comitijs, quibus Pontifex lectus eſt, rationem ſui nullam habitam Henricus; permotus tamen Chriſtiani orbis conſenſu & Pontificis virtute, ſatisfieri ſibi paſſus eſt, primiſque Epiſtolis *Deſideratiſſimum Domnum, & Apoſtolica digni-*

II.

GREGORIVS VII. INCOMPARABILIS PONTIF.

tate cælitus inſignitum ſalutauit, multa de ſe in ijs modeſtè locutus, quæ ſpeciem præberent redeuntis ad frugem & ſeipſo melioris. quò acriùs incumbendum ſibi Pontifex putauit, vt motibus Saxonicis compoſitis vicem ei redderet, facilè vtiq; voto potiturus, ſi iactatum verbis obſequium tam fœdâ ſubinde contumaciâ Rex non corrupiſſet.

MLXXIV. Sequentis anni initio, qui ſeptuageſimus quartus fuit, poſt irritas Legationes, agitata nihilo feliciùs Saxonici belli conſilia, BOIIS aliiſque militiam detrectantibus, vt impiam & iratis ſuſceptam Superis, contra fideles ſocios, qui arma induerint laceſſiti & furore alieno ferociant, non ſuo. Itum nihilominus obuiam armorum multóq; magis cauſæ fiduciâ imperterritis, & pugnandi quàm paciſcendi auidioribus; niſi modeſtiæ tum quoque memores Regi à gladijs ad verba deſcendenti morem geſſiſſent: Et verò in multo meliore iam fortuna ſua, veteres duntaxat conditiones, nullâ additâ, retulere; Si caſtella in fraudem libertatis ſuæ excitata deieciſſet, ſi ſua ſibi iura, ſocijs impu-

BELLVM SAXONICVM PACE MVTATVM.

impunitatem, ſpoliatis bona, & Ottoni BOIARIÆ Principatum redderet; patriam ſubinde ſumptu leuaret non vnius gentis alumnus & hoſpes; deniq; ſi imperaret more Maiorum, legum & æqui cuſtos, non petituros ſe ex Rege victo gloriam, & incerta humanorum caſuum reputantes rationem quàm fortunam libentiùs ſecuturos. nunquam à quietis conſilijs abhorruiſſe ſe, donec ea per vim ſibi erepta fuerint. bellum hominum nulli miniméque omnium Regi moturos, niſi pax & libertas ſumma mortalium bonorum extorta innocentibus fuiſſent: ſed ne armatos quidem aliud petere, quàm quod impetrare inermes æquum ſit. Rex poſtulata omnia & caſtellorum maximè ruinam abominatus in pugnam ardebat, ſi excitare Duces ſuos potuiſſet. ſed ij ferocienti verba dabant, certi ceſſare in acie, neque conſcelerare manus pudendâ operâ, quam probare niſi Regi furenti non poſſent. Ita vltima neceſſitas pacem compoſuit. IV. Non. Febr. caſtrorum animorúmque coniunctio, ſalutatio inter exercitus facta. Rex ad

Digitized by Google

Saxones tranſijt & à gratulabundis Goſlariam eſt deductus. Breuem eum triumphum Regis leuitas fecit, multa de conditionibus pacis ſubtrahentis reijcientíſque ad altera Comitia toties diſputatam deciſámque litem. Triduum iterum inter friuolas fruſtrationes abſumptum; cùm Saxones obſaturati tædio profeſſi palàm ſunt, nulla ſe Regi verecundia obſtrictos Diuina humanáque omnia miſcenti per ludum iocúmque, & Germanica fœdera colenti Punicâ fide. Deſertos ab eo ſe, totiéſque deluſos malis finem quæſituros, & vtique reperturos Ducem, qui meliùs imperet: ſimul velut cum Rege Regiam euerſuri per cuneos irrumpebant; cùm Henricus exitij metu ex animi tandem ſententia deierare, ſe de Ottone in BOIARIÆ Principatum reducendo ſerias curas ſuſcepturum; neque morari, quò minus quas odiſſent arces euerterent inflammaréntve. Id denique incendium iras extinxit. Rex aſſidere buſto deliciarum ſuarum non ſuſtinens, ſub initium veris, Saxoniâ exceſſit, Paſchalibus Babenbergæ operaturus. Inde Norim-

Digitized by Google

Norimbergam digreſſus oratores Pontificios, inque eorum comitatu Agnetem matrem obuiam habuit. Nihil illic affectibus datum. Ad matris complexum Legatorúmque colloquium non ante admiſſus eſt, quàm labem nundinatione Infularum contractam luculentis piaculis abſterſiſſet. Totus in eo erat Pontifex, quâ ratione gemina orbis terrarum monſtra exſcinderet, quæ à Nicolao & Simone infelicibus parentibus infame ſortita nomen, cùm iam olim iugulata ſubinde repullulaſſent, nunquam calamitoſiore, quàm illo æuo, fœcunditate graſſabantur, quo Myſtarum plerique honôres aræ & inſignia ſacerdotij velut ſub haſta venalia ære redimebant; aut fœdis inquinati amoribus, caſtiſſimis tractanda manibus ſacra impuri ipſi & luſtris perditi frequentabant, ſimul mariti, ſi Superis placet, ſacrificuliſque. Ad huius Lernæ repurgationem ſociam Regis manum Pontifex requirebat, perfacilem initio & obſequentem expertus, non tam quòd Religionem ſaluam, quàm nonnullos euerſos vellet Saxonum quàm ſui

PONTIFICIS SANCTI CONATVS.

DVPLEX ORBIS CHRISTIANI LABES.

ſui ſtudioſiores, in quos hanc fabam cuſam tempori, gaudebat in ſinu. Vngaricæ deinde expeditionis impetum cepit, Salomonis Regis, cui ſororem iunxerat, rebus perditis permotus. Patrueles illum Geyſa & Ladislaus domeſticis copijs externíſque auxilijs (inter quæ BOICA quoque recenſentur) ſubnixum ingenti prælio vicerant & regno ſimul regióque nomine exuerant. Eam ignominiam demere affini, & amiſſa conciliare bello dum parat Henricus, ex itinere, quo Ratisbonam iam attigerat, aduerſo rumore eſt reuocatus. Guilielmum Angliæ Regem ab Annone Colonienſi accitum in Germaniam inhiare Aquiſgranenſi ſolio percrebuerat. Id vt maioris propioríſque curæ præuerti alienis placuit; omiſſáque in præſens Vngariâ ad ſua tutanda eſt profectus, ſuperuacuo ſtudio, quòd eam totam fabulam inuidia ad inquinandam Annonis innocentiam confinxiſſet. Inſtare ergo tanto ardentiùs eâ curâ libero Vngari oratores, reſumeret interruptam pietatem, inſignia, præter gloriam egregij facti, emolumenta oſten-

Lambert. Geyſæ nomen Ioiadam facit. Chron. Auſtral. Toitſconem. Bonif. l. 4. dec. 2.

oſtentantes,ſex Regni vrbes,quas Salomon cliens in poſterum futurus Germaniæ Regis illi deſtinaret vt Seruatori ſuo, amplum ſine dubio inuitamentum, niſi ab exule deſponſum eſſet, quem vltima inopia fecerat liberalem. Redemptus tamen his pollicitationibus Rex totas Imperij vires expoſiturus videbatur, ſi euocati ad nomina reſpondiſſent; pleriſque vacationem extorquentibus, veris falsíſque cauſis, quæ Ducem pariter & militiam aſpernantibus obuiæ. Rex nihilominus tumultuarium militem in Vngariam rapuit omnia auſurum, donec reſiſteretur: ſed tam validi ad rapinas, quàm imparati aduerſus vim, ferociam citò perdidere. Geyſa clauſus inſulâ fame illos debellauit. famem ſecuta lues vltimam bello manum impoſuit. Vngaricis Annalibus traditur, Geyſam ferro diffiſum bellum auro confeciſſe; eo Duces labefactatos Regi auctores fuiſſe cœpto deſiſtendi, cùm eum nocturnis priùs terriculis ſtudioſè ad incutiendum metum compoſitis Panico terrore impleſſent. Ergo inglorius redijt, & Wormatiæ pri-

EXPEDITIO VNGARICA INGLORIA.

Digitized by Google

mùm regni curas diſpoſuit, tum Ratiſbonam regreſſus vſque ad anni exitum Boiis & Alemannis ſui copiam fecit. Salomon ſpei vltimæ irritus Pontificijs inſuper literis accuſatus eſt, quòd ſe regnúmque ſuum in Regis Germanici tutelam dediſſet, eiúſque ſe beneficiarium eſſet profeſſus, cùm Patronum ei præter D. Petrum ſalutarem neminem fas eſſet, cuius fidem priores amplexi Reges, regni etiam inſignia illius pedibus ſubſtrauiſſent. Sed nos Salomonis vitæ fortunæque clauſulam alibi imponemus, nunc cruentum annum & vniuerſæ Germaniæ luctuoſum ſub aſpectum daturi. Henricus Rex relictâ Decembri menſe Boicâ, Natalitia Chriſtiana Argentorati ſanguinarijs comitijs profanauit. Euocauerat eò pleroſque Imperij proceres, odio in Saxones, quo ipſe iam dudum ardebat, eos accenſurus. illi fini opportunas ſingulis admouere faces; vt cuiuſque ſtudium ex ætate aut indole flagrabat, ita appoſitis ſeorſim quemque illecebris ineſcare; opes & opima ſpolia alijs, alijs primores

Eſt inter Epiſt. Greg. l. 2. ep 13.

CÆSARIS CALLIDITAS, AD SAXONES EVERTENDOS.

mores in ſua amicitia gradus, facultatémque creſcendi ad quantumcunque voluiſſent faſtigium ſpondere; Thuringiam Saxoniámque velut vnam vrbem in prædam permittere; nihil ſibi præter vtriuſque gentis excidium depoſcere: Tantáque fuit immanis ſecreti fides, vt Saxones feſellerit inita de ſuo capite comitia fuiſſe. Paſchalibus demum erupit flamma; cùm Legati eorum non modò conſpectu Regis prohibiti, ſed Wormatienſi inſuper agro, caduceatore obuiam miſſo, iuſſi ſunt excedere. Subſecutus paulo pòſt Fecialis eſt, qui proceres gentis ſibi dedi poſtularet, vel abnuentibus bellum indiceret; vtrumque improbè; cùm neque vindices libertatis ſuæ dedere ſine ſcelere in vltimos cruciatus poſſent, neque fucus iſte furori Regio puri pijque belli nomen eſſet daturus; præſertim cùm Otto Dux quondam BOIARIÆ, Burcardus Halberſtadenſis Antiſtes, & Wernerus Magdeburgius, qui vni omnium maximè petebantur, nec æquas innocentiæ ſuæ aſſerendæ, nec iniquas placandi Regis conditiones ſubterfugerent, à belli curis

OTTONIS EXAVTHORATI MODESTIA.

al. Bucco & VVecel.

curis adeò auerſi, vt negarent armatos, ſed ſupplices nudis pedibus ſe Regi occurſuros, & ſententiam, quamcunque iratus dictaſſet, porrecto iugulo excepturos. Tam modeſtas voces non ſuis modò auribus ſed totis caſtris Rex excluſit, certus qualemcunque furorem excantari exarmaríque ijs poſſe. Repulſi à mortalibus cælo vim faciunt, omnibus pietatis machinis admotis. inculti ſqualidíque ieiuna ora & infuſa lacrymis ad omnes aras circumferentes, pacem veniámq; poſcebant Diuos, &, ſi pugnandum inuitis eſſet, auxiliarem manum: Hic apparatus Saxonum ad multò maximum bellum fuit; cùm interim ad Regem Germania penè omnis velut ſacratâ lege excita confluerct; vt ſatis conſtet, nullum retro Cæſarem maioribus copijs rem geſſiſſe. Duobus duntaxat Epiſcopis Annoni Colonienſi & Dietvvino Leodienſi vacatio conceſſa; vti facilis de equeſtri ordine ſit æſtimatio, ſacrorum Antiſtitibus ſine exceptione auctoratis. Dietvvinus ſiue Theodouinus, quem Annoni iunxi, regia BOIORVM ſtirpe oriundus veteribus

PIETAS SAXONVM.

THEODOVINVS EP. LEOD. BOIVS.

bus tabulis traditur pietatis ſtudijs & religionis magnificè cultæ monumentis clarus; qui cùm hoc ipſo anno, IX. Kal. Quintil. mortalitatem exuerit, famâ etiam poſthumâ felix & proximus Diuis, nominari ſaltem oſtendíq; ciuibus ſuis debuit. Germanicis etiam ſociæ Bohemorum copiæ acceſſerant, tantæ quidem, vt Wratislaus gentis Dux totum ſibi hoſtem poſceret. Ita aduerſus vim inſtructum Regem ea vna cura angebat, ne inſuperabilem armis exercitum inermes Saxonum preces vincerent, & incruentum bello finem æquitas imponeret; cùm ipſe non lacrymas ſed ſanguinem ſitiret; quem vt crudelitati ſuæ quàm citiſſimè propinaret, tantis itineribus Wormatiâ eſt profectus, vt non modò quos tantopere metuebat Legatos, ſed famam etiam anteuerterit. Fuſi vtrâque Vnſtruti fluminis ripâ Saxones meridiabantur, cùm prima Sueuorum acies, ductore Rudolpho, nec-opinantibus ſuperuenit. Puluis ſerum indicium fecit, & equorum hominúmq; fremitus ſemiſomnes excitauit. Nihil deinde ab attonitis ex more

Geſt. Pont. Leod. t. 2. Ægid. Aur. vall.

BELLVM SAXONICVM.

more aut diſciplina militari factum. Alij raptim armis tegere corpora; alijs ne veſtes quidem ad manum eſſe; audiri vndique diſſoni clamores, irrita Ducum imperia, confuſi ordines, eques pediti inerrans, ferociâ alij, plures pauore rapi in diuerſa, mixtæque inter ſe belli & fugæ meditationes. Acies non inſtructa, ſed temerè confluentibus manipulis denſata in informe agmen, animos tamen, ſubſidente paulatim metu, ex cauſa ſumpturum; quando nec Ducibus prompta in eo rerum articulo oratio, nec occupatis maiore curâ liberæ vacuæque aures. ſed neque claſſici ſonus aut imperantis vox expectata. hortatores ſibimet facti, quæ proxima ad hoſtem via tulit, confertim erumpunt, & deuota libertati vel pulchræ morti pectora tam fidenter Sueuo irruenti objiciunt, vt ſuſtineri diu non potuerint. Vdo Marchio volitantem ante prima ſigna Rudolphum Ducem conſobrinum ſuum, librato in frontem ictu confecturus fuerat, ſi galeæ firmitas ferienti ceſſiſſet. Sueuis ſubmotis Welfo cum Boiis ſucceſſit; Ibi ſtataria

BOII CVM SAXONIB. PRÆLIANTVR.

pugna

pugna coorta, conſumptíſque primâ procellâ lanceis, ad gladios ventum, binis terníſque præcincti erant Saxones, ne ferrum eos priùs quàm animus deficeret. Strages vtrinque ingens edita, ſed calamitoſior BOIIS, nobilium iacturâ capitum; Erneſti inprimis BOICI Limitis aduerſus Vngaros Præfecti factis ſuis inclyti, quem grauiter ſaucium relatúmque in caſtra altero die mors oppreſſit. Ottonis exauctorati inſignia ante alios facinora fuere. globo fortiſſimorum iuuenum ſeptus, vbi plurimum laboris aut periculi fuit, eò intrepidus inferebat ſeſe, non magis Ducis quàm militis officio functus; reſiſtentium ora, terga cedentium fodere, perrumpere hoſtiles cuneos, obuios fulminis in morem obterere, ceſſantes libertatis admonere, & quos ea voce non potuit, exemplo accendere; quod hactenus valuit, vt protracto in multum diei certamine, duo duorum Regnorum exercitus (Lamberti verbis vtor) Sueuiæ & BOIARIÆ terga verterint. Sed ſtabant adhuc integræ plurium populorum vires, qui ſociorum

OTTONIS FACINORA.

res

Digitized by Google

res in extremo ſitas conſpicati, inclinantem ad Saxones victoriam, renouato maioribus animis prælio, ad ſe retraxere: Iis quoquouerſum infeſta ſigna inferentibus, in fugam Saxones conſternantur, fruſtra retinente Ottone, proditoréſq; communis cauſæ accuſante, vero opprobrio, ſed aduerſus formidinem inualido. Hæſit in tergis fugientium victor, & tria paſſuum millia promiſcuâ ſtrage fœdauit. Nox cædi, proxima lux in regijs caſtris plauſibus modum poſuit, & eundem prope, quem victis, vultum victoribus induit; quòd vtriuſque partis caſus recognoſcentibus illic plura funera, hîc clariora occurrerent. Qui belli hiſtoriam ſcripſit æqualis illorum temporum, octonos Regi ipſi de nobilitate nihil conceſſuros ab eo deſideratos ſcripſit. exaggeratior etiam Lamberti luctus eſt affirmantis, extinctis omnibus Sueuiæ & BOIARIÆ luminibus diram cladem victoribus victos intuliſſe; vt eo nomine Idus Iunias, quibus pugnatum eſt, damnari vt atras faſtis BOICIS æquum ſit. Et verò iam multo ante monitorem BOII

Marian. V. Idus pugnatum dicit.

acce-

acceperant, illum vti diem velut inauſpicatum & inſigni imperij ruina nobilitandum cauerent. Confederat in Windbergenſi BOICÆ Transdanubianæ agro Wilhelmus quidam vir minimè quotidiani moris, &, abdicatis mortalium votis, Superis quàm hominibus propior; qui vt ſibi malè faceret, multò annulatus ferro voluntarius corporis ſui tortor tam diu inceſſerat, donec Deus ruptis vinculis libertate non petentem donauit. is cùm futuri temporis hiſtoriam hauſtam è cælo apud Luitgardem Principem fœminam, cuius ſtipe victitabat, familiariter ediſſereret, altùm ſemper ad illius diei, quo poſtea pugnatum eſt, mentionem ingemiſcens, quaſi iam tum Vnſtrutum amnem cruentum aſpiceret, abominabatur inhumanum ſpectaculum. cui an ipſe ſuperfuerit, parum certum habeo. XII. Kal. Maij fatalem ſibi fore praenouerat, eúmque ſolum ſcriptor indiligens annotauit, nullâ Anni memoriâ. Hartvvicus Ratisbonenſis Epiſcopus, qui anno ſupra milleſimum centeſimum quinto eum honorem inijt, exuuias

Tom. 6. Lect. Ant. Caniſij.

B. WILHELMVS WINDBERGENSIS.

E

Digitized by Google

uias eius ædiculæ, quam Adelbertus Comes diuinitus iuſſus illi ſtatuerat, intulit; cùm ipſe Contubernalem ſuum Iuanem iam antè extuliſſet cum anima cæleſtes etiam odores exhalantem, certo argumento immortalitatis. Porrò quos vatis huius oraculum non aduerterat, ipſe belli euentus manſuefecit. Welfo noſter, vti & Rudolphus Sueuus & Bertholdus Carantanus Henrico alteram lanienam apparanti operam ſuam negarunt. ea illi cauſa fuit ad alias artes diuertendi, & per fallacias graſſandi in perniciem gentis nondum de fortuna ſua deſperantis. Vngarici itineris famâ vulgatâ, quingentis duntaxat equitibus comitatus in Bohemiam deflectit, & quas in armis illic reperit copias, per deuios calles Saxoniæ infundit, vel victoriam apud imparatos, vel, quod illi optabilius, bellum aduerſus paratos inuenturus. Hic turbo D. Bennonem Miſnienſem Epiſcopum inuoluit, fortuniſque primùm, deinde etiam libertate ſpoliauit. Vitio datum innocenti, quòd proximo bello ſepoſitus in otium animo tamen apud hoſtes fuiſſet,

S. BENNONI PACIS STVDIVM VITIO DATVM.

ſet, &, ſi non armis, odijs certè cum Rege certauiſſet, dignus proinde qui nunc præda fieret victoris. Defendebant ſui Bennonem mores & rude artium bellicarum ingenium, vt de quo veriſſimè Lambertus ſcripſerit, hominem Eccleſiaſticæ Paupertatis & nihil aut parum habentem pompæ militaris, vota quidem facere, arma ferre non potuiſſe, nec magnum vel his vel illis partibus momentum allaturum fuiſſe, amicus ſiue inimicus extitiſſet. Quæ ſi Diuo illi ad gratiam non potuere, valere certè ad veniam debuerant; ſi quidem Henricus tantillum de Iulij Cæſaris lenitate habuiſſet, qui ciuili bello Medios & Neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros pronunciauit. At enim exiguos fructus tulit ſuæ in diuinum virum crudelitatis, cum ingenti mox dedecore Saxonia exactus & ad ſalutis vſque deſperationem adductus, periturus vtique, niſi ſuis ſe artibus tutatus vanis promiſſis & ementitâ legatione Saxonum veſtigia ſua prementium celeritatem retardaſſet. Fugæ tamen finem ante non fecit, quàm mili-

tem labore ac vigilijs, fame inſuper ac ſiti prope enectum Ratiſbonam ſubduxit. Imminebat vndecimus ante Kal. Nouemb. dies reſumendis in Saxones armis delectus; redierántque ſub ſigna Imperij proceres, haud tamen ijſdem animis, quibus in prius bellum victoribus quàm victis luctuoſius exarſerant.

WELFO A REGE DISCEDIT.

Et Welfo quidem BOIVS, Rudolphus Sueuus, Bertholdus Carantanus palàm iactarunt, illi crudelitati non modò non præfuturos ſe, ſed ne interfuturos quidem. præterita quoque, quæ infecta fieri nequeant, facta nolle; neque ad oblectandum Regem gladiatorium ſpectaculum repetituros; cùm ij, contra quos bellum paret, ei ne litem quidem intendant, ſed pacem veniámque ſupplices poſtulent, deditionem etiam facturi, ſi vlla ijs clementiæ ara ſtatueretur, certáque in verbis & dextra Regis eſſet fides: Rex quamquam attenuatas tantorum Ducum diſceſſione copias ſuas videbat, incredibili tamen pugnæ cupiditate flagrans non niſi ægrè à ſe impetrari paſſus eſt, vt pacis arbitri Moguntinus, Salisburgenſis, Auguſtanus & Würce-

Digitized by Google

Würceburgius Antiſtites cum Gozelone Lotharingiæ Duce in Saxonum caſtra proficiſcerentur: qui etſi non ignorarent, ſi diſceptandum iure eſſet, Saxonum quàm Regis cauſam meliorem eſſe; tamen quòd pacis ſpem nullam niſi in deditione ſcirent, id vnicum quantumuis diu ſpretum malorum remedium ſuadendo inuicem rogandóque quiritantibus obtrudebant. Abſoluerent grauiora paſſi miſeriarum ſuarum fabulam; ſubſternerent neceſſitati mox reſumendam libertatem; ſeruarent eo placamento Regiæ iræ patriam penatéſque, & quibus impendere ſanguinem haud graue duxerint, etiam generoſi ſpiritus faſtigium inclinarent; vtique flecti, quàm rumpi ſatius eſſe: ipſam hanc indignitatis patientiam dignitati ijs fore; apud poſteritatem certè, quæ miratura eos viros ſit, qui vt ſuis libertatem parerent, ire ſub iugum non dubitauerint. Quanquam morte durior conditio viſa eſt, qua Saxonici nominis gloria in tantam vilitatem deformaretur, teſtata præterea tot documentis erat Regis inconſtantia, & in pactis vio-

DEDITIO SAXONIB. SVADETVR.

landis leuitas, tamen innixi tot procerum fidei, ſimulachrum potius deditionis quàm veram deditionem eam fore affirmantium, & ſalua omnia defunctis breui obſequio ſpondentium, dare manus neceſſitati ſtatuerunt: traductíque per totius ora exercitus, miſerabili pompâ paucíſque præter Regem placiturâ, ſe ſuáque velut in ſinum clementiæ ipſius abdiderunt. ſed eam neq; fingere diu impotens animus potuit crudelitati aſſuetior ſcilicet, cui proinde etiam arbitrium in deditos permiſit, & omnia alia ex pacto ſperantes compingi in cuſtodias ſpargíque per BOIARIAM Sueuiámque & remotiora etiam exilia vinctos iuſſit, ſuæ pariter legatorúmq; famæ prodigus & diuinis humaniſque Religionibus illuſurus. Opes deditorum nihilo reuerentiùs habitæ; exhauſtæ largitionibus in præmia paraſitorum aut ſtipendia militum ceſſere. Denique ne vlla promiſſis conſtaret fides, etiam vita deditorum, cui ſanctiſſimè cautum fuerat, carnifici addicta. ipſæ Natales Christi feriæ Ottonis ſanguine imbuendæ fuerant, niſi Numinis nutus medi-tato

REGIS PERFIDIA.

OTTO VLTIMO PERICVLO PROXIMVS.

tato ſceleri interceſſiſſet. Seruabatur Otto apud Rupertum Babenbergenſem Antiſtitem; iſque negotiorum cauſa Regiam aditurus eius tutelam fidis hominibus demandârat; quibus paulò pòſt à Rege imperatum eſt, eum vti ſibi ſiſterent, & ne materiam ſermonibus præberent, noctibus in viam ſe darent, de die quieſcerent. Suſpectum Ottoni clandeſtinum iter, tum maximè, cùm à Regia Goslarienſi in proximum nemus raperetur, ſine dubio ad lanienam. Ergo vltimi periculi certus adorandi Numinis ſibi copiam fieri petijt in proxima æde: cùm id quoque negaretur, è quatuor ſtipatoribus armatis proximum ſibi virium fiduciâ inuadit, ereptúmq; lateri eius enſem vim intentantibus obijcit, & melior armorum vſu animíque ingens nequicquam reluctantes diſſipat, curriculóque regreſſus ad Epiſcopi dormientis lectum, compoſiti per ſummum nefas latrocinij eum inuidia inundat. Vulgatam mox etiam in Regia fabulam Henricus, vt erat egregiè callidus, velut ad ſe nihil pertinentem ſuppreſſit; neque vetuit, quò minùs Otto

Hiſt. belli Sax.

OTTO IN GRATIAM RECIPITVR.

Digitized by Google

pro libero omnia ageret; conſilijs quin etiam adhibuit, admiratúſque exaggeratum ſapientiâ pectus maluit talem virum inter amicos quàm hoſtes numerare, vſúſque eo deinceps eſt libenter & perquam familiariter. Diu nihil humanius fecerat Henricus, præbuerátque etiam reliquis, quos adhuc carcer habebat, meliora ſperandi facultatem, cùm tam pertinacis odij acerbitatem tanto amore mutaſſet. Sed aliorſum omina reciderunt, Pontificij fulminis minis in nouam rabiem reſides etiamnum iras efferantibus.

III. HENR. CVM GREG. PONT. COLLIDITVR.

Eo feriendum Regem Gregorius VII. denunciabat, niſi proximis Cineralibus Romam obiecta purgaturus acceſſiſſet. Sed maior inſederat animo faſtus, quàm vt reus eſſe ſciret ſubmitterétque ſe in humilitatem cauſam dicentium. Occupare potiùs munus iudicis ſtatuit & deijcere de ſolio Cenſorem ſuorum morum; idque vltimum omnium ſacrilegiorum vt exerceret ſub larua religionis, totius Germaniæ Epiſcopos Wormatiam conuocauit, pleroſque proprijs cauſis Pontifici infeſtos,

feſtos, quòd ob vitæ fœditatem vel manifeſtum ambitum ignominia notati, nonnulli etiam diris deuoti fuerant; qualis ex BOIARIÆ Epiſcopis Otto Ratisbonenſis Lamberti teſtimonio cognoſcitur, indignus ſine dubio, qui Gebhardo Salisburgenſi & Altmanno Batauenſi in ſumma dignitate collega adnumeretur, qui non modò infamis conuenticuli pars eſſe indignati ſunt, ſed ille quidem diſerto calamo æternam illi notam inuſſit, Fermentum illud indigetans, quod totam Eccleſiæ maſſam corruperit; hic verò, vt paulo pòſt dicturi ſumus, exilium concilio prætulit, & proſcribi maluit, quàm adeò iniquis ſententijs ſubſcribere. ſed nimirum cùm plures ea tempeſtate Epiſcopi Ottonis quàm Gebhardi aut Altmanni ſimiles eſſent, facile fuit Henrico dira in Pontif. ſuffragia colligere; quibus tamen neque innocentia Sanctiſſimi viri ſummáque in terris poteſtas damnari potuit, neque profani Collegij improbitas defendi. Nihilominus Senatuſconſultum propudioſiſſimum factum eſt, quo Pontifici Imperium velut

Ex Epiſt. S. Gebhardi Salisb. ad H. Metenſ. m.

SS. GEBHARDVS ET ALTMANNVS BOIAR. EPP. PONTIF. CAVSAM TVENTVR.

INIQVA PONTIF. EXAVTHORATIO.

Digitized by Google

ambitu & vi partum abrogaretur; inuentúſque eſt Rolandus quidam Sacerdos Parmenſis, qui eas tabulas Romæ publicis Comitijs illatas recitaret in illo ipſo veſtigio temeritatis pœnas daturus, niſi Pontifex toto ſuper illum effuſus corpore perituro pro ſcuto fuiſſet.

Paulus Bernried. Domnizo l. 1.

PRODIGIOSVM OVVM TEMPORVM INDEX.

Euenerat non ſine aperta Numinis vi, vt eod. die Ouum prodigioſus gallinæ partus ob monſtri nouitatem illatum Curiæ Pontificiæ admirantium manibus verſaretur. Teſtam oui Serpentis imago ſinuatis caudæ voluminibus terrifica obibat, ſquamis extantibus & velut à ſcalpro aſperis; in altum nitenti Scutum imminebat, cuius repercuſſu refugere anguem crederes & caput aluo recondere. Id portentum Pontifex notam eiuſce temporis diéique interpretatus, agnoſcere ſe in proſerpente bellua Henricum dixit: Argumento eſſe, quæ legatus exſpuerit non verba ſed venena animi ſpirantis cædes, & ad exitium religionis eâdem, quâ Draco Stygius, viâ graſſantis: Lapſurum tamen vtique aliquod de cælo Ancile, & propitij Numinis manu ſuáque conſtantiâ

nouam

Digitized by Google

nouam Hydram retundendam. Iure-iurando deinde ſanctiſſimè concepto, conſcios teſtatus Diuos, calumniam, qua appetebatur, diluit; auctorem eius Henricum execratus, impium & Tyrannum pronunciat, & quoquo modo illi obnoxios fœderum iuratæq; fidei religionibus exſoluit. Ratum habuiſſe Superos Gregorij factum, vel ex Wilhelmi Traiectenſis Epiſcopi flagrantiſſimi regiarum partium aſſeclæ luctuoſo exitu intelligas. palàm pro concione, Paſchalibus ferijs, Pontificis fulmen vt brutum ridentem & canina facundia illius innocentiam allatrantem vindex Dei manus oppreſſit, & animi tormentis ad palinodiam adactũ infernis carnificibus, quod ipſe faſſus eſt, trahendum vnco dedit. Edita ſub idem tempus exempla plura ſunt nihilo lætiora & opportuna corrigendo Regi, niſi obbrutuiſſet. Welfoni tamen Boio, Rudolpho Sueuo, Bertholdo Carantano, Adalberoni Antiſtiti Würceburgio & Hermanno Metenſi, liberandæ, ſiqua via ſupereſſet, à Tyranno patriæ, curam iniecére. Euileſcere exinde Henrici

HENRICI REGIS CAPVT DEVOVETVR.

PONTIFICIÆ AVCTORITATIS CONTEMPTVS VINDICATVS.

ODIA IN HENRICVM.

Digitized by Google

auctoritas, dilabi amici, dedititij à cuſtodum mitioribus educi è vinculis, ijſque receptis redire Saxonibus animi; maximè fidem dante Ottone, charitatem patriæ, noua Regis amicitia ſibi eſſe ſempérque fore antiquiorem. Henricus etſi intelligebat, eos quoque, quos Pontificiæ cenſuræ reuerentia non ſubierat, captiuitate Saxoniæ Principum à ſe reddi alieniores, donec tamen Burcardi Halberſtatenſis Epiſcopi, quem peſſimè oderat, potens fuit, de reſtitutione ſociorum agi ſecum non eſt paſſus. Illo elapſo, reliquos itidem ingratijs nullóque ſuo commodo amittendos dimittere in animum induxit.

BVRCARDVS HALBERST. EPOPE NOBILIS BOII LIBERATVS.

Sed quia libertatem Burcardus BOICÆ debet, eius quoque beneficij ſeriem par fuerit huc inſeri: A Salomone Vngariæ Rege, vt Bruno ſentit, ſiue (quod Lamberto viſum) vxore illius, ſorore ſua, ſecundo Danubio ad regni fines reuehi parantibus impetrauerat Henricus, vt Burcardum inuiſum caput nunquam in patriam rediturum ſecum aſportarent, metuendum dictitans, ne turbo ille pacis etiam ex carcere tempeſtatem ali-

quam

quam cieret, ſi afflare ex vicinia Germaniam poſſet. Burcardus priuſquam in nauem imponeretur, ſalutem ſuam in extremo ſitam amicorum fidiſſimis, qui cum fortuna vultum non mutauerant, commendauit, tenue ſolatium, queſtus & nihil profecturas lacrymas à pleriſq; recepturus. Vnus omnium Vdalricus nobilis inter Boios Dynaſta fuit, genus non proditur, qui ſeriam eripiendi ſeruandíque Antiſtitis curam ſuſcipere auſus arcem illi ſuam Danubio incumbentem ex forma ſitúque deſcripſit, hortatúſque eſt, eâ conſpectâ reperiret aliquid cauſæ, aut confingeret per fallaciam, vt exſcenſione impetratâ littori ſuccederet; id feciſſe, ei ſaluti fore. Inſtitit gnauiter tam benignæ ſpei Antiſtes, cauſatúſq; ſubinde faſtidia & nauigationis inſolentiam facilè vir id autoritatis perpulit nautas, vt copiam ripæ petenti facerent indulgeréntque velut ægro hoc neceſſarium laxamentum; quo cùm frequenter vteretur & modeſtè, non reliquit vllum ſuſpicionibus locum. Inter has ludificationes ad ſuum aſylum delapſus, quòd haud procul tem-

templum inde aberat, & Natales Feriæ Ioannis Baptiſtæ in eundem diem inciderant, rogauit, ne litandæ diuinæ hoſtiæ occaſione tam bella ſe priuarent. Impium erat non annuere. vectores ipſi, quibus commodum fuit, ſacrificanti operam dedere non alieni à ſtudio pietatis. Haud fefellit Vdalricum tam ſcitè eouſque acta fabula, neque tempori defuit, raptúmque ſecum armatorum globum, dum aræ aſſiſtit Antiſtes, templo circumfundit. Sacris ritè peractis egredientem in equum ſubleuat, elatíſque de naui ſarcinis, velut pro imperio abducit. Comites illius vociferari, iacere minas, ingeminare Regis imperium, &, vbi hæc fruſtra fuere, ad arma decurrere. Vdalricus temperare furori & vires ſuas circumſpicere iuſſit: ſi præmium crudelis miniſterij mortem quærant, eam in promptu eſſe gladios laceſſentibus. Satis ſupérque inſaniſſe eos, qui tali viro armatas manus admouerint, ſuſtinuerı́ntque captiuam trahere Innocentiam. Idipſum proinde imputarent clementiæ ſuæ, quòd crucem meritis vitæ gratiam faciat. Ita caſtigatos

gatos in nauem reiecit; ipſe Epiſcopum in arcem ſuam triumphans induxit habuitq; comiter, donec abſumpta nouitate, ſtudia exploratorum refrigeſcerent: tum deniq; militariter excultum, vt inobſeruatus iter faceret, patriæ remiſit, tanto inſigniore ciuium gaudio, quanto minus ſpei ſuperfuit eum recipiendi, cui iam parentauerant. Fauentem ex eo libertati ſuæ interpretati Deum ad deturbanda ex arcibus præſidia diſcurrunt; Quæſtores potiſſimùm Regios, ingratum vulgo nomen, etiam cùm auaritia & crudelitas ab eo abſunt, peſſimè multant, & ingluuiem ærarij in eius præfectos vindicant. Quæ Henrico eò acerbiora acciderunt, quò impuniùs fiebant, neruis ſæuitiæ inciſis. Ergo quantumuis inuitus conuerſus ad ſimulationẽ clementiæ, dedititios, qui ſupererant, inter quos etiam D. Benno fuit, oratione blandâ & ad vultum magis quàm animum compoſitâ allocutus, Vitam ſe illis, Libertatem & Patriam, tria ampliſſima bona reddere dixit omnia alia meritis, æſtimaturis tamen inde, dignúſne fuerit, quem vel ante-

NOVI IN SAXONIA MOTVS.

Lambert.

antehac odiſſent, vel oſuri in poſterum
Bruno de Bell. Saxon. eſſent. Bruno exactum Libertatis pretium, & fortunæ beneficio, non Henrici voluntate euaſiſſe captiuos, auctor eſt. Cùm enim Moguntiam euocati pro ſuo quiſque capite paciſcerentur, inflammata eodem articulo vrbs iniuria militari Henricum à nundinatione auertit & captiuis occaſionem præbuit elabendi, duobus duntaxat Epiſcopis fugam dedignantibus; quibus deinde Henricus Legatis ad Saxones vſus ijs irriſui fuit, pridem amiſsâ fide ex vſu fallendi, gnaríſque omnibus nunquam eum bene loqui, niſi cùm malè agere non poſſet. Epiſcopis id tantùm reſponſum, aut non abituros, aut nunquam redituros. Welfo interim BOIARIÆ Princeps cum Rudolpho Sueuo, Bertholdo Carantano & pluribus vtriuſque ordinis ſummis viris Vlmæ de Repub. collocutus, ex communi

COMITIA TRIBVRIENSIA.

ſententia comitia publica Triburiam in XVI. Kal. Nouembr. indixit. ea concurſu totius nobilitatis Germanicæ celebrata ſunt, principem locum Sighardo Patriarcha Aquileienſi & Altmanno

manno Batauenſi illic obtinentibus; quòd vices huic ſuas Pontifex commiſiſſet, admiratione virtutum eius, quarum experimentum quale ceperit, operæ ſit cognoſcere. Altmannus poſt Ædem in vrbe ſua D. Auguſtini ſodalibus conditam optimíſq; formatam inſtitutis, reductámque itidem in cœnobia alia tria quæ D. D. D. Floriani, Hippolyti & Agapiti tutelâ gloriantur, exulem ſanctitatem, nouum in Kotvvicenſi monte domicilium moliri cæperat perpetuæ Virginis Matris honori eâ occaſione dicatum; quòd Patronum loco quærenti forte fortuna eiuſdem Diuæ Icon Græci operis oblata fuerat, Ducum Boiohæmi donum. Huius ergo gloriæ dum maximè ſtudet, Romani ad eum Pontificis tabulæ perferuntur ſeuera in Sacerdotum mores mandata continentes & parum gratas impudicis leges; quas publicare dum ex imperio parat Altmannus, tantis contentionibus interceſſum eſt, vt cedendum fuerit furori. Ferijs deinde D. Stephani, quæ Batauenſibus ſanctiſſimæ ſunt, referre eadem mandata in conferto conſeſſu

ALTMANNI PASSAV. EPISC. SANCTITAS.

EIVS CONSTANTIA.

vtriuſque ordinis auſus cecidiſſet inter aras victima, tota illa Venereorum nepotum tribu ingratum præconem depoſcente ad necem, niſi procerum interuentu ultimum nefas prohibitum fuiſſet. Patronum nihilominus cauſæ ſuæ & innuptarum nuptiarum nacti Henricum Regem, iam ſponte in Pontificem eiúſque ſtudioſos accenſum facilè impulere, vt Vrbe Altmannum ejiceret, adderétque hircoſis illis animos, ne dubitarent gnauiter eſſe impudentes. Altmannus exul in Saxoniam primùm patriam ſuam, deinde Romam abijt, mitrámque Pontifici ſubſtrauit, cauſatus profanâ manu ſibi impoſitam. Sed DEUS non paſſus nudari digniſſimum caput, inſigni eum prodigio reſtituit. paulo pòſt columba familiaris innocentiæ auis ſiue cælo delapſa, ſiue, agente Numine, à ſuo exerrans grege, templumque latè omne pervolitans in Altmanni tandem capite placidè reſedit, ſine ulla pauoris notâ, & maiore, quàm pro indole, conſtantiâ. Lætum id Pontifici augurium omníque patrocinio fortius; proinde larga ſententia abſolu-

EXILIVM.

TESTIMONIVM INNOCENTIÆ.

ſolutum infulis de ſuo detractis capite velauit, & ire ſibi legatum in Germaniam iuſſit, ſucceſſu fœlici hisque initiis congruente. Neque bona cauſa in meliorem patronum incidere potuit, neque mala in acriorem hoſtem: utriuſque rei id primum documentum Triburiæ in Comitijs dedit, quòd à congreſſu colloquióque promiſcuè omnes ſubmoueret, qui familiari uſu Henrici inquinati vitium velut ex contagione traxerant, eóſque non niſi piaculis datis culpam deteſtatos probro exemit. Cōciliatis Numini animis proximè de redintegranda Welfonem inter Ottonémque amicitia actum; quorum hic nuper ab Henrico diſceſſerat peruicaciâ ingenii eius offenſus, conſilia omnia, niſi quæ ferocia ſanguinariáque eſſent, aſpernantis. Spe æquiorem uterque ſe præbuit: cùm enim haud vanè metueretur, Ottonem per vim iniuriámque Principatu Boiariæ deiectum de iure ſuo Welfoni litem moturum, priuatámque cauſam, ſi in diſceptationem veniret, ſine factionibus & nouâ flammâ agitari non poſſe, ex voto acci- Welfo Ottoni Reconciliatvs.

dit, ut inter duos tam acres viros nullius rei niſi modeſtiæ eſſet certamen, ambobus ius ſuum Reip. Regiſque, de quo creando agebatur, arbitrio ſubmittentibus. In amplexum deinde & oſcula ruentibus longè clarius applauſum eſt, quàm cùm Duces olim inaugurarentur, certiſſimo documento, maiorem eſſe virtutis quàm quantæcunque dignitatis apud mortales æſtimationem. Ducum exemplum milites caterUatim ſecuti, inter amicas ſalutationes, data acceptáque nupero bello vulnera confuſis lacrymis abluêre, habituri amoris pignus, quod fuerat odiorum.

HENRICI REGIS CONTEMPTVS.

De Rege deinde eligendo conſilia collata, Henrico Oppenhemij in aduerſâ Rheni ripâ proſtratæ reliquias Maieſtatis ultimis fulcris ſuſtentante, &, cùm alijs machinis non poſſet, precibus, libellis ſupplicibus, pollicitationibus, legationibuſque hoſtium ſuorum caſtra verberante, adeò munitis aduerſus has molitiones auribus animiſque, ut dies illi etiam dicta fuerit, quâ ſucceſſorem ſuum in acie eſſet viſurus, monſtratæque in littore naues noui Regis copias tranſ-

tranſportaturæ. Vltima nox iam matura & ad exitum ſpectantia conſilia mutauit. Sueui & Saxones primo diluculo Legatos ad Regem mittunt, qui verti in eo omnes illius ſpes docerent, ſi Pontifici ſatisfeciſſet ſtaretque iudicio, qualecunque is tuliſſet; amoueret interim peſtilentes amicos, regni curas uti & inſignia miſſa faceret, templis & aris ut impius abſiſteret, eo fortunæ modulo contentus viueret, quo illum ſententia procerũ Spiræ mœnibus incluſum circumſcripſiſſet; Wormatiam denique Epiſcopo redderet. Quamcunque ex his conditionem vel reſpuiſſet, vel poſtea violaſſet, cauſam nullam fore, quin perpetuò perierit. Henricus etiam ſic humanè actum ſecum verbotenus affirmauit, equo ſimilis, quem frenum & virga modeſtum faciunt; & cætera quidem ad unguem executus eſt; paratiorem tamen in Italia Pontificis clementiam ſibi ſpondens, quàm ſi Auguſtæ, quod Regni Proceres moliebantur, dicenda cauſa eſſet, ſub anni exitũ aſperrimâ hieme, quâ Rhenum à Martinalibus uſque ad Calend. April. perpetuâ aſtri-

LATÆ EIDEM LEGES.

HENR. REGIS MODESTIA TEMPORARIA.

HENRICI IN ITALIAM LVGVBRE ITER.

ctum glacie fuiſſe conſtat, iter in Italiam prope incomitatus, uxorem ſecum & filiolum trahens intendit. Nihil fœdi^ ſpectaculo fuit, quod Germaniæ Rex tot prouinciarum potens miſerabili pompa præbuit, quæ decere ne exulem quidem poſſet: Nemo boni ſanguinis aut maiorum gentium patricius latus ſtipauit. Ieiuna luridáque cohors obſcurorum clientum cõſpectiorem redditura Domini ſui miſeriam ſectabatur properantem, umbræ veriùs quàm ſatellites. Impenſæ itineris modicis ſymbolis an ſtipibus corrogatæ, neque niſi ſupplicanti præbitæ ab ijs, quos olim ipſe ditauerat. His anguſtijs conflictatum Burgundia accepit. Natalitia Chriſtiana Veſontione agentem Wilhelmi auunculi materni hoſpitalitas refouit; cuius dulcedinem paulo pòſt auaritia ſocrûs extinxit; à qua ne tranſitum quidem niſi parte prouinciæ redemptum impetrauit. Sed difficiliora omnia alpes reddidere, etiam miti cælo informes viſu territuræque viatorem, & tum utique immiſtis propè cælo niuibus, vix ullo humano apparente veſtigio, inſupera-

pera-

Digitized by Google

perabiles viſæ. Vſus tamen ducibus gnaris locorum cum ingenti hominum iumentorúmque vexatione euaſit in iugum, viribus inter metum laborémque exhauſtis. Noua illic deſperatio orta per prærupta deſcenſuris; fallente inſtabilem gradum glacie, &, vbi quis afflictus veſtigio ſuo excidiſſet, continuatâ ad plures ruinâ; paucioribus etiam adminiculis extantibus, quibus ſuſtinerent ſeſe, vel à caſu aſſurgerent. Fœminarum conditio multo miſerrima fuit, quas boum corijs impoſitas traxere montani: neque Regina aliud carpentum habuit. Minor ſine dubio per Alpes Ræticas futura erat iactatio; ſed illas Welfo & Rudolfus impoſito milite clauſerant, haud ſanè ambitione regnandi, quæ Baronij ſuſpicio eſt, ad morandum impediendúmque Henrici iter adducti; ſed Pontifici morem geſturi, cui tranſcendere in Italiam Henricum non placebat conſcio morum eius & artium fallendi; quas detegi confutaríque in oculis Germaniæ cùm intereſſe Reipub. iudicaret, ingreſſus iam iter fuerat, reiectis Henrici Legatis negatáque

CAVSÆ OBSTRVCTARVM à WELFONE RÆT. ALPIVM.

Paul. Bern. vit. Greg. VII.

Italiæ adeundæ poteſtate haud procul Tridento, Henricum præter ſpem in Italiam tranſgreſſum magnóſque ad eum fieri concurſus intelligit partim obſequia ſua Regi nunquam antehac viſo iactantium, partim rerum nouarum ſtudio datum ſibi Ducem ad Pontificis euerſionem gratulantium; cuius æternis pro pietate & Religione excubiis offenſi improbi optabant ſcilicet unicum illum Mundi oculum extinctum. territus inſperatâ famâ Pontifex Canuſium in Mathildis religioſiſſimæ fœminæ arcem ſeſe recepit; qua conciliatrice etiam Henricus viam ſibi ad Pontificis clementiam ſtrauit, in conſpectum non antè admiſſus quàm triduum integrum, ad triplicis, qui arcem obibat, muri alterum ambitum excalceatus, impranſus laneóque horridus ſago continuâ ſtatione, cum inſigni faſtûs tormento, exegiſſet, dignus ſine dubio, qui inter nobiles reos & ſponte ad innocentiam regreſſos poſt Dauidem eiúſque æquales collocaretur, niſi ſub perſonâ pænitentis mimum egiſſet, ideò tantùm cilicium paſſus, ne purpuram

Tridvana Henric Reg. ad Canvsivm Statio.

tam amitteret; id quod tempus aperuit: ſimul enim magnis ſponſoribus datis adactúſque iuramento in verba Pontificis, amiſſa piorum iura recuperauit, proceribus Italiæ factum accuſantibus & ad exauthorandum Regem, in quo tantum ineſſe bonæ mentis dolebant, propenſis, non erubuit promittere neceſſitatem triduanæ pietatis ſe placitis officiis & diutiùs duraturis expiaturum. Retinebat enim vel inuitum inſimulatione modeſtiæ, coronæ, quâ Modoëtiæ inſigniri Reges ſolitos aliàs diximus, cupiditas; cuius tamen eum Pontifex compotem non fecit, inconſcijs Regni Principibus, quorum accuſationibus tantopere premeretur, intempeſtiuam eam ambitionem cauſatus. Afflictus eâ repulsâ Henricus multò apertiùs ſuum ad optimates ſtudium tranſtulit, adeò nullâ eius deſulturæ gratiâ, ut neq; ius dicturo fora paterent, nemo accensâ face illuſtriorem eius aduentum, nemo plauſu clariorem redderet: vrbibus excluſo & in ſubdialibus tentorijs vileſcenti commeatus malignè præbiti, circumfuſæ undique, velut

HENR. REGIS INCONSTANTIA.

HENR. AVCTORITAS EVILESCIT.

 velut

Digitized by Google

veluthoſti,cuſtodiæ,ne egens cum rege ſuo miles facultatem haberet prædandi. Enimvero tot támque inſignitis contumelijs perfuſus, tantum abeſt, ut diſſutâ ſceleratorum amicitiâ in partes tranſierit bonorum, vt potiùs mentem vultúmque, quo ſe olim improbis probauerat, totum reſumpſerit, odiúmque Pontificis palàm profeſſus dictum apud illum ſacramentum, tamquam aranearum telam, vt Lambertus loquitur, abruperit; receptíſque in contubernium ſcelerum architectis, quibus ſe olim corrumpendum dederat, pleniſſimè omnibus ſatisfecerit, qui ipſum criminabantur religioſiorem. Earum rerum cùm in Germania nihil ignoraretur, tanto acriùs urgere proceres, Treſuiri inprimis, quos identidem nomino, Welpho, Rudolphus & Bertholdus, vt quando calliditate Henrici præuenti euanida prima comitia cernerent, maiore ea niſu proximè inſtaurarent. Vlmæ igitur inter ſe collocuti diem nominant, quo Forchemij frequentes adeſſent, quoſcunque cura patriæ tangeret. exoratus etiam Pontifex eſt, ut Pater ipſe

IV. Id. Mart.
Paul. Bernried. Lamb.

ipſe orbis terrarum Reipub. tam neceſſario tempore non deeſſet. Non erat in eo mora futura, ſi extrahere Henricum ex Italia potuiſſet: ſed incubatori diripiendam relinquere conſilij non fuit: Legatos interim ſuos cautione quanta maximâ poſſent gliſcentia de ſubrogando Rege conſilia reprimere iuſſit, donec certius aliquid ſtatuiſſet. nam neque de Henrico deſperauerat, &, ſiue is comitia adijſſet, ſiue Pontifici copiam feciſſet ſine fraude & noxa eò tranſeundi, confidebat ſuperaturas rationes ſtabiliendæ illius dignitatis. Qua de re cùm apud familiares diſſereret, tres dextræ ſuæ digitos largiter cruentos aſpexit, ſine horrore primùm, quòd eum colorem naribus imputaret: verùm cùm earum ſiccitas opinionem refellëret, & tergentem etiam fruſtraretur pertinax cruor, in prodigium vertit manifeſtum magis quàm optabile, & quocunque reſpiceret, illuſtri ſine dubio cæde exſoluendum. Cæptis Comitijs Legati Pontificij Bernardus Cardinalis eiuſque cognominis Maſſilienſis Abbas cùm omni in eam rem curâ incumberent,

CLEMENTIA PONTIFICIS.

PORTENTVM.

COMITIA VLMENSIA.

berent,

Digitized by Google

berent, ut quæ accenſa repererant regis eligendi ſtudia, extinguerent, fruſtra fuere; tantum Henrici odium animos procerum perceperat. Auerſabantur paſſim omnes, ut extremum malorum, volvere diutius fatale ſibi ſaxum, ad quod fortunas ſuas tota Germania fregiſſet: quâ enim religione illi obſtrictos eſſe ſe, cui religio nulla, nullum ſanctum in terris ius ſit? in quo vno vetera omnia monſtra reuixerint? qui ſub laruâ nominis Chriſtiani, Neronis animum gerat & ardentiorem tyrannis omnibus humani ſanguinis ſitim? eam cùm ciuilia bella non reſtinxerint, ſatius ſanè eſſe ipſius quàm patriæ ruinâ expleri: Non diu poſtea de Capite deliberatum eſt, propenſis omnium in Rudolphum Sueuiæ Ducem animis; quorum conſenſum fruſtra ipſe ſoluere conatus eſt luctâ modeſtiæ ſuæ, præualente voce publicâ, &, niſi manus daret, paratâ vi. Vnus Otto reliquis cunctantior amiſſam Boiariam in illo animorum æſtu auſus eſt repoſcere, velut præmium ſuffragii ſui; eiúſque exemplo cupidi nonnulli priuatas ſpes ſuas velut à

Rudolphus dux Sueu Rex eligitur.

Otto Boicam repetit.

Rege

Rege ſibi obnoxio repetebant, meritò à Pontificis Legato reiecti affirmante, eum, qui ſe Patrem Patriæ profeſſus, complexúſque animo totum Imperij corpus non ſibi ſed Reipub. victurum ſe ſpondeat, pulcherrimum & verè regium iuſiurandum iuraſſe. Duplicem duntaxat iniuriam, quam vſurpare ſibi pro iure Reges cæperant, eiurare coactus eſt, nec venales ſe mitras facturum, neque coronam hæreditariam; quod cùm prolixè feciſſet, Rex ſalutatus eſt Idibus Martij. Inſignia Moguntiæ, VII. Kal. April. inaugurante Sigefrido eius Vrbis præſule accepit, quæ vt feracia ſciret ingentium curarum, nec prima regni dies miſcere lætis triſtia pepercit. Miteſcente (vt ſub initium veris) cœlo, liquari niues cæperant, benigna vatibus materia perpetuos Fauonios pollicentibus, meliúſque ſeculum noui Regis auſpicio præproperè inchoantibus; omen enim eadem dies euertit: Nam cùm augurali ſacro aſſiſtere aris nonneminem aduertiſſet Rudolphus empto ſacerdotio infamem, auctórque Epiſcopo fuiſſet eius ſubmouendi; irritati ea re

REGIS RVD. INAVGVRATIO.

Bruno. Bertoldus. Paul. Bernried.

TVMVLTVS POPVLARIS.

tum ſacrificabat, depoſcere, damnatus voti paulo pòſt temerè ſuſceptum patrocinium cum vitâ deſeruit laudatiſſimus cæteroqui Antiſtes & ingentem famam tumulo illaturus, ſi in æquiora virtuti tempora incidiſſet: Clarius etiam funus & maiore proſequendum luctu in BOIARIA viſum. Sighardus Aquileienſis Patriarcha cùm paulò antè vnus omnium acerrimè in Henrici abdicationem incubuiſſet, vilis transfuga ad damnatas illuſtri præiudicio reſiliens partes, dum eaſd. armata manu erigere laborat, quas linguâ nuper conſilióque euerſum iuerat, Ratiſbonæ mente ſimul vitâque excidit, quinquaginta non minus ſocijs eâdem phreneſi extinctis, pluribus cauillantibus quàm miſerantibus ſuperbum Epiſcopi Militaris ad Inferos comitatum. Auguſto Menſe Würceburgo Rudolphus obſidium admouit. datum id Adalberonis Epiſcopi gratiæ, quem melioribus conſentientem Henriciani vrbe eiecerant: Oppugnatione conſultò abſtinuit, ne auarus in prædam miles ſacra profanis miſceret. Henricus fideles ſocios deſerere turpe

DVVM ANTISTITVM MORS.

turpe ratus, inconditum agmen ex inſtitoribus ferè collectum & Mercurio quàm Marti aptius ſecum è Suevia rapuit, BOIOS cum Bohemorum auxilijs ſeriùs domo egreſſos caſtris ad Nicrum poſitis præſtolaturus. Lætus hoſtis aduentu Rudolphus, ſoluta obſidione, in aduersâ Nicri ripâ ſe oſtentauit ultro prouocans, ſiue tranſire mallet, ſiue ſuis copiam facere traſeundi; neutrum optantibus ignauia exprobrata; breui alueo tranſmittente ferocia dicta, in quæ miles ingenioſus eſt, qui ſibi de virtute conceſſum putat. Henriciani meliores cauſidici quàm gladiatores, noſtros, ne nihil agerent, in ius vocabant, ad diſceptandam vtriuſque Regis cauſam: cur enim biceps Imperij, monſtrum ferri alíque fortium virorum ſanguine? ſtare vtrinque venales animas & in bellum ruere, quod irato Numine ab alterutris vel fortaſſe omnibus geri neceſſe ſit. cui enim ſatis compertum, utra cauſa æquior ſit? an verò etiam pugnâ, quocunque tandem exitu debelletur, aliud effici poſſe, quàm vt felicior imperet? neque enim ita bene agi cum rebus hu-

RES AD NICRVM INTER REGES GESTÆ.

Digitized by Google

Italiæ adeundæ poteſtate haud procul Tridento, Henricum præter ſpem in Italiam tranſgreſſum magnóſque ad eum fieri concurſus intelligit partim obſequia ſua Regi nunquam antehac viſo iactantium, partim rerum nouarum ſtudio datum ſibi Ducem ad Pontificis euerſionem gratulantium; cuius æternis pro pietate & Religione excubiis offenſi improbi optabant ſcilicet unicum illum Mundi oculum extinctum. territus inſperatâ famâ Pontifex Canuſium in Mathildis religioſiſſimæ fæminæ arcem ſeſe recepit; qua conciliatrice etiam Henricus viam ſibi ad Pontificis clementiam ſtrauit, in conſpectum non antè admiſſus quàm triduum integrum, ad triplicis, qui arcem obibat, muri alterum ambitum excalceatus, impranſus laneóque horridus ſago continuâ ſtatione, cum inſigni faſtûs tormento, exegiſſet, dignus ſine dubio, qui inter nobiles reos & ſponte ad innocentiam regreſſos poſt Dauidem eiúſque æquales collocaretur, niſi ſub perſonâ pænitentis mimum egiſſet, ideò tantùm cilicium paſſus, ne purpu-

TRIDVANA HENRIC REG. AD CANVSIVM STATIO.

ram

tam amitteret; id quod tempus aperuit: ſimul enim magnis ſponſoribus datis adactúſque iuramento in verba Pontificis, amiſſa piorum iura recuperauit, proceribus Italiæ factum accuſantibus & ad exauthorandum Regem, in quo tantum ineſſe bonæ mentis dolebant, propenſis, non erubuit promittere neceſſitatem triduanæ pietatis ſe placitis officiis & diutiùs duraturis expiaturum. Retinebat enim vel inuitum in ſimulatione modeſtiæ, coronæ, quâ Modoëtiæ inſigniri Reges ſolitos aliàs diximus, cupiditas; cuius tamen eum Pontifex compotem non fecit, inconſcijs Regni Principibus, quorum accuſationibus tantopere premeretur, intempeſtiuam eam ambitionem cauſatus. Afflictus eâ repulsâ Henricus multò apertiùs ſuum ad optimates ſtudium tranſtulit, adeò nullâ eius deſulturæ gratiâ, ut neq; ius dicturo fora paterent, nemo accensâ face illuſtriorem eius aduentum, nemo plauſu clariorem redderet: vrbibus excluſo & in ſubdialibus tentorijs vileſcenti commeatus malignè præbiti, circumfuſæ undique, velut

HENR. REGIS INCONSTANTIA.

HENR. AVCTORITAS EVILESCIT.

Digitized by Google

ipſe orbis terrarum Reipub. tam neceſſario tempore non deeſſet. Non erat in eo mora futura, ſi extrahere Henricum ex Italia potuiſſet: ſed incubatori diripiendam relinquere conſilij non fuit: Legatos interim ſuos cautione quanta maximâ poſſent gliſcentia de ſubrogando Rege conſilia reprimere iuſſit, donec certius aliquid ſtatuiſſet. nam neque de Henrico deſperauerat, &, ſiue is comitia adijſſet, ſiue Pontifici copiam feciſſet ſine fraude & noxa eò tranſeundi, confidebat ſuperaturas rationes ſtabiliendæ illius dignitatis. Qua de re cùm apud familiares diſſereret, tres dextræ ſuæ digitos largiter cruentos aſpexit, ſine horrore primùm, quòd eum colorem naribus imputaret: verùm cùm earum ſiccitas opinionem refelleret, & tergentem etiam fruſtraretur pertinax cruor, in prodigium vertit manifeſtum magis quàm optabile, & quocunque reſpiceret, illuſtri ſine dubio cæde exſoluendum. Cæptis Comitijs Legati Pontificij Bernardus Cardinalis eiusque cognominis Maſſilienſis Abbas cùm omni in eam rem curâ incumberent,

CLEMENTIA PONTIFICIS.

PORTENTVM.

COMITIA VLMENSIA.

berent,

berent, ut quæ accenſa repererant regis eligendi ſtudia, extinguerent, fruſtra fuere; tantum Henrici odium animos procerum perceperat. Auerſabantur paſſim omnes, ut extremum malorum, volvere diutius fatale ſibi ſaxum, ad quod fortunas ſuas tota Germania fregiſſet: quâ enim religione illi obſtrictos eſſe ſe, cui religio nulla, nullum ſanctum in terris ius ſit? in quo vno vetera omnia monſtra reuixerint? qui ſub laruâ nominis Chriſtiani, Neronis animum gerat & ardentiorem tyrannis omnibus humani ſanguinis ſitim? eam cùm ciuilia bella non reſtinxerint, ſatius ſanè eſſe ipſius quàm patriæ ruinâ expleri: Non diu poſtea de Capite deliberatum eſt, propenſis omnium in Rudolphum Sueuiæ Ducem animis; quorum conſenſum fruſtra ipſe ſoluere conatus eſt luctâ modeſtiæ ſuæ, præualente voce publicâ, &, niſi manus daret, paratâ vi. Vnus Otto reliquis cunctantior amiſſam BOIARIAM in illo animorum æſtu auſus eſt repoſcere, velut præmium ſuffragij ſui; eiuſque exemplo cupidi nonnulli priuatas ſpes ſuas velut à

RVDOLPHVS DVX SVEV REX ELIGITVR.

OTTO BOICAM REPETIT.

Rege

Rege ſibi obnoxio repetebant, meritò à Pontificis Legato reiecti affirmante, eum, qui ſe Patrem Patriæ profeſſus, complexúſque animo totum Imperij corpus non ſibi ſed Reipub. victurum ſeſpondeat, pulcherrimum & verè regium iuſiurrandum iuraſſe. Duplicem duntaxat iniuriam, quam vſurpare ſibi pro iure Reges cæperant, eiurare coactus eſt, nec venales ſe mitras facturum, neque coronam hæreditariam; quod cùm prolixè feciſſet, Rex ſalutatus eſt Idibus Martij. Inſignia Moguntiæ, VII. Kal. April. inaugurante Sigefrido eius Vrbis præſule accepit, quæ vt feracia ſciret ingentium curarum, nec prima regni dies miſcere lætis triſtia pepercit. Miteſcente (vt ſub initium veris) cœlo, liquari niues cæperant, benigna vatibus materia perpetuos Fauonios pollicentibus, meliúſque ſeculum noui Regis auſpicio præproperè inchoantibus; omen enim eadem dies euertit: Nam cùm augurali ſacro aſſiſtere aris nonneminem aduertiſſet Rudolphus empto ſacerdotio infamem, auctórque Epiſcopo fuiſſet eius ſubmouendi; irritati ea re

REGIS RVD. INAVGVRATIO.

Bruno. Bertoldus. Paul. Bernried.

TVMVLTVS POPVLARIS.

re quicunque de Simonis poſteritate aderant numularij ſacerdotes, ignominiam funeſta ſeditione ulti ſunt. Agebantur poſt meridiem Iuuenalia, ſolenne ludicrum & his pompis vſitatum. Concitarunt Myſtæ ex vrbana iuuentute ferociſſimum quemque, vt regijs immixti innocuam palæſtram exaſperarent aliquâ rixâ. Factum id ſtrenuè. Manticam vel limbum veſtis quidam ex ſubornatis familiari præſulis præcidit: clamor inde maior quàm pro cauſa; pulſatus auctor iniuriæ; ne raperetur in caueam, procuratoris interuentu cautum eſt. Nihilominus ſacrati homines ære campano concire ciues, hortaríque ad vindicandam libertatem, à cuius imminutione Rudolpho placuerit Regnum auſpicari. Nihil amplius quæſitum. Momento ciuitas in armis ſtetit. Rex à furentibus ad cædem depoſcebatur, nec templi ſanctitate defendendus, niſi irruentem turbam quantumuis inermis ſatellitum manus reieciſſet. Ita tempora ferebant & mores, ne Cineralibus quiſquam in publicum cum telo prodiret. Rex precibus perſolutis

egreſſus

Digitized by Google

egreſſus Æde vbi à furentibus peti ſe vidit, poſcebat ferrum: vetuere tamen proceres caput eo die redimitum obijcere inſaniæ populari. ipſi, correptis undecunque armis, aciem in templo inſtruunt, &c, eruptione facta, fanaticam turbam diſijciunt; reſtitantes obtruncant; unde diffuſus in reliquos pauor alios in latebras, multos in Rhenum præcipites egit. Rudolphus diffiſus ciuium voluntati Auguſtam profectus Paſcha ibidem celebrauit. quo tempore Henricus Veronæ fuit, gnarúſque fauces Alpium Ræticarum à Welphonis milite teneri, per Carantanos in Germaniam redijt; auctúſque BOIORVM & Bohemorum copijs rectà in Rudolphum mouit in Sigmaringæ obſidione hærentem. decernere prælio quantumuis impar virib⁹ Rudolphus geſtiebat, ſi ſuos dare militi animos potuiſſet. Illo ardore deſtitutus retro in Saxoniam abijt. Henricus Vlmam triumphantis in morem invectus regia inſignia reſumpſit; quod ritè factum Embrico Auguſtenſis Epiſcopus auſus defendere, &, ſi ſciens falleret, ultorem ſibi Deum, cui tum

Berthold. Burcardus de Caſib. Monaſt. S.Gall.l.1.c.7.

HENRICVS RVDOLPHVM FVGAT.

VLTIO DIVINA IN EPISCOPVM.

tum ſacrificabat, depoſcere, damnatus voti paulo pôſt temerè ſuſceptum patrocinium cum vitâ deſeruit laudatiſſimus cæteroqui Antiſtes & ingentem famam tumulo illaturus, ſi in æquiora virtuti tempora incidiſſet: Clarius etiam funus & maiore proſequendum luctu in BOIARIA viſum. Sighardus Aquileienſis Patriarcha cùm paulò antè vnus omnium acerrimè in Henrici abdicationem incubuiſſet, vilis transfuga ad damnatas illuſtri præiudicio reſiliens partes, dum eaſd. armatâ manu erigere laborat, quas linguâ nuper conſilióque euerſum iuerat, Ratiſbonæ mente ſimul vitâque excidit, quinquaginta non minus ſocijs eâdem phreneſi extinctis, pluribus cauillantibus quàm miſerantibus ſuperbum Epiſcopi Militaris ad Inferos comitatum. Auguſto Menſe Würceburgo Rudolphus obſidium admouit. datum id Adalberonis Epiſcopi gratiæ, quem melioribus conſentientem Henriciani vrbe eiecerant: Oppugnatione conſultò abſtinuit, ne auarus in prædam miles ſacra profanis miſceret. Henricus fideles ſocios deſerere

DVVM ANTISTITVM MORS.

Digitized by Google

turpe ratus, inconditum agmen ex inſtitoribus ferè collectum & Mercurio quàm Marti aptius ſecum è Sueuia rapuit, Boios cum Bohemorum auxilijs ſeriùs domo egreſſos caſtris ad Nicrum poſitis præſtolaturus. Lætus hoſtis aduentu Rudolphus, ſoluta obſidione, in aduerſâ Nicri ripâ ſe oſtentauit ultro prouocans, ſiue tranſire mallet, ſiue ſuis copiam facere traſeundi; neutrum optantibus ignauia exprobrata; breui alueo tranſmittente ferocia dicta, in quæ miles ingenioſus eſt, qui ſibi de virtute conceſſum putat. Henriciani meliores cauſidici quàm gladiatores, noſtros, ne nihil agerent, in ius vocabant, ad diſceptandam vtriuſque Regis cauſam: cur enim biceps Imperij, monſtrum ferri alíque fortium virorum ſanguine? ſtare vtrinque venales animas & in bellum ruere, quod irato Numine ab alterutris vel fortaſſe omnibus geri neceſſe ſit. cui enim ſatis compertum, utra cauſa æquior ſit? an verò etiam pugnâ, quocunque tandem exitu debelletur, aliud effici poſſe, quàm vt felicior imperet? neque enim ita bene agi cum rebus humanis,

RES AD NICRVM INTER REGES GESTÆ.

G manis,

manis, vt ſemper dignior vincat: temerarium, ſæpe etiam iniquum iudicem Martem eſſe, neque ad diſceptandum ſed exequendum ius eum aduocari oportere. Vera erat oratio, ſi modò qui ab armis ad leges prouocabant, ius pati

RVDOLPHI ÆQVITAS.

poſſent. Rudolphus tamen, quocunque ea animo dicerentur, ne quid ſpreuiſſe mollium conſiliorum videretur, conditurum ſe bona fide ferrum, eadémque lubentiâ iuris aleam quâ belli ſubiturum pollicitus eſt, & ſi pax coronâ emi poſſit, eam haud grauatè Henrico impoſiturum, ſi boni arbitri ex vſu Reipub. id futurum pronunciaſſent. Sed mox apparuit inducias non pacem ab Henricianis quæſitam: ſimul enim BOIORVM Bohemorúmque inſtructæ copiæ aduenere, extemporalis modeſtia in ferociam deſijt. neque deerat Henrico animus incautos opprimendi, niſi maior famæ cura Ducibus quàm illi fuiſſet; quorum ſtudio tum quidem ſine vi diſceſſum eſt, cautúmque ne debitum Strouæ flumini in ſequentem annum

PONT. GERMANIAM COGITAT.

ſanguinem Nicer biberet. Pontifex interim ingemiſcens prælud ijs luctuoſiſſimæ

mæ tempeſtatis ſerenare Germaniam ſuo ipſe aduentu cupiebat; idque vt facere tutò poſſet, utriuſque factionis ducibus, vt à bello abſiſtant, imperat; per vtrum ſtetiſſet, quò minus induciæ fierent, eum execrandi poteſtatem Legatis ſuis impertit. Rudolpho auctoritas Imperantis ſacroſancta, Henrico contemptui fuit: eáque ex cauſa illi regnum confirmatum, huius caput Diris deuotum eſt Goslariæ poſtrid. D. Martini. Ita quidem Bertholdus; cui de latâ ſententiâ fidem non habemus; quòd & præcipitata videatur & à prudentiſſimi Pontificis rationibus aliena; quem præterea ſcimus ſequente anno, velut rebus integris, in litem nondum iudicatam arbitros decreuiſſe, ſerâ vtique diligentiâ, ſi de Henrico conclamatum fuiſſet. Vltimo Anni menſe Agnes ExAuguſta peſſimi filij optima mater & ſola fœcunditate ſuâ infelix, ne deflagrantem rem Chriſtianam, cui Henricus facem ſubiecerat, diutius aſpiceret, rebus humanis lubens voléſque valedixit, id ſaltem, quando ſanandi filij ratio nulla ſuperfuit, aſſecuta, vt impreſſis Romanæ vrbi

Agnetis ExAug. mors.

luculentis ſanctitatis veſtigijs effugeret inuidiam, ne vnquam verè dici poſſet Henricum materna diſciplinâ corruptum. BOICA quidem hanc inter Principes ſuos ſine verecundia recognoſcet, & felicib. Imperij muliebris exemplis, utcunque pauca extent, etiam Agnetis annos, quibus BOICAM rexit, ſine querela annumerabit.

IV. A. M. L. XXVIII. ELLENHARDI FRIS. EP. MORS ET LAVDES. *Paul. Bernried. Berthold. Bruno &c. Chron. Auguſt. A. M. L. XXI.*

Anno ſeptuageſimo octauo V. Idus Martij Ellenhardus Friſingenſis Antiſtes cælo receptus eſt, obſcuriore, quàm viri virtus mereatur, in vulgus famâ. Magna per illum opibus Eccleſiæ eius facta eſt acceſſio. D. Andreæ Collegium initia ſua eidem & incrementa debet. Fuit inter Treſuiros, qui Auguſtanam DD. Vdalrici & Afræ Aedem dedicarunt. Henrici Regis gratiâ, quam diu licuit, integrâ vſus eſt. Comitem ei in Pannoniam expeditione ultima iuiſſe, id documento eſt, quòd magnum agri modum, ex eo, quem Salomon Vngariæ Rex Henrico attribuerat, velut nauatæ operæ pretium eſt adeptus: turbas exinde ſubſecutas prudenti declinatione euitauit, neque pugnare cum fluctibus

bus voluit artem & vires ſuperantibus. Ætas prætêrea miſſionem dabat emerito & vltimum quadriennium ſeponenti ſibi in meliores curas. certè publicæ rei ab eo intra id tempus geſtum nihil reperio. bene latendo bene vixiſſe beata mors indicium fecit, eámque ſecuta mira & maiora humanis viribus, quæ votis ſupplicum appellatus fecit propinquiore Numinis aſpectu iam potentior. Vocata nihilominus in dubium eſt eius innocentia, quinquageſimo altero ab obitu anno, Conrado Saliſburgenſi Antiſtite, in Lauffenſibus Comitiis, ſocietatem factionis Guibertinæ contra Gregorium VII. enatæ pijs illius Manibus impingente. infamiam iurati teſtes conſcij morum eius mortiſque biennio ante illam tempeſtatem obitæ abſterſere: quibus referentibus etiam de prodigijs cognitum eſt, quæ pridem inuidiæ ereptum Diuis inſeruerint, & conſecrandam potiùs cæleſtibus religionibus famam poſthumam, quàm improbis ſuſpicionibus contemerandam ſuadeant. Euerſam in hunc modum criminationem ingens viri vene-

Digitized by Google

ratio velut ex fumo flamma ſecuta; relata in tabulas acta, quas bono publico, non ſine Numinis, vti exiſtimo, auctoritate nuper Andreas Schererus Ellenhardini Collegij Decurio vulgauit; ne nunc quoque, quod pronius multò quàm ante annos quingentos fuit, factioſis accenſeretur, iiſdémq; cum Ottone Ratiſbonenſi probris laceraretur. Ita proximo poſt Gebhardum Saliſburgenſem & Altmannum Batauenſem loco coletur, erítque hoc BOIARIÆ ad gloriam eximium, in non maximâ prouinciâ tres Antiſtites oſtentanti, qui Eccleſiæ, difficillimo tempore & inſana omnium ordinum coniuratione, non defuerint. numerus ne decreſceret, Meginvvardi, qui Ellenhardo ſucceſſit, conſtantiâ obtentum eſt.

Paulus Bernried, Bertholdus. Bruno, &c.

REGVM PVGNA.

Interim cùm Legatos ad diſceptandam duorum Regum litem Pontifex nominaſſet, totóque ad ſanandam plagam Reip. animo ferretur, ea nouo aucta diductáque bello ſpem ſimul manúmque medentis eluſit. Mellerſtadij, quæ Franciæ Orientalis ad Strovvam flumen vrbs eſt, VII. Id Auguſt. pugnatum

Digitized by Google

tum eſt, euentu vario & cum virtute bellantium conſentiente. nunquam clariùs oſtenſum eſt, tanti eſſe Exercitum, quanti Imperatores. Ducebant pro Rudolpho Epiſcopi ordines & alterum cornu tuebantur imperitâ audaciâ, inſuetis ad lituos auribus, oculiſque ferri fulgorem non laturis. Pugnam proinde à fuga auſpicati ſunt, traxerúntque nulla alia in re obſequentiorem militem. Et Magdeburgius quidem in fugã cæſus; Merſeburgius ſpoliatus; Sigefridus Moguntinus, Adelbertus Wormatienſis & Bernardus Pontificis Legatus capti ſunt. Rudolphus tot præſidijs nudatus raros circa ſe ordines videns & animos inſuper copijs minores, acie etiam ipſe exceſſit. Meliore longè fortuna alterum cornu, cui Otto Boicæ olim Princeps & Fridericus Palatinus præerant, vtebatur. Tanta vtriusque Ducis virtus fuit, ut cùm tota belli mole premerentur, impetum, qui in victoribus longè acerrimus eſt, non ſuſtinuerint modò fortiter, ſed infregerint etiam. Vires illis à D. Petro auctas, cuius nomen pro teſſera acceperant, credi potuit.

OTTONIS RES PRÆCLARE GESTÆ.

IMPIETAS VINDICATA.

tuit. eam cùm gregarius miles hoſti ſuo ob cultum non agnito obuius iteraret, librato alter in caput inopinantis ictu, Recipe tui Petri ferrum, inquit: ſed nec iocum nec ictum abſoluerat, cùm Saxo Diuum & commilitonem vltus ſcurræ frontem diſſecuit, Et tu potiùs, retulit, tui Regis Teſſeram Orco iactare & vmbris memento. Henricus cùm vndique peteretur, fremens victoriam ſibi è manibus eripi, agmen tandem auertit in fugam, reſiſtere non ante auſus, quàm Würceburgi mœnibus ſuccederet. Prior hoſtem omiſit Fridericus campóque cruento ſe reddidit, prædæ & trophæi ſtatuendi causâ. Otto pertinaciùs tergis hæſerat fugientium, regreſſúſque ad hoſtium caſtra, cùm occupata iam inueniſſet, incertus amicos an hoſtes crederet, cùm nec is, quem exploratum miſerat, feſtinaret regredi, ſuſpicatus captum vel occiſum eſſe, neque auſus feſſum militem obijcere nouo hoſti, victoriam illætabilem in patriam aſportauit: eius fructum Fridericus tulit; cuius miles cum prædæ non ſufficeret, reliquias auaritiæ igni corrupit. Welfonem interim

Digitized by Google

interim Bertholdo Zäringenſi ſociam nauaſſe operam contra Argentinenſem & Baſileenſem Epiſcopos comperio: quibus victis, cùm ad Rudolphum propararent, ſerum auxilium, peracta iam vtriuſque partis fortunâ, afferre ſe intelligunt. ad Nicrum nihilominus flumen operæ pretium faciunt, XII. hominum millibus vel vita vel virilitate exutis. BOIORVM Henrico militantium quæ priuatim conditio fuerit, in obſcuro eſt, niſi quòd inter proceres, qui eo prælio occubuere, Theobaldum & Henricum Comites Lechmundianos reperio: & verò argumenta dicam fidē factura, præter voluntarios paucos, publico gentis nomine, in eam militiam BOIOS deſcriptos non fuiſſe; cùm vtique iactare triumphos ſuos tantâ fiduciâ per BOICAM auſurus non fuerit Henricus, ſi illos ipſos, quibus fabulas narrabat, cladis teſtes & fugæ ſocios habuiſſet. Cùm enim Octobri menſe Ratiſbonam veniſſet, crederétque, ſi, quod erat, pro victo ſe tuliſſet, cautos homines res integras perditis ſuis ægrè admixturos, &, delectu etiã acto, ad nomi-

WELFONIS RES.

Guilimann. Habſpurg. l. 5. Bertholdum.

HENR. BOIARIAM FABVLIS IMPLET. *Bruno bello Saxon.*

na non reſponſuros, nouo ſibi utendum colore putauit, conuocatáque ad concionem multitudine, Debellatum in Saxonica proclamauit; ſepulchrum eam factam ſuorum ciuium poſtulare meliores colonos & dignos tam vbere ſolo: oblatam ſibi ea felicitate occaſionem declarandæ ſuæ erga fortes fideléſque ſocios voluntatis. quidquid Saxonum fuerit, de cætero fore BOIORVM, ſiue id ſtipendium malint dicere, ſiue hæreditatem debitam ſuæ Virtuti. Renouatam veteris æui imaginem, & lætum maioribus ſuis deducendæ in fortunatas terras Coloniæ nomen ſuo demum ſeculo iterum audiri. vocatum antea ad ſigna, vulnera, mortem militem, tandem ad legenda ſpolia, diuidendos agros, ſine labore & ſanguine, amabili claſſico inuitari. ne igitur oblata ſibi vltro bona inuiderent, & ferarum potius luſtra quàm domicilia hominum eſſe ſinerent pulcherrimam prouinciarum. Quia maior res erat, quàm vt credi etiam à cupidis poſſet, producti ex compoſito impoſtores, qui Regi ſuccinerent fulcirêntque mendacio fabulam.

bulam. Hi cùm pro Oratoribus Ottonis BOIORVM quondam Ducis & Hermanni Comitis ſeſe ferrent, teſtabantur boni ſanguinis, extra hos duos, Saxoniâ totâ gladium effugiſſe neminem: eos in ludibrium fortunæ aſſeruatos inambulare gentis ſuæ tumulis, horrere patriæ ſolitudinem, deteſtari nunc impia arma & vindici Juſtitiæ ſera ſupplicia pendere, fœdóſque ambitionis ſuæ exitus oſtentare eadem auſuris; vt quibus exemplo morum obfuerint, piaculis proſint. In hunc modum BOIIS fucus factus. dare mox certatim in nouam coloniam nomina, ſomniare opes & agri inempti latifundia; faſtidire patrios lares & focos maiorum, tranſire à plebe ad patricios, & pro ſua quiſque ſpe aſſumere ſpiritus & ſupercilia nobilitatis. Puerorum ludũ crederes, cùm regna diuidunt. Itum ergo eſt ingenti agmine maximíſque itineribus, ignauo eſſe nulli licuit; alas addente cupiditate, quæ ad Franconiæ vſque Thuringiǽque confinia ſtultam credulitatem prouexit. Ibi demum muſſitari cæptum, Saxones reuixiſſe & ſexaginta millia nouis colonis obuiam

BOII AB HENRICO CIRCVMVENTI.

obuiam prodire. id primò monſtri ſimile viſum; alij alios intueri, offundi animis caligo, cúmque alterum quiſque mentis magis compotem crederet, cōſulere inuicem. plerique ſpei ſuæ indulgentes famam mendacij arguere & ultro explorandi cauſa procurrere. vbi denique credendum oculis fuit, tum verò, quaſi diſcuſſo lætiore ſomnio, ad priſtinam tenuitatem euigilaſſent, ſtultitiæ fabulam riſu multi, plures in ſcenæ artificem regem irâ odióque abſoluerunt. Credam nec ipſi inter tam indigna viris & in Heliogabalis etiam damnata deliramenta deprehenſo vultum colorémque conſtitiſſe; morari certè abeuntes nullo delinimento potuit. Sueuia tandem in prædam conceſſa animos mitigauit. quidquid Rudolphi, quidquid Bertholdi & denique Welphonis ipſiuſmet BOIORVM Ducis fuit, direptum eſt; ſacris etiam opibus admotæ manus & ad centum templa violata, Vdone Treuirenſi Epiſcopo impunitatem ſacrilegij pollicente, cùm ipſemet mox ſcelerati conſilij pœnas ſubitâ morte exſoluerit. Arbitrum cum litis

SVEVIA BOIIS PRÆDA DATA.

regiæ

Digitized by Google

regiæ nuper Pontifex reſcripſerat, maiora ſine dubio de illius ſibi virtute pollicitus, quàm argumenta hæc loquantur. Neoburgum eo tumultu euerſum fuiſſe auctorem habeo, incertum an quod hoc nomine ſupra Ingolſtadium Danubio imminet; Auentinus quidem illud deſignat, captúmque ibidem Welfonem & in cuſtodiam datum, ſuáne an aliena fide, ſcripſit. Bertholdus ijſdem cum Welfone ſtudijs Rudolpho fauens hoc pariter anno vitæ finem fecit. *Ioan. Staindel. M S.*

Decimo Kal. Decembr. vtriuſque Regis Oratores Pontifici iureiurando affirmarunt, diſceptandi ſuper iure ſuo Legatis Apoſtolicis ſe copiam facturos; idémque anni ſequentis Februario Menſe repetitum eſt, multis mite Pontificis ingenium & penè remiſſum accuſantibus, quòd ad tam peſtilens Reipub. carcinoma exſcindendum nimis lento pede ſuſpenſáque manu accederet, & medicinam molliorem ferro quæreret: qua cunctatione non modò Rudolphi Legatis non ſatisfecit; ſed querulæ inſuper ex Germania literæ venere, quas Bruno recitat, ab ægris, ut apparet, animis *Paul. Bern. Bertoldus. A. M.LXXIX. Bruno Bello Saxon.* GREG. PONT. LENITAS.

mis ſcriptæ, &, niſi Pontificis reuerentia obſtitiſſet, cum eodem expoſtulaturæ. Memor ille nihilominus parentem ſe appellari generis humani, animaduerſionis leges normámque à ſe ipſo maluit, quàm alieno ſtomacho petere; Petroque Albanenſi, qui, quòd ad coarguendum Florentinum Epiſcopum ardentem rogum illæſus ſubierat, Igneus dictus eſt, & Altmanno noſtro Bataueuſi Epiſcopo Legatis ſuis enixè commendauit, Irent via regiâ, & fauori iuxtà odióque impenetrabile pectus ad cauſam afferrent; ne queri poſſet orbis terrarum, in D. Petri foro tribunalíque ius venditum & æquitatem gratiæ ſuccubuiſſe. inter has molitiones annus effluxit; neque enim ſemina concordiæ Ratiſbonæ à Legatis Pontificijs & Patriarchâ Aquileienſi iacta adoleſcere permiſit furor; qui cùm Friteſlariæ iterum aciem inſtruxiſſet, ægrè breues in ſequentem annum ferias Legatorum honori conceſſit: quæ mox VII. Kal. Februarij ſummâ hieme Fladichemij nouo prælio interruptæ ſunt. Riuus altus anguſto alueo vtraque caſtra interluebat.

Chron. Auguſtenſe.

REGES ITERVM CONCVRRVNT. M.LXXX.

Fabricius Flu.

luebat. Rudolphus erecta in cliuum acie frontem Ottoni commiſerat, ut in veteranum Ducem tranſiturus hoſtis incurreret. Rectè meditata Henricus euertit. Ottonem enim vitabundus, circumductis ſilentio copijs, repente ſe à tergo oſtendit. Rudolphus cladis eo loco, quo nihil admodum roboris erat, accipiendæ metu, Ottonem monuit, ne Henrico à ſe diuertenti prodeſſe fallaciam pateretur, occurrerétque ſuis fugitiuis ea ipſa declinatione & circuitu confeſſis, victoriam eſſe, qua parte pugnet Otto. Is & hoſtis de ſe & Regis iudicio delectatus cauſabatur tamen graue agmen, quod conuerti tanta feſtinatio non patiatur: pugnarent quibus id ſors dediſſet, oſtenderéntque Henricianis agmen Saxonum à fronte & tergo bonitate cauſæ munitum utrobique vincere. Citiùs nihilominus quàm hoſtes vellent, in conſpectu fuit, nullóque eos loco paſſus conſiſtere in fugam auertit: ex quâ cùm ſe nonnihil collegiſſent, & non procul Wartberga arce corpora curarent, noua incurſione vexati & impedimentis omnibus exuti ſunt. Et hanc

dichemium ad flumen Vnſtrutum collocat.

OTTO ITERVM VICTOR.

hanc & alias, quas commemorauimus, victorias carpi à ſcriptoribus æmulis trahíque ad Henricum ſcio, ridendâ fiduciâ, ſi reſtitui aciem ſtilo exiſtimant, aut plauſu ſuo ſanguinem ſiſti. tranſmiſſum nihilominus ad poſteros exemplum eſt & fabulandi licentia; vt qui noſtri æui bella olim lecturi ſunt, nihilo ſint futuri nobis certiores, & ſi ſuffragia colligere annalium cœperint, ſæpe triumphum decreturi victis, qui plerunque tanto plures habent præcones, quanto miſeriorem fortunam. Rudolphus victoriæ nuncio ad Pontificem miſſo, finem aliquem malis orauit, aut certè patrocinium manifeſtius. Indignum eſſe, Henricum, cùm omnia Tyranni agat, tamen ſalutari Regem. ſi paria vtriuſque iura Pontifex faciat, ne bonis quidem conſtaturum, vtrum potiùs ſequantur: neque ſe, niſi altero abdicato, raptæ coronæ invidiam effugere poſſe. quæ verò maiora documenra exſpectari inſanabilis ingenii, quàm quotidianum innoxii ſanguinis proluuium, euerſas aras, profanata ſacra, ſacrorum Antiſtites vel exules vel captiuos, pernicaciam

RVDOLPHI DE HENR. APVD PONT. QVERELÆ.

vicaciam aduerſus bene monentes, & ſanctiſſimæ in terris auctoritatis contemptum? poſt quæ facta qui pius poſſit dici, nihil habere vtique, quo vel famam ei prodigere liceat vel innocentiam. Gregorium & hæc magnis affirmata teſtibus, & illud potiſſimum, quòd conatus ſuos omnes pro pace tam proteruè ludificatus eſſet, permouerunt ad triſtiorem ſententiam ferendam; quamquam ad illam ipſam acceſſit lacrymans & prorſus patris affectu, quem filius cogit eſſe crudelem. Obteſtatus more ſuo Apoſtolorum Principes, & Henrici in ſe & Rempub. iniurias ijs conqueſtus, Albo piorum nomē eius eximit, eóq; abdicato, omnia regni iura in Rudolphum transfundit. & tum demum credi poteſt, decantatam ad inuidiam uſque Coronam eidem miſſam, quam hoc in orbem Epigrāma obierit: HENRICO ABDICATO REGNVM RVDOLPHO CONFIRMATVR.

Petra dedit Petro; Petrus Diadema Rudolpho.

Nam Sigebertus, qui ad Moguntinam inaugurationem eam obtrudit, oculos ſcilicet Pontifici configere voluit, gratus eo nomine Sectarijs noſtris ſcriptor eandem odij facem ſtre-

nuè quatientibus; cùm ipſa rerum ſeries, quæque illis magno numero impingi poterant Pontificiæ Epiſtolæ ſatis oſtendant, Rudolphum Gregorij ſuffragatione non modò in ſolium non ſublatum aut condecoratum inſignibus; ſed, ſi vota eius valuiſſent, ne nunc quidem alium præter Henricum regnaturum fuiſſe; quòd ſine ingenti Germaniæ ruina hanc qualemcunque illius columnam conuelli deijciq; non poſſe certo animi præſagio proſpexiſſet. Neque aliter euenit. Mox enim vt tanti dedecoris fama Henricum perculit, impotens animi nihil moderatum neque agere neque loqui; & cùm vindicta alia omnis minor videretur, talionem ſuſpirare. Nec defuere, qui alerent inſaniam ſummi vtriusque ordinis viri. triginta ſacrorum Antiſtites paratam illi operam ſpopondere, ſi quid in fulminatorem ſuæ gloriæ meditaretur, maius ſibi in Tiaram illius ius dictitantes, quàm ipſi in Diadema fuerit; quique Regis ſolio inſidiatus ſit, breui cathedram non habiturum. Locus ſceleratæ huic Gigantomachiæ in BOIARIA quæſitus;

GREGOR. INIQVISSIMA SENTENTIA EXAVTHORATVR.

ganto-

Digitized by Google

placuítq; Brixina, quæ, diuiſis aliquãto poſt prouincijs, Tiroli acceſſit. Vrbs eſt in Italiæ Germaniǽque confinio ſita, & vtrinque commeantibus opportuna; ſede inſuper Epiſcopali nobilis, quam Altuuinus tum tenuit Popponis ſucceſſor, eius, qui inde ad Pontificatum euectus nomen Damaſi II. tulit: vt proinde quæ infamandi loci cauſa ab eo, qui D. Anſelmi Lucenſis vitam ſcripſit, coacéruata ſunt, plus fellis habere conſtet quàm candoris. Hæc enim illius Satyra eſt: *In loco ſiquidem horrido & aſperrimo, in medijs niualibus Alpibus, vbi fames aſſidua & frigus penè ſemper continuum, locus ipſe vicus eſt, pro ciuitate, qui* * *Brixinorium vocatur, altiſſimis circumdatus ſcopulis, vbi etiam vix nomen obtinetur Chriſtianitatis.* Quæ vtcunque ad inuidiam exaggerata minùs erubeſcenda vrbi ſint, etſi verè obijcerentur, quàm ad ſummum ſcelus coniuratis pietatis hoſtibus patuiſſe; qui ſine mente & fronte VII. Kal. Iulij Gregorium in ordinem redigere

BRIXINENSE CONCILIABVLVM.

* *Corruptè pro Brixina Norica.*

gere & Guibertum Rauennatem Chriſtianis Ouilibus Lupum immittere ſunt auſi. Triſtis longáque oratio ſit, quæ omnia in Gregorij innocentiam probra velut de plauſtro iacta velit complecti. Diris deinde imprecationibus inſontium capita deuota; quos inter etiam Welfo BOIARIÆ Dux fuit: Epiſcopis Gregorij & Rudolphi fautoribus a-ris ſacríſque interdictum; proſcriptis ſucceſſores dati; nemo ſine æmulo relictus; vt breui, quod non inſcitè ex Comico Auguſtani Chronici Auctor huc tranſtulit, omnia congeminarint: quo factum eſt, ut cùm diſtracta in contraria ſtudia plebes Chriſtiana biceps Imperium, ſciſſum Sacerdotium, duplicatas omnium penè Eccleſiarum Infulas aſpiceret, velut certam ruinam minante orbe, ne id quidem ſciret, his potiùs an illis ſeſe mox caſura adiungeret. Iam cùm Religionis nomen omni claſſico potentius vtraque factio, pari conſtantia, pro teſſera ferret, negarétque ſalutis extra ſua caſtra copiam aut ſpem ſuppetere, non potuit de Cœlo æterníſque opibus orta lis verbis abſolui; cùm perire

FOEDISSIMVM SCHISMA.

Digitized by Google

rire ſe quiſque mallet, quàm dici impium, & haud dubiè dignus conuitio videretur, qui pro Deo & æternitate mouere manum differret. Hinc Welfo non vnum ſibi hoſtem aut ſimplex bellum depoſcere; ſed ruere vndique, & omnes Henrici clientelas euaſtare; nihil ſanctum credere, quod illius nomine eſſet conſceleratum. Sueuiam Henricus Friderico Stauffenſi, exauthoratis Rudolpho & Bertholdo, commiſerat; Vdalricum Marquardi Carantani F. S. Galli Monaſterio præfecerat, cùm Rudolphus Luitholdum nominaſſet: Sigefridum Auguſtanis Antiſtitē, Wigoldo iam ritè creato, ſuperinduxerat. Ea Welfo non ferenda ratus nihil in Sueuia Friderico tutum, nihil Sangallenſi, nihil Auguſtano inuiolatum reliquit: hunc inſuper in ſua vrbe vexauit, ſuburbanis flammâ deformatis, quæ D. Petri Ædem hauſit; quā iniuriam qui deplorat auctor, etiam Altmanno Batauenſi dicam impingit, vt cuius conſenſu Welfo audentior factus verecundiam ſæuiendi exuerit. Sed Altmannum non potuit non odiſſe emancipatus Henrico ſcriptor;

WELFO IN HENR. INSVRGIT.

Burcard. in Caſib. Monaſt. S. Galli. c. 7. Chron. Auguſt.

B. ALTMANNI EXILIVM.

ſcriptor; etſi famæ illius non incommodat, quam, vt alia deeſſent, tolerato virtutis causâ exilio, longè ſupra inuidiam extulit. Exulāti Hermannus Ducis Luitholdi F. ſuffectus eſt, quē poſt bienniū ex alieno ſolio mors detraxit, reſipiſcētem tamē & furtiui honoris ſpolia Altmanno remittentē. Auſus nihilominus etiā eſt Thimo quidam, Henrico iterum auſpice, in eadem fata ruere, & capeſſere inconceſſum Epiſcopi nomen, cùmque prædo eſſet, venditare ſe paſtorem: ad quem modū etiam Gebhardo Saliſburgenſi ereptā infulam Bertholdus inuaſit nulla re quàm templorū exſpoliatione celebrior; quæ cùm ſola monumēta reliquerit, vnum ex ijs hoc loco cenſui repræſentādum. Gebhardus anno ſeptuageſimo quarto Admontenſe cœnobiū intra Alpes BOICAS ſtruxerat raro omine confirmatus, quod ab linguæ auriúmque vſu in eam vſque diem capto acceperat; qui eum deſtinata animo iuſſit exequi; Deum operi fauturum. Cui deinceps nihil quidquam prolocuto in Gebhardi funere merces oraculi perſoluta eſt, vtroque naturæ vitio correcto.

Vita S. Altmanni.

ALTMANNO SVFFECTI, IN PASSAVIENSI EPISCOPATV. ITEM GEBHARDO SALISB.

BERTHOLDVS SALISB. ANTIEP. PRÆDO.

Intu-

Intulerat Gebhardus Admontenſi Ædi * Bullam auro gemmiſque diuitem, Pontificum geſtamen, Græci Imperatoris donum, ad quem legatus Cæſaris ierat. Eam diripiendam Bertholdus aſſeclis ſuis permiſit; è quibus duodecim contactu eius verſi in rabiem, orto inter partiendum iurgio, gladijs concurrêre: octo cùm cecidiſſent, idémq; reliquos maneret exitus, Æditimus funeſti prælij ſpectator captam in fruſta bullam furentibus obiecit, intempeſtiuæ pietatis pœnas, morte eodem anno obita, pependiſſe creditus. Sed à minore clade ad publicam alteram, quando hæc ſola ferè temporum horum ſeges eſt, reuertamur. Octobri menſe Saxonia Henrici armis repetita. Aduentanti obuiam itum iiſdem, quibus antehac, animis; numero etiam maiore: quæ Henrico cauſa fuit, aperto Marte fortunam non irritandi, ſed dolum opponendi virtuti. Conclamatis ſubitò vaſis, iter Erfordiam intendit, habiturus ſine dubio à tergo Rudolphum, niſi viciniore illum periculo à ſe remouiſſet. Ergo velociſſimis equitum imperat, vt vicis circa

Autor vitæ Rationale vocat.

SACRILEGII POENA.

REGVM PRÆLIVM.

Bruno. Bertholdus. alii paſſim.

Goſlariam incenſis & peruaſtato raptim agro, triſtiſſima quàm fieri poſſet exempla ederent; quorum terrore ſimul ac hoſtem in ſe conuertiſſent, curriculo ſe reciperent. Dictum, factum: Ita Rudolphus ne Goſlariam perderet, fugitiuum omiſit. Imminebat etiam Naumburgo Henricus; ſed noſtrorum celeritate præuentus ad Elſtram flumen populabundus deflexit; ibique, quòd vadum non reperiſſet, caſtra communijt. Proximo die ipſis Idibus Octob. instructa acie Rudolphum, contempta raritate peditum illius, prouocauit, vel exprobrandæ ignauiæ, ſi certamen detrectaſſet, vel obtinendæ victoriæ, ſi ſui copiam feciſſet, ſpe inflatus: Rudolphus cùm deſilire in pedes equitatûs partem iuſſiſſet, carmen militare è ſanctioribus

Eſt Pſal. LXXXII. Dauidis Odis auſpicatus cantandum ſacratis viris tradidit, maius in diuinis vocibus robur ad animandum militem, quàm in compoſita oratione exiſtimans. Eò iam ventum erat, vt ſola vtraſque copias Gronana palus diuideret; & ferocibus vtrinque dictis verberabantur tantiſper aures, donec circumita

cumita palude ad manus ventum eſt. Henricum nec pudor ſuus, nec militum ardor, neque adeò læta initia morata ſunt, quo minùs ex acie profugus ſibi loco caueret. Ea nihilominus in deſerto milite vis fuit, vt altero Rudolphi cornu pulſo, velut explorata victoria, Væ victis, ingeminaretur. Intolerabilis auribus liberis cantilena vt in ſuos vindicaretur auctores, Otto noſtræ olim gentis Princeps ſæpe iam nobis, neque vnquam ſine laude productus in medium tripudiantium inuectus agmen intempeſtiuas voces momento repreſſit, non modò victoria ſed etiam fuga hoſtibus erepta; quos pecorum ritu in Elſtram actos ignaua ferè mors obruit pulchriùs in ſanguine quàm flumine nataturos. Ruebat deinde in prædam miles, increpante Ottone, quòd temeritatem, quam in hoſte iamiam caſtigaſſet, mutare virtute ſua non erubeſceret, & prædo mallet fieri quàm victor; quin potiùs integras in aciem vires referret, ad impedimenta diripienda etiam feſſis roboris ſatis fore. Rectè conſuluiſſe res docuit. Redux in locum certaminis

HENRICI FVGA.

OTTO VICTORES VINCIT.

Digitized by Google

Henricum Lacham pro victore ſe ferentem cantantémque epinicion cum iuſto exercitu reperit; ad cuius aſpectum trepidare vir fortis poterat, ſi copiolis ſe ſuis potiùs, quàm viribus Numinis metiretur: illo ergo fretus, cui ad victoriam etiam vna manus ſatis eſt, prælium init abſoluítque eodem tenore fortunæ, vel cæde vel fuga, vno die bis victor, & quidem hoſtis ſua opinione iam victoris. Tum denique prædæ poteſtas facta; in quam tota ſeptendecim Epiſcoporum ſupellex, auri factí infectíque ingens vis & direptarum vrbium recentia ſpolia ceſſere. Æquata nihilominus vel ſuperata etiam quantacunque victoria vnicâ clade fuit, quæ Rudolphi morte accepta eſt: is dextrâ præciſâ & ventre ſuffoſſo viuus tamen pugnâ exceſſerat, nihil imminutâ ergà debilitatum reuerentiâ; iurantibus Saxonum Proceribus, alium neminem, Scæuolâ viuo, qui Patriæ dextram impenderit, apud ſe regnare paſſuros: quâ fide mirificè delectatus negauit ſuauiorem vitæ fructum eo conſenſu vel vnquam cepiſſe ſe, vel in poſterum capturum;

VICTORIA RVDOLPHI MORTE FOEDATA.

rum;

rum; neque de fato ſuo conqueri; ſatis ad gloriam vixiſſe: porrò ea videre Reipub. eſſe tempora, cui vna manu eáque inermi prodeſſe quantumuis bonus Princeps ſatis non poſſit. Triduo ſuperfuiſſe victoriæ reperio. Mortuo Merſeburgi cultu Regio parentatum; exæquatúſque veris laudibus Iudæ Machabæo eſt, vt qui ipſe quoque glorioſiorem triumphis mortem inuenerit; quam vt æmuli fœdarent, deteſtatum eos, qui inuadendæ coronæ auctores ſibi fuerint, finxere, profeſſúmque, Henrico ſe, quas debuerit, pœnas dediſſe eadem dextrâ, qua olim fidem illi dederit: nunc manco ſibi moriendum; & vt perfidiam exprobrare tumulus mortuo poſſit, eum ſe non ampliùs integrum ſubiturum. Henrico mors Rudolphi pro victoria fuit; iactabátque deinde palàm, Goslariæ ſub finem anni domitis Saxonibus ſe ius dicturum; qui tamen eò properantem ne fines quidem ingredi ſunt paſſi. Magis etiam iiſdem irriſui fuit, cùm miſſis Legatis ſolicitare eos inſtitit, filium vti ſuum regno dignarentur, ſi tantum patris eos odium cepiſſet. id ſi

Fabric.

Vrſperg.

CALVMNIÆ IN RVD.

HENRICI IRRITI CONATVS.

id ſi impetraſſet, in Saxoniam ſe pedem ampliùs non illaturum. Legatos Otto ſimplici parœmia abſoluit, Mali corui rarò bonum ouum eſſe dictitans, & ferocientis tauri etiam vitulum metuendum, vbi cornua ſumpſiſſet.

V. Henricus cùm vota pariter conſiliáque ſua ludi animaduerteret, animum ad Italiam adiecit, vt Guiberto monſtro ſuo ad Pontificium, ſibi ad Imperium viam ſterneret. ne quid tamen, abſente ſe, in Germania turbaretur, factionis ſuæ Epiſcopis Colonienſi, Treuirenſi, Babenbergenſi, Spirenſi & Traiectenſi negotium dat tentandæ pacis.

COMITIA PACIS SANCIENDÆ CAVSA COACTA. A. MLXXXI.

Conuentum anni octogeſimi primi initio, ad Viſurgim flumen, in Capuana ſylua; cúmque ſecretum id colloquium aduerſarij vellent, negarunt Saxones de Repub. priuatim quidquam ſe acturos. Inter congreſſos diu ſilentium fuit, Henricianorum faſtu; qui cùm concilium poſtulaſſent, velut vltro vocati audire cauſas quàm dicere præoptabant.

GEBHARDI SALISB. ANTIST. ORATIO.

Gebhardus tandem Saliſburgenſis Antiſtes excitatus à noſtris, in hanc ſententiam, pro communi Saxoniæ cauſa, quæ

exuli

exuli ipſi tunc pro patria erat, eſt locutus. Magis animos ad dicendum, quàm orationem deeſſe cuiquam noſtrûm, certum habeo, Amici, in malis, quæ modum exceſſerunt, & medicinam vel deſperant vel ſuperant, nec medicis nec ægro lubet verba perdere. ipſæ etiam lacrymæ cùm gratiam amiſerunt, & miſeratione ſpectantium non ſubleuantur, in miſeris exareſcunt; & maximus ille dolor eſt, qui introrſum fugit & ſaucio corde abditus explicari linguâ vel non vult vel non poteſt. quæ ad excuſandũ partis noſtræ ſilentium præfari viſum. nam vt apud hoſpites noſtros diſertiſſimos Antiſtites variæ illius cauſæ ſint, Saxonia hanc vnam eámque veriſſimam habet, quòd ſuæ illam calamitates elinguarunt. Octo anni in lanienam illius abſumpti ſunt; capitibus, quotquot fuere mumeroſiſſimæ gentis, velut in arenam deſcriptis & crudelitati ad flammam ferrúmque addictis, ſuffecit miſera ad tam diuturnum ſpectaculum, ſine ſpe miſſionis. hebetatum eſt totius Germaniæ ferrum in iugulo noſtro; idque porrigere (quæ id credet ætas?) iuſſi ſu-

mus

, mus nullius ſceleris conuicti; ſed ne ac-
, cuſati quidem; niſi ſcelus eſt, quòd nati
, liberi detrectauimus iugum & vnius
, hominis libidini noluimus mancupio
, dari: quem quidem id ſperare auſum
, palámque moliri nonne ſignum fuit ex-
, tinctæ in eo humanitatis? fuiſſe verò
, qui graſſantem eò auxilijs conſiliiſque
, iuuarent, forte & impellerent, probrum
, eſt ſeculis etiam barbaris inauditum; ut
, de hoc noſtro, Chriſtianúmne fuerit,
, neceſſariò omnis poſteritas ſit dubita-
, tura. Quiritantes & Diuûm hominúm-
, que fidem implorantes audiuit orbis
, terrarum, quàm pronis auribus (nemi-
, nem priuatim ſugillamus) res loquitur;
, & credimus quibuſdam mentem non
, defuiſſe, ſi fides coli ſine periculo po-
, tuiſſet, aut clientes minùs miſeri fuiſ-
, ſent. Nihil, quod inuitaret patronos,
, apud nos erat, præter bonam cauſam;
, cuius tamen candorem miſeria noſtra
, obfuſcat; & neſcio quomodo fatale eſt
, infelicibus, vt ægrè credantur innocen-
, tes. At enim quid querimur patronos
, nobis defuiſſe? etiam iudices negati
, ſunt; neque infimum miſericordiæ ge-
nus

Digitized by Google

nus impetrauimus, ne moreremur indemnati. Ignoſcimus, quòd nullum aſylum nobis reliquit ira Principis; tribunal aperuiſſet; quóſque clementiâ indignos putauit, radio iuſtitiæ perſtrinxiſſet. vltimum ſolatium perituri rogauimus, Exitij cauſam; quæ etiam crucem meritis per præconem dicitur; nec latronem carnifici damus, niſi qui facta de ſe arbitria approbauit, agnouit certè. O nos perditos & afflictos, ſi, cùm ituros in rotam hac reuerentiâ dignamur, Saxoniæ pulcherrimæ prouinciarum ſine prætore pereundum eſt, & tot millia ciuium ne in ſepulchrum quidem alium titulum habent, quàm quòd impenſi crudelitati regiæ ſint; & quia prodigere libertatem abnuerunt, dare ſanguinem coacti ſunt, non Tyranno (auerſamini enim hoc nomẽ) ſed Principi ſuo, aut, ſi mauultis, Patriæ Patri. Et nimirum hoc iam agitur, eâque credo gratiâ, (ipſi enim non explicatis) huc conuentum eſt; quærentur ſententiæ, quibus conditionibus cum Rege tam miti in gratiam redituri ſimus. Equidem verecundè à Legatis factum interpretor, quòd

ad

Digitized by Google

„ ad ſuadendam hanc pacem nemo ſur-
„ rexerit. etiam duro ori difficile ſit verba
„ reperire commendantia nobis Princi-
„ pem, qui dolet aliquas noſtri generis re-
„ liquias ſupereſſe; qui noſtra nobis exilia
„ inuidet; qui eos, quibus præter animam
„ nihil reliquit, nimis tamen putat eſſe
„ felices. Amabile ſine dubio pacis no-
„ men eſt & deſideratum nobis, etiam
„ antequam tantum ſanguinis miſimus;
„ ſed tamen triſtiſſima omnia bello ex-
„ perti nunquam miſeriores fuimus,
„ quàm cùm nos noſtráque omnia Hen-
„ rico in fidem dedimus, tantò opportu-
„ niores iniuriæ, quantò magis inermes &
„ amicitiæ pacíſque fiduciâ ſecuri. Igitur
„ quos noſtri vnquam miſertum eſt, ij,
„ quia in bellis noſtris triumphos nume-
„ rant, calamitoſos fuiſſe negant, quam-
„ diu armati fuimus; ſed cùm dedititijs
„ noſtris, poſt iurata fœdera, vincula inij-
„ cerentur; cùm gentis proceres, genero-
„ ſus ſanguis, facinoroſorum ergaſtula
„ ſubirent; cùm exulibus noſtris Germa-
„ niæ vrbes arcéſque non ſufficerent in
„ carcerem; cùm exarmata plebs & deſti-
„ tuta Ducibus ſuis ſub Tyrannide geme-
ret,
Digitized by Google

ret, quæ ſeruitutem antea bello effuge-
rat; illam denique lamentabilem fuiſſe
pacem æqui iuxtà iniquíque conſenſe-
re. cuius memoriam etiam Legatos de-
teſtari autumo, eóque oratione omni
conſultò abſtinuiſſe. At enim nunc ma-
gnis ſponſoribus de Principis conſtan-
tia nobis cauetur: quaſi vel priori fœde-
ri fideiuſſores, aut ulla religio vel huma-
na vel diuina eidem roborando defuiſ-
ſent. Nunc ne illud quidem video, qui-
bus religionibus pax confici poſſit. Ca-
put Henrici diris deuotum eſt; ſacer
ipſe & inteſtabilis tribúque piorum
motus exulat à ſocietate generis huma-
ni; quæ quanquam vobis ridicula ſunt,
qui clauum clauo oppoſuiſtis & aliis ſa-
cris alióque Pontifice gloriamini: ne
quid tamen diſſimulem, tam Henrico
regnum, quàm Guiberto Pontificium
ſtabiliſtis: quem quidem mimum ve-
ſtrum & inauſpicatum in re nimis
quàm ſeria ludum boni omnes tanti-
dem æſtimant, quanti ſi aliud orbi Nu-
men dediſſetis. quod velim tam ſimpli-
citer ad veſtras aures accidat, quàm
candidè à me dicitur. Magnum vobis
I cam-
Digitized by Google

„ campum aperui, & polliceor beneuolas
„ aures. Exſoluite religione animos no-
„ ſtros; vindicate à turpitudine fœdus, ad
„ quod inuitamur. condonamus vobis
„ veteres omnes iniurias, ſi pacem dare
„ poteſtis cum nullo ſcelere coniun-
„ ctam; iurabimus in verba Regis, ſi pro-
„ pitio id Numine facturos oſtenditis.
„ Alioqui bis iniqui in nos eſtis, ſi quos
„ bellis miſeros effeciſtis, pace fieri im-
„ pios cogitis, & poſt fortunas etiam in-
„ nocentiam eripitis. Maius etiam poſt
Gebhardi orationem ſilentium fuit.
Diu inter ſe muſſantibus id tandem ex-
preſſum, nulla ſe diſceptandi de iure re-
gio mandata accepiſſe: Pacis ab ineunte
Februario ad Iunium vſque ſanciendæ
causâ adeſſe. Quærentibus noſtris, qui-
buſcum pacem eſſe placeret? cum Ger-
manico nomine vniuerſo reſponſum
OTTO PACI INTERCEDIT. eſt. Ibi Otto excandeſcens, Egregios Pa-
cificatores, inquit. Italia noſtrum Ca-
„ put habet; vos pacem Germaniæ pro-
„ mittitis, id eſt, trunco corpori; in quo
„ lacerando feſſi quia ſaluo id capite vi-
„ detis extingui non poſſe, illuc rabiem
„ vertitis & nobis interim ſomnum indi-
citis,

citis, ne quis ſcutum objiciat pericli- ‘
tanti, cuius ſpiritu nos quoque viui- ‘
mus; aut vobis in ſacrilegio occupatis ‘
negotium faceſſat. Id vos ſcilicet pacem ‘
vocatis, quantò ſimpliciùs facturi, ſi li- ‘
centiam latrocinij petiiſſetis? Serite ſa- ‘
nè foris bellum, ſed domi incruentam ‘
meſſem ne ſperate. Iniuriam capitis ‘
omnia membra vlciſcemur. ‘

Vera dicere & æqua poſcere Ottonem ipſimet Henriciani milites, qui proceribus circumfuſi magno numero aſtabant, ſucclamarunt. Dignos eſſe Saxones, qui & vicerint vincántque in poſterum, pacémq; ſibi manu pariant, quæ tam modeſtæ orationi negetur.

Henricus pace infecta Martio nihilominus menſe iter Italicum ingreſſus Germaniam Friderico Stauffenſi commendauit. Saxones minarum & propoſiti memores Franconiam latè populati Auenbergæ Welfonem cum ſociis Sueuorum cohortibus obuium nacti noua de Rege creando conſilia agitarunt. Nemo Hermanno Lucemburgio potior viſus; tot in eo regiæ dotes numerabantur. Igitur deſtinatione publica addu-

HENRICI ITER ITALICVM.

Bruno. Chron. Auguſt. Chron. Auſtral. Berthold.

HERMANNVS LVCEMB. REGNO DESTINATVS.

adductus in ſpem regni rectà contra Fridericum eſt profectus; eúmq; Höchſtadij aſſecutus extemplo collatis cum eo ſignis conflixit. Numero Fridericus, Hermannus virtute præſtitit, eámque victoria ſecuta eſt. cæſi fugatíque hoſtes etiam caſtra diripienda præbuerunt; memorabili Fortunæ in Hermannum indulgentiâ Regni decus & Triumphum in primum illi triduum compingentis: nam cùm V. Idus Auguſti Rex acclamatus eſſet, poſtridie victor in hoſtium caſtris pernoctauit. BOII, extra Welfonis clientelas, ſub Friderici ſignis eandem cum illo aleam ſubiere.

VICTORIA HÖCHSTADIANA.

Io. Staindl. Arnpekius.

CVNO ROTENSIS DYNASTA BELLO CÆSVS.

COENOBIVM ROTENSE.

Nobile inprimis Cunonis funus fuit, qui Cunone Com. Palatino natus Eliſabethæ Lotharingæ maritus inter geniales epulas & feſtos hymenæos tactus religione, ne ſobolis ſpem Deo potiorem duceret, illi opum velut primitias conſecrauit, nobili monaſterio, cui Rotæ nomen eſt, Diui Benedicti Sodalibus extructo. Ei cùm DD. Marini & Aniani illatis exuuijs ſanctitatem conciliaſſet, ſplendorem etiam, lautâ re familiari prælargè eò congeſta, contulit; pactus

inſuper

Digitized by Google

inſuper, vt, ſi liberos fruſtra ſperaſſet, Diui hæredes ex aſſe eſſent. Pater filio ſuperſtes bello cæſum Ædi ſuæ intulit dignum qui in meliore cauſa occubuiſſet. At enim hoc illud tempus fuit, quo, ſi vnquam aliàs, delirabant Reges & plectebantur Achiuj; cùm priuatim ipſi innoxij non bonam mentem, ſed virtutis occaſionẽ amiſiſſent. Gloriam obſequij fideíque erga qualemcunque Dominum (vt tum mores erant) quærentibus non vacabat Regum imperia eorúmque cauſas ſciſcitari; arma animóſque ad bellum attuliſſe contenti, conſilium & virtutis ſuæ regimen Ducibus relinquebant. Scrutari iura ſummorum Principum, examinare armorum æquitatẽ non credebant eſſe plebeij ingenij; & vtique cùm in caſtris ſuis Epiſcopos viderent, dubitandi locus non erat, in militiámne an in latrocinium nomen dediſſent: & ſi maximè liberet eſſe curioſis, quanto plauſibilior erat cauſa Henrici quàm Rudolphi, qui velut ſolſtitialis herba pauliſper ſtetiſſet, repente exortus & extinctus? Hermanni verò multo etiam minor dignatio; & iam militari

EXCVSATIO TEMPORVM.

Helmoldus in Chron. Slau.

litari conuitio non Laureatus ſed Alliatus Regulus audiebat; quòd campus, in quo Regium nomen ſumpſerat, Allij ferax eſſet. Igitur opinione ſua pro Rege & Regno contra Tyrannos euerſoréſque iuris humani autorati, lacrymabili ſed ſpecioſo tamen errore ferebantur in iugulum æquitatis & Religionis, cuius ſe ſatellites tutoréſque profitebantur. Alioqui ſine hac infelicitate fuiſſet, haud facilè fertiliora illuſtrium exemplorum & pietatis magnificè cultæ tempora, quàm hæc ipſa Henriciana ſunt, vel antehac commemorauimus, vel in poſterum reperiemus; quod etiã Thaſſilone imperante monuimus, quo pernicioſiorem Regem cùm BOICA non habuerit, Religio tamen, nullo alio Principe, caput altiùs extulit. Nunc in viam reuertimur. Victo Friderico, Auguſtæ Vindelicæ exercitum Hermannus admouit, Leopoldi Auſtrij, qui Erneſto Patri ſucceſſerat, nouis auxilijs adiutus. Vrbs viginti ampliùs diebus obſidionem fortiter tulit, ſuburbana iniuriæ patuerunt. Leopoldum etiam domi ſuæ hoſtis exercuit infelici bello,

Chron. Auguſt. AVGVSTANA OBSIDIO.

AVSTRII CVM MORAVO BELLVM.

quod

quod nunc exequar. Veteres illi cum Conrado Morauo ſimultates intercedebant quotidianis iniurijs natæ, quas inter confines populos eóſque non amicos tam prohibere difficile eſt, quàm vindicare. Teia fluuius vtriuſque proninciam ſecabat, aptus limes, ſi vis abeſſet; ſed aduerſus auaritiam parum munitus, & vltro citróque commeantibus ad auehendas prædas, incendia villarum, & agreſtium inter ſe rixas, vadum præbiturus. Conradus apud Leopoldum ſæpe queſtus nihil ex voto impetrauit; quòd in paribus vtrinque facinoribus & querelis, difficilis eſſet damnorum æſtimatio. Ille nihilominus habere ſe cauſæ ſatis exiſtimauit, vt res bello repeteret; quod non ſuis tantùm viribus, ſed accitis Bohemorum auxiliis & Ratiſbonenſis Epiſcopi Ottonis ſtipendiariis cohortibus geſſit, qui Henricianæ factionis ſtudio Leopoldo infenſus hanc eius euertendi occaſionem auidè eſt amplexus: Bello vniuerſo Wratiſlaus Bohemiæ Princeps præfuit victoriæ tam certus, vt Leopoldo denunciaret, conuiuam ſe illi cum pauculis

Coſmas Prag.

OTTO RAT. EPIS. SE BELLO MISCET.

Digitized by Google

Vrſperg. Arenbek. & Chron. Auſtral. ad Ann. 1081. Leopoldi. Principis mẽbrana & Staindel ad Ann. 1082. referunt.

A. MLXXXI. *Berthold.*

ROMA FRVSTRA OBSESSA.

ſodalibus ad comiſſationem & aleam venire; quæ quidem cum inſigni Leopoldi clade Maurenbergæ IV. Id. Maij iacta eſt: de anno ſcriptores variant; vnde & nobis viſum inter octogeſimi primi & ſecundi confinium ſtatuere. Sub prioris finem Hermannus Goſlariæ, D. Stephani feriis, quem ſibi iam olim patronum adſciuerat, regia inſignia à Sigefrido Moguntino accepit. Henricus interim Romanæ vrbis obſidionem vel ipſe per ſe, vel per Guibertum abortiuum Pontificem ſuum gnauiter vrgens nihil dignum magnis conatibus præſtitit, Gregorij Pontificis ſanctitate machinis illius validiore; quam etiam flamma reuerita eſt, quæ hoſtili excitata fraude cùm iam vicinas D. Petro ædes depaſceret, vim Crucis, quam ille contrâ formauerat, non tulit, deſiitque latiùs ſerpere. Welfo per id tempus, vt Wigoldi legitimi Auguſtenſium Antiſtitis dignitatem tueretur, Sigefrido eiuſdem æmulo imminens, ex illius clientibus alios vita, alios oculis orbauit.

WELFO WIGOLDVM EP. AVG. TVETVR.

Chron. Auguſt.

A. M. L. XXXIII.

Octogeſimus tertius annus Ottoni BOIARIÆ olim Duci vitam, magno

Reip.

Reip. incommodo, abſtulit. Crus ante biennium cum equo prolapſus grauiter afflixerat, eo caſu admonitus, ne Hermanni honoribus aduerſaretur; quod quidem in poſterum egregiè præſtitit, vt vni illi Saxoniam omnem tutandam Hermannus reliquerit, cùm ad ferendas Gregorio Pontif. ſuppetias Italiam cogitaret, pio conſilio & tempeſtiuo, niſi morte Ottonis retractus in Saxoniam ordinandæ Reip. cauſa fuiſſet. Nos fortiſſimi viri, & ignominiâ, quam Principatu pulſus accepit, planè indigni memoriæ tanto fauemus impenſiùs, quòd nomen illius BOICIS inſignibus & velut familiæ ſemel inſertum non magis inde eximi potuit, quàm Phidiæ effigies ex ſcuto Mineruæ: & ſi maximè potuiſſet, obnitendum iniquæ proſcriptioni qualicunque ſcriptione, & paucorum iactura annorum immortalitate famæ fuit compenſanda. Henricus & morte Ottonis & mora Hermanni magnis curis liberatus, IV. Non. Iunij vrbem Leoninam, in qua Vaticanum eſt, in poteſtatem redegit, & ſanctiſſimi templi religionem Guiberti ſuppoſititia inaugu-

OTTONIS BOIARIÆ OLIM PRINCIPIS OBITVS.

HENR. VATICANO POTITVS ANTIPAPAM ERIGIT.

Vrſperg. Stadenſis. Berthold.

ratione profanauit. Inde ad reliquam vrbem oppugnandam verſus, cùm Palatino monti caſtellum & præſidium quadringentorum militum impoſuiſſet, declinandi æſtus causâ ad Langobardos eſt regreſſus, operam ſine dubio luſurus, ſi Romanos conſtantia non defeciſſet, & ferro inuicti pares auro Regio animos oppoſuiſſent. Nam neque copiæ aderant, quæ iure timerentur; & præſidiarios manus Numinis carpebat, numero breui ad tricenos imminuto. Romani nihilominus Henrico æquiores coronæ illi ſpem certa ſponſione fecerant; quâ etſi Gregorius non teneretur, commodi tamen publici quàm iuris ſui amantior impoſiturum ſe Henrico diadema promiſit, fauſta inſuper omnia precaturum, ſi modeſtiæ ſpecimen dediſſet. id ſi ab impotenti animo impetrare non poſſet, coronam ſe, quod malè verteret, etiam improbo capiti, ſed ſine bonis precibus & ſolenni pompa daturum. Has conditiones cùm Romani Henrico renunciaſſent, neutram acceptauit. Alterum hoc anno prælium inter *Wratiſlaum Bohemum, & Leopoldum

GREGORIVS CVM HENR. PACISCITVR.

SECVNDVM PRÆLIVM AVSTRIACVM.

dum Auſtrium, iiſdem quibus antea caſtris eodémque euentu geſtum Auſtriacis Annalibus traditur, causâ tacitâ; quam non niſi ex rebus geſtis S. Altmanni reponi poſſe ſentio. Henricus Leopoldi à ſe diſceſſione cognita, præfecturam limitaneam Auſtriæ eidem vt hoſti ereptam Wratiſlao commendarat; qui æmulum voluntate ceſſurum deſperans, deturbare eum armis eſt aggreſſus: & victoriâ quidem potitus eſt; Auſtriæ ſpe excidit. Equidem niſi Annalibus, quos nominaui, aliquid dandum exiſtimarem, facilè paterer hoc prælium cum priore confundi; cùm Leopoldus huius, quo de agitur, Leopoldi pronepos Maiorum ſuorum geſta executus vnius tantùm Maurenbergenſis prælij meminerit. Inimicitias nihilominus inter confines Auſtriæ, Morauiæ & Bohemiæ prouincias, datis acceptíſque cladibus exercitas, eáſque fami, quæ ferè bellorum appendix eſt, cauſam præbuiſſe non abnuerim; cui Altmannum omnes fortunarum ſuarum reliquias impendiſſe, & Patris Pauperum cognomentum ea pietate indeptum, idem

* *Chron. Reicherſpergenſe Conradum Fr. ſubſtituit.*

ALTMANNI IN PAVPERES LIBERALITAS.

idem ille, qui de rebus ipſius extat commentarius affirmat.

A. M L. XXXIV. Berthold. VRBS EXPVGNATA.

Anno ſequenti Henricus auro, quo Alexius Comnenus Conſtantinopolitanus Imperator eius operam contra Robertum Guiſcardum Calabriæ & Apuliæ Ducem emerat, Romam expugnauit, & ipſo Paſchatis die à Guiberto ſpurio Pontifice coronatus pro Imperatore ſe geſſit, paulo pòſt à Roberto Guiſcardo vrbe expulſus. Gregorius arce S. Angeli relictâ, Caſſinum primùm, deinde Salernum, ne à factioſis iniuriam acciperet, ſeceſſit. Henrico in Germaniam reuerſo prima Ratiſbona ad noxiam vſque illi fida, vt Cæſari, applauſit. Paucis illic moratus diebus cùm Auguſtam peteret à Welfone eo ipſo anno captam direptámque, tranſire Lycum, metu hoſtium littus prætexentium, non eſt auſus. Caſtris ergo aduerſæ ripæ impoſitis, cùm quotidie laceſſito & increpito tranſeundi copia fieret, quatuordecim dierum ludibria ſedentariâ patientiâ deuorauit. tandem hoſtibus metu Panico, quod Henriciani ſcripſerunt, conſternatis ad fugam,

HENRICI IN GERM. REDITVS.

Augu-

Auguſtam recepit. Verius eſt ad ferendas Bertholdo Zäringio ſuppetias eos in Burgundiam abijſſe. quâ ſimplici operâ Welfo non contentus, etiam Othone Conſtantiæ Epiſcopo Henrici aſſeclâ exacto, Gebhardo Bertholdi fratri mitram impetrauit. BOICA inter hos tumultus cœnobio aucta eſt. Wernherus Caſtri Richerſpergenſis dominus Gebhardo filio, quem ex Diethberga Gebhardi Saliſburgenſis ſorore vni cum ſuſtulerat, in ætatis flore orbatus opes ſuas Diuo Michaeli ſacrauit, unáque lites, quibus auari hæredes inter ſe collidebantur, incidit. Caſtrum ſtudiis pietatis aptatum incolis ex D. Auguſtini norma victuris tradidit; quibus etiam ſe, elatâ uxore, in diſciplinam iam magno natu dedit. Memorabilis etiam hic annus ſeueriſſimi inſtituti initiis, quod Bruno cum Sodalibus inter aſpreta Carthuſiæ amplexus eſt, triſtiſſimis vocibus hominis mortui excitatus, qui ex Sandapila æternùm periiſſe ſe, DEO Quæſitore, Iudice & Vindice lamentatus, ſalutem, quam ſibi dare non potuit, innumeris aliis oſtendit: præſertim cùm

WELFONIS RES.

INITIA COENOBII REICHERSPERGENSIS.

Chron. Richerſperg.

Ioan. Staindel, Trithem. in 1086. differt.

ORDO CARTHVSIAN. COEPTVS.

cùm eâ famâ vixiſſet, vt ad funus illius velut ad triumphum innocentiæ concurſus fieret, & bene precari tam piis Manibus ſuperfluum duceretur.

VI.

A MLXXXV.

Apolog. Henrici IV.

Berthold.

Vrſperg.

HENRICIANORVM CONATVS.

Habentur 2. q. 2 per totum.

Anno octogeſimo quinto, decimo tertio Kal. Februar. Gerſtungenſis, ſiue vt aliis viſum, Berchacenſis conuentus magnis partium ſtudiis, nullo ſucceſſu, actus eſt: Arietem reperiſſe ſe Henricianicredebant, quo Pontificis deuotiones, quibus Henricum execratus fuerat, conuellerent, vt malo more iuréque nullo vſurpatas; juſſúſque eſt à Conrado Traiectenſi Wecilo Moguntinus vetera ſcita recitare, quibus cautum eſt, vt ante conteſtationem litis, ei, quem reum peragere actor velit, ablata reſtituantur; ex quo effici volebant, Henricum hoſtium ſuorum acerbitate circumuentum exauthoratúmque nec in iudicium adduci, nec tam triſti ſententia fulminari potuiſſe; placebántque ſibi mirificè hoc veluti oraculo; contra quod Gebhardus Saliſburgenſis, qui & aliàs, & eo ipſo conuentu Pontificiæ cauſæ Achilles eſt habitus, ne muſſaturus quidem videretur. Et verò Apologetes

getes Henrici, quiſquis tandem ille fuit, prælargè affirmat argumenti robore oppreſſum herbam porrexiſſe, voce, quam opponeret, nullâ repertâ: quem vel ex Vrſpergenſi eiusdem factionis ſcriptore falſitatis conuincas, qui Gebhardi ſententiam recitat negantis ad Henrici cauſam opportunum fulcrum id eſſe: neque enim, quia tyrannide ſua Regis nomen perdiderit, lege cum eo agi non potuiſſe; alioqui ad impunitatem ſua improbis ſcelera valitura, & tutiſſimum cuique ſcutum fore, ſi gnauiter ſit impudens. Poſtulatum eſſe reum Henricum ab Alexandro & Gregorio, rebus adhuc integris: illum faſtu an metu iudicium ſubterfugiſſe. Regno non ante ſpoliatum eſſe, quàm à Pontifice reſtitutus numero piorum hac ipsâ eius indulgentiâ velut viatico ad vltimam improbitatem ſit abuſus. Oſtentata deinde aliquoties ſpe recuperandæ coronæ, quid vnquam pro reſipiſcente feciſſe? vt miriſſimum proinde ſit, legum omnium euerſorem, quique ius nullum vnquam pati potuerit, tandem è tabulis vaſtiſque legum omnium volumini-

GEBHARDVS SALISB PONT. CAVSAM TVETVR.

minibus vnam reperiſſe, qua teneri velit, quámque cauſidici pro damnato recitent, cui ſaluo & incolumi ſemper vis pro iure placuerit. Ita quidem Gebhardus. Nam Saxonum hoc velut militare & ſine ambagibus reſponſum fuit; non eſſe ſui pudoris, iudicium ſibi de ſententia Pontificis ſumere: qui tam duri oris ſit, vt litem illi de iure ſuo mouere auſit, ei Saxones nec forum nec arbitrum daturos. Ferociùs etiam egere quàm locuti ſunt, & nonnullos nimis Henricianos contrucidarunt. Paſchalibus, Piorum operâ, conuentus alter, Hermanno Rege & Ottone Epiſcopo Portuenſi Pontif. Legato præſentibus, Quendelburgi celebrat', & Gebhardi acta priore cum aduerſariis congreſſu confirmata, Wecilonis argutiæ erroris damnatæ. Factioſi ne nihil agerent, poſt quatuordecim dies etiam ipſi Moguntiæ conuenere; quos inter, quod ægrè eſt, non modò Ottonis Ratiſbonenſis, ſed etiam Meginvvardi Friſingenſis nomen reperio. humani aliquid paſſum metu triſtium exemplorum, quæ inter Patronos melioris cauſæ edebantur, neque niſi corpore

CONVENTUS QVENDELBVRGENSIS.

MEGINVVARDI FRIS. EPISMEIVS.

pore adfuiſſe ijs, à quibus animo diſſidebat, vtrumque perſuaſum habeo: & Sigebertum de illo, & ſi qui eius ſimiles fuere, loquentem intelligo, Actis illius conuentus *manu & ore nonnullos fauiſſe, corde tamen Hildebrando* (Gregorio) *adhæſiſſe.* Atque hic quidem hoc ipſo anno Salerni Calend. Iun. quas vltimas ſibi fore præuiderat, humana deſeruit. vltima illius vox fuit, *Dilexi iuſtitiam & odi iniquitatem; propterea morior in exilio;* refutante amicè vltima verba quopiam ex aſtantibus negantéque, cuius Imperium ijſd. cum orbe terrarum finibus circumſcriptum ſit, in exilio vel viuere poſſe vel mori. Argumenta ſanctitatis eius præterea, quæ rerum ſeries oſtendit, congerere non eſt huius instituti: gratulandum nihilominus BOICÆ, quæ Paulum Bernriedenſem, qui primus maximi viri res commentario illuſtrauit, veritati teſtem contra vaniſſimos calumniatores, quorum nemo plures Gregorio hoc paſſus eſt, ſubmiſerit; cuius vtinam BARONIO copia fuiſſet, quando clariorem

Chron. huius anni.

GREGORII VII. MORS. *Bernried.*

PAVLVS BERNRIEDENSIS VITAM GREG. VII. SCRIPSIT.

K facem

facem illuſtrandis Annalibns hoc quidem tempore prælucere illi nemo potuit. Sub idem tempus euileſcente Hermanni gratia, nonnulli Saxonum Henricum reſpicere viſi, quaſi ſuis alieniſque malis commitigatum non Tyrannum iam ſed Regem eſſent habituri. Ergo vltro ad ſe accerſito regnū reddidere id vnicum pacti, vt quemadmodum ſua ei iura reſtituiſſent, ita ſuas cuique fortunas, quas belli tempeſtas diſtraxiſſet, bona fide, ipſo etiam annitente, liceret colligere. Id cùm largiùs promitteret quàm præſtaret, accuſare ipſi credulitatem ſuam, deteſtari illius perfidiam, tantò peius odiſſe, quantò impenſiùs colere cœperant; denique vt feram belluam, quæ manſuefieri nullis officijs poſſet, patriâ exigere. Henricus plenus dedecoris in BOIARIAM primùm, deinde in Franconiam abiit, vtrinque copias contracturus, quas ſequentis anni initio Saxoniæ infudit. ſed quam nuper officijs deuincire neglexerat, fruſtra armis tentauit; cùm in recentia vbique odia & memores ſuæ crudelitatis incurreret; qui ingreſſu prohibitum

Sigebert. Berthold.

HENRICVS RESTITVITVR, ITERVMQVE EIICITVR.

ANN: M. LXXXVI. *Bertholdus. Sigebert. Chron. Auguſt. Apolog. Henr. IV.*

tum

tum in Boiariam reiecerunt; tergum etiam fugitiui premantes Paſchalibus ferijs Friſinga potiti ſunt, non invito Epiſcopo Meginvvardo, quem tempori nuper ceſſiſſe diximus. Boii cùm tota belli mole premerentur, neque operæ pretium cernerent, ſi Henrici causâ Saxones ſibi inimicos caperent, ijsdem fœdere iunguntur; cum Welfone in gratiam redeunt, & oſtentandæ fidei ſtudio cum eo Ratiſbonam proficiſcuntur Henricum obſeſſuri; cui cùm Fridericus gener Sueuiæ Dux & Rapoto Comes ſubſidio veniſſent, pro magno habuit, latere tecto poſſe diſcedere. præſidium deditione facta vnà cum Ottone Epiſcopo Welfonis partibus acceſſit; qui deinde in agrum Saliſburgenſem profectus Henrici clientelas magnis cladibus affecit. Eodem tempore Gebhardus Saliſburgenſis nonum iam annum exul ſolium recepit, Engelberti potiſſimùm Comitis operâ. Eius in vrbem ingreſſus, Altmanno Batauenſi & Meginvvardo Friſingenſi vtrumque latus tegentibus & populo obuiam effuſo, triumphi ſpeciem habuit, qualem

Boii Saxonibvs confoederati.

Gebhardvs Salisb. restitvitvr. *Ex vita S. Gebhardi.*

Digitized by Google

quidem viri virtus piiſque labores merebantur.

Iulio Menſe ad Cõuentus agendos BOII, Suevi & Saxones in Franconia congreſſi, inuito & frementе Henrico meditata exegere. Würceburgum deinde obſidere aggreſſi, vrbem totam vallo & munimentis complexi ſunt. Eam Fridericus gener Regis & Moguntinus Antiſtes principes Amicorum tuebantur: quorum ſaluti cùm metueret Henricus, viginti hominum millia ad ſoluendam obſidionem delendúmque hoſtem adduxit. Noſtri vt qua ſpe quibúſue auſpicijs belligerarent, palàm facerent, Crucem ſua mole & rubri coloris labaro latè viſendam in triumphali curru depangunt, & venerabundi in locum certamini deſtinatum pertrahunt. Welfo probroſum ratus coram Chriſtianæ militiæ ſigno, quod Rex noſter olim pedes in ſpinoſo diademate tulit, equitem ſe conſpici, iumenta vndique pio imperio ſubmouit totúmque agmen pedeſtre fecit. Cùm hoſtis in conſpectu eſſet, proni omnes in terram effuſi Numen precati ſunt, vt Cruci ſuæ illíque autoratis

PIETATIS CASTRENSIS SPECIMEN.

CRVCIS VICTORIA.

Digitized by Google

ratis militibus triumphum concederet. Inter quæ vota cùm animis concaluiſſent, in hoſtem ſui impotem & ſiderato ſimilem inuecti ſtrage demonſtrarunt, non ſuis ſe viribus pugnare. Crucis vim barbaris olim formidabilem Henriciani tunc non tulerunt. Diuinitus perterritos ne Sigebertus quidem negare auſus eſt. Colonienſes & Traiectenſes copiæ primæ vultum auertére. Henricum Ducis & militis functum munere inauratâ haſtâ pugnaſſe, extortámq; è manibus ſuo Marte recepiſſe autorem habeo. Bertholdus, qui prælio interfuit, Regijs inſignibus abiectis, ne agnoſci poſſet, priuati habitu profugiſſe ex acie inter primos, diſertè ſcripſit tanto dignior fide, quanto pluris eſt oculatus teſtis vnus auritis decem: cæſorum tamen numerum non init; alius innumerabilem fecit. Signa militaria omnia, gaza Regia & plurium Epiſcoporum opes ſpolium factæ: Ingenti victoriæ quindecim duntaxat noſtrorum funera impenſa: totidem, qui extra hos vulnus acceperunt, recenſiti. Pugnatum eſt III. Id. Aug. in campis Bleichfeldenſibus.

Chron. Aug.

Append. Lamberti.

Secuta deinde vrbis deditio eſt, receptúſque in ſolium ſuum Adalbero, ex quo illum Henricus, ſuffecto Meginhardo, deiecerat. Verùm eius victoriæ fructus perbreuis fuit; vrbe paulò pòſt ab Henrico receptâ; qui cùm Adalberonem ad partes ſuas pelliceret, blandientem ille minantémque eadem conſtantiâ auerſatus Morti ſe libentiùs quàm Henrico dixit occurſurum, impetratóque commeatu, Weinſpergum ſeceſſit. Sub finem anni Henricus in BOICA fuit, ſed inuiſus iam & non modò veteris Imperii, ſed ne hoſpitii quidem iure ſaluo. cùm nihil aduentanti pateret, Arcem agendis Natalitiis Chriſtianis deſtinatam vi aggreſſus eſt: ſed eam quoque Welfo & Bertholdus, adductis in tempore auxiliis, eluſére; quibus obſidentium quàm obſeſſorum conditio iniquior eſt reddita, ſimul potiundi ſpe & diſcedendi libertate amiſsâ; quæ priùs Henrico conceſſa non eſt, quàm ſpopondiſſet, nullam ſe Comitiis publicis, quibus de reddenda Germaniæ pace ageretur, moram allaturum. ea Oppenheimium in ieiunium vernum indicta.

Apolog. Henr. IV.

HENRICVS à BOIIS HOSPITIO EXCLVSVS.

Inter

Inter perpetua bella & velut obliuione communis humanitatis, etiam domeſticæ & chortales aues efferari viſæ, dedignatæque hominum conſortium ſiluis immigrarunt: id quia prodigio non carebat, in religionem verſum eſt. Rara etiam Auguſtæ auis coruus colore niueo aſpectus eſt, nobilis materia ſermonum & plebeiarum diuinationum. Parum læta portendiſſe etiam octogeſimus ſeptimus annus conuicit, quo magnæ ſpes Oppenhemianis Comitiis oſtentatæ, ſæuientibus iterum armis, abſciſſæ. Henricus contra quàm pactus erat, non modò in medium conſulere ipſe aſpernatus eſt, ſed curam Reipub. ſuſcipientibus bellum in certum diem indixit, cauillantibus noſtris, ſi mora ea longior videretur, haud grauatè contracturos, & in ſuis eum caſtris occupaturos. Henricus Bohemi, quem Regem declarauerat, auxiliis tumens, Octobri menſe Saxoniam ingreſſus, paratiora omnia, quàm vellet, reperit, venturus etiam ipſe in manus hoſtium, nî Ecberti Comitis, qui Hermanni inuidiâ à bonis deſciuerat, fraude euaſiſſet. Domi Engelber-

Aves domesticæ efferatæ.

MLXXXVII.

Berthold.

Henrici infortvnivm.

Digitized by Google

ATILENSIS MONASTERII INSTAVRATIO.

gelbertus Halæ & Waſſerburgi Comes Monaſterium Atilenſe inſtauraui. Dieſſenſium Comitum liberalitate creuerat: Fridericus Roho eiuſdem gentis, non virtutis, compilatum ad incitas redegit. Engelbertus, quem dixi, ornandum ſuſcepit, & Lintburgo gentilitio caſtro, ne eius vicinitas Religioni officeret, deiecto, ſedem Waſſerburgi fixit. Ea vrbs vti & Hala Oeno adiacet. Hæc Tiroli poſtea attributa magnum ex ſale coctili Principibus ſuis vectigal pendit. Sterilis cæteroqui annus præter funerum memoriam vix quidquam annalibus reliquit. Triſte inprimis Epiſopi adulterini, qui Altmanni exulis Infulam inuoluerat. Ei animam agenti Altmanni ſpecies obiecta auerſantis ipſum,

TRISTIS OBITVS EPI. SPVRII.

vt impium & debitum Orco. neque id diſſimulauit æger, ſed velut præſenti purgabat inſaniam ſuam, & vſurpati per ſcelus honoris veniam expoſcebat, obteſtatus etiam amicos, ne Pontificum tumulis profanum ſe inferrent. Qui cùm moribūdi quiritationes vt rationis deficientis errores riderent, ingeminauit identidem eadem, neque finem antè

fecit

Digitized by Google

fecit accuſandi ſui, quàm viuendi. Porrò cùm ex Commentario, qui de vita Altmanni extat, liquidum ſit, Hermannum primùm & Timonem poſtea Henrici violentiâ in Batauenſe ſolium intruſos, quæque de prioris morte traduntur, magnam habeant cum hac Bertholdi narratione affinitatem; non eſt cur ad Timonem hæc potius referantur; etſi cùm biennium tantùm in ſubreptitio honore Hermanno tribuatur, neceſſe ſit affirmare, ſeriùs Altmanno ſucceſſorem, quàm exilium decretum. Iungendus Hermanno Nortbertus, etiam ipſe verbo tenus Curiæ Ræticæ Epiſcopus, quem vitio creatum Patrum conſeſſus Quentelburgi pronunciauit. Monumentum illius eſt Haibacenſe Myſtarum Collegium biennio ante mortem in BOIARIA erectum. Qui ſtemmata deſcribunt, Comitibus Hohenvvartenſibus inſertum, Rapotonis & Hemmæ Filium, Ortholphi & Wilitrudis germanum fratrem faciunt; quibus ne Nortberti ex adulterino Pontificatu contracta macula officiat, ſuis ipſi ornamentis ab inuidia vindicandi ſunt.

NORTBERTVS HAYBACH. COLLEGII FVNDATOR.
Hund. in Metrop. & lib. ſtemmat.

HOHENVVARTENSE COENOBIVM EXTRVITVR.

Hic enim ille Rapoto eſt, qui poſt inſtauratum Thierhauptenſe cœnobium, etiam caſtrum gentilitium, quod familiæ nomen dedit, & haud dubiè inter vetuſtiſſima eſt, quæ oſtentare BOICA poſſit, in Parthenonem verſum ſtudiis ſanctioribus conſecrauit. Stetiſſe illud Romanis etiamnum in Vindelicia rerum potientibus clarum Summontorij nomine, & Romedium, qui inter Diuos colitur, Dominum olim habuiſſe, alibi diximus. Iam Ortholphus quantamcunque paterni nominis famam ſupergreſſus, cœnobio pro copia egregiè inſtructo, glorioſiſſimæ, quæ poſt hominum memoriam fuit, militiæ adſcriptus cum Godefrido Bulionio ſociiſque Heroibus in Orientem abijt laborum iuxtà victoriarúmque conſors; quibus partam gloriam cùm in patriam reueheret, ex itinere ad cœlum & triumphum euocatus eſt. Wiltrudis ſoror thalamos amoréſque exoſa mortales Chriſto ſacramentum pudicitiæ dixit, coactiſque inſtituti ſui æmulis, domicilio, quo pater fratérque opes congeſſerant, ſanctitatem intulit non cœlo tantùm

RAPOTO, ORTHVLPHVS ET WILTRVDIS COM. HOHENVVARII.

tùm

Digitized by Google

tùm ſpectatam, ſed cultam etiam orbi terrarum, à funere maximè, cùm mortuæ virtutes tumulus miraculis proderet, quas viuentis modeſtia abſconderat. Salomonis etiam Vngariæ ExRegis, cuius mentio non vno à nobis loco facta eſt, mortem non nemo in hunc annum reijcit, quo ex pugna contra Imperatorem Orientis diffugiens amiſſúſque ex oculis pro mortuo eſt habitus. Sed verius eſt, fortunæ toties fatigatæ & ſemper iniquæ odio in loca ſola ſeceſſiſſe, abiectíſque recuperandi regni curis, animum adieciſſe cœlo; cui quibus ſtudiis quáue contentione inhiauerit, latere mortales voluit, ſemel duntaxat inter illos poſt ſeceſſionem viſus, auditúſque ſorti ſuæ gratias agere, quæ purpurâ detractâ ſibi palliolum iniecerit, coëgerítque exulem philoſophari. illâ blandiẽte, omnia præter Deum habuiſſe ſe; eadẽ ſæuiente omnia præter Deum amiſiſſe, optimâ viciſſitudine; ita infelicem fuiſſe, quàm diu felix fuerit; beatitatem in vltima miſeriâ reperiſſe. quouſque prouixerit, incompertum: Matrem verò cum uxore in Admontenſi Cœno-

SALOMONIS VNG. R. OBITVS. *Bertholdus.*

Bonfinius. l. 4. dec. 2.

Cœnobio, quod Gebhardus Saliſburgenſis ſtruxerat, vitæ finem impoſuiſſe; in quo Gebhardus etiam ſequenti anno, qui octogeſimus octauus fuit, ex voto ſuo conditus eſt; cùm in Weruenſi Caſtro, quod itidem eius opus fuit, XVI. Kal. Iul. parem vitæ ſanctiſſimæ exitum eſſet ſortitus; vir omnibus laudibus, quæ vel à me vel aliis in eum congeſtæ ſunt, maior; cui quia ne nunc quidem æquale encomiũ reperio, dabo breuiſſimũ, ſed quod ſuo iã ſeculo tulit, & Religionis Columnã appellabo. Luctuoſus hic annus Auguſtenſibus fuit. Welfo Sigefridum ſpurium Epiſcopum ab iis receptum indignatus, incautos Chriſti Patiẽtis feriis oppreſſit, & admotis illuſtri nocte ſcalis vrbe potitus eſt; quæ deinde nudata mœnibus munimenta ſimul ſua opéſque perdidit. Sigefridus in vinculis Rauenſpurgum abreptus eſt.

B. GEBHARDI SALISB. ANT. MORS. A. M. LXXXVIII. *Berthold. Vita S. Gebhardi.*

WELFO AVGVSTAM CAPIT. *Vrſperg. Chron. Auguſt.*

VII. HERMANNI REG. EXITVS.

Hermanni interim Regis gloria exitum ſpectabat, manifeſtâ Saxonum leuitate eligere Principes quàm habere malentium. hinc inter rerum nouarum cupidos gliſcere faſtidia, vileſcere ipſe ſuis, & languidiùs coli; nonnullis Henricum

ricum toties exploſum refodientibus, aliis in Ecbertum propenſis; cui regnum affectanti ſtudia deeſſe non poterant in tanto animorum æſtu. neque id Hermanno clàm fuit; qui cùm imperare inuitis nec vellet nec poſſet, ipſe ſe in ordinem redegit, & ad ſua tutanda in Lotharingam profectus in oppidi obſidione interiit. Tanto exinde audentiùs ambitioni ſuæ velificatus Ecbertus quieſcentes Saxones nouis in Henricum odiis inflãmauit, & contractâ tumultuariâ manu, caſtellum, quod obſidebat, deſerere compulit; Regia etiam inſignia intercepit non ſine fauſtis ominibus, quaſi Henrici decora vltro ad eum tranſiiſſent: premere denique illum, circumſeſſo monte, in quem refugerat, non ante deſtitit, quàm polliceretur Pontifici ſe ſatisfacturum. Sed nimirum longo vſu verba dare doctus hîc quoque ſolenne ſuum tenuit, & vltionem iniuriæ rebus omnibus præuertendam ratus, Auguſto menſe, Gleicham Ecberti arcem obſidione cinxit: cuius auertendæ causâ viciſſim Ecbertus Quentelburgo vim admouit, vbi Praxedem

ECBERTI AMBITIO.

Apolog. Henrici. Berthold. Vrſperg. Dodechin.

xedem

ædem nouam à Berthæ morte Henrici ſponſam aſſeruari nôrat. Furor nihilominus amore potentior Henricum uſque ad anni finem in Gleichenſi obſidione tenuit; donec Natalis Chriſtiani peruigilio, prono iam ad occaſum ſole, in caſtris cæſus eſt: ea cùm Ecbertus ex improuiſo inuaſiſſet, Henricus, quantum quidem turbatæ res ferebant, animo ſatis præſens cohortes incompoſitas & ſemiermes ſigna inferenti cædémque ſua manu inchoanti objicit, primóſque impetus infringit: redintegrata tamen extemplo pugna eſt, ſanctiſſimam noctem, qua olim Dei filius publicari pacem iuſſerat, promiſcuâ cæde fœdatura: Henricus fugiens Ecberto victoriam & regias opes reliquit. Autorem habeo, qui Ottonem Ratiſbonenſem ea pugna cæſum affirmat; ſed vt de cæde non conſtet, mortem oppetiiſſe certum eſt, eámque illaudatam, ob pertinax malæ cauſæ ſtudium & Pontificis Diras, quas eluere curæ illi non fuit. eius proinde memoriam quia obliuione non poſſumus, aliis Ratiſbonenſi Eccleſiæ debitis ornamentis obruamus,

HENRICVS AB ECBERTO VICTVS.

Sartorius apud Fabricium.

OTTON. RATISB. E. MORS.

Digitized by Google

ruamus; quorum princeps Wilhelmus Hirſaugienſis Abbas velut in fronte collocabitur; cuius nominandi occaſio ſæpe fuerat, niſi ſub vnum aſpectum res eius dare hoc loco maluiſſem. Natus in BOICA vt à teneris pietati aſſueſceret, adoleſcentulus admodum, voluntate parentum, D. Emmerammi cœnobio abditus totam artium, quæ liberales vocantur, encyclopædiam abſoluit. id nobilis ingenij monumenta noſtro etiam æuo admiranda loquuntur, illa præſertim, quæ ad Mathematicas diſciplinas pertinent, quarum peritiorem ſeculum illud non habuit. Fama nihilominus illi virtute quàm literis maior parta; eáque Hirſaugienſes Monachos perpulit, ne Friderico exauthorato, quod anno ſexageſimo octauo ſupra milleſimum factum, alium præ Wilhelmo Anteſignanum mallent. quanquam paulo pòſt cognitum eſt, maius illi Imperium, quàm vnius cohortis deberi, & totas piorum legiones eius ductu militaturas. Ea enim orbis terrarum de illo opinio fuit, commodatum rebus humanis eo conſilio eſſe, vt qui olim ſplendor

WILHELMI HIRSAVG. ABB. RES.

Chron. Hirſaug Ioan. Trithem. Carolus Stengelius vitam cum inſigni Commentario edidit.

dor Religionis, ſub D. Benedicti Magiſterio fuit, ad eundem huius viri manu perpoliretur. Et certè Germania pleraque, vtque noſtra propiùs ſpectemus, BOICA huius culturâ refloruit. Schirenſe & Brunſenningenſe Cœnobia, de quibus paulo pòſt dicturi ſumus, eius coloniæ ſunt. pluribus ſanctitatis Magiſtros ſubmiſit; alia exemplo accendit ad parium ſtudiorum æmulationem. Miraculo fuit ſummi generis viros, Principum ſobolem, poſt glorioſa ſtipendia, in illius palæſtra ſpectari tyrones, iactarique cum voluptate inter rudimenta rigidiſſimæ diſciplinæ; focum extruere, molere in piſtrino, pecus paſcere, infima atrienſium & baiulorum miniſteria occupare, eáque, vt Bertholdus oculatus noui moris teſtis ſcribit, pro ſummis deliciis computare. Qui ſine Sacerdotii ſpe in hunc modum exercebantur, Barbati vulgò à promiſſo capillitio & ore intonſo dicebantur; quibus ex Schirenſibus Comitibus, vnde Principibus noſtris genus, Bernardum adſcriptum reperio, à quo Hirſaugienſe Monaſterium magno argenti pondere ditatum,

QVI BARDI SEV BARBATI IN RELIG. D. BENED.

Hund. in Stemm. ex Nauclero Gen. XXXVII. Bärttling.

tatum, *ad Cellam Bauaricenſem*, ita tabulæ loquuntur, inſtruendam, quæ noſtræ gentis hominibus ſemper pateret, tuẽdæ Innocentiæ ſtudio, olim ad illud aſylum cõmigraturis. Iam Paulus Bernriedenſis noſter cùm rediuiuã illo æuo Religionem, & quatuor ex vtroq; ſexu claſſes Piorum, quales nulla, vel nõ niſi prima Chriſti ſæcula tuliſſent, aſpiceret, cœleſti illi quadrigæ, (hoc enim ei dat nomẽ) Altmannum Batauẽſem Epiſcopum, Wilhelmum Hirſaugienſem, Vdalricum Cluniacenſem & Sigefridum Schafhuſianum moderatores & veluti aurigas cum eximia ſingulorum laude impoſuit; ex quibus Quatuoruiris cùm duos priores iam BOICA agnoſcat vt ſuos, tertium eidem paulo pòſt aſſeremus. Porrò Wilhelmo præter emendatiſſimos mores, quotidiana etiam miracula addebant autoritatem, de quibus Haymo prolixum commentarium edidit: In pleriſque eorum imaginem quandam beneficiorum Chriſti agnoſcas; vt cùm panis in eius manibus, vinum in cupâ, annona in penu, æs in zona creſcerent; cùm piſces ipſe imperio

In vita Greg. VII.

WILHELMVS THAVMATVRGVS.

L in naſ-

HIRSAVGIENSIS MONASTERII TVTELA.

in naſſam ageret; cùm nitẽtes ligneis pedibus iuberet ſuis inſiſtere, diſtorta brachia corrigeret, occulta panderet dictis iuxtà factiſq; admirandus; quæ inter id huius loci propriũ & neſcio an nõ præcipuum, quòd Henricianæ factionis flãmã latè omnia Germaniæ decora depaſcentemà Monaſterio ſuo viuus mortuúſq; auertit. Euocatus ipſe quoque ad infeſtum Pontifici Wormatienſe Cõcilium, tam imperium Cæſaris quàm gratiam cõtempſit; furenti etiam non alia, quàm quæ de Cœlo precib' obtinentur, arma oppoſuit, ſatis valida tamẽ ad Wernerum Argentinenſem Epiſcopũ opprimendum, qui Regi gratificatus expilandi Monaſterii Hirſaugienſis partes ſibi ſumpſerat. ad quod ſacrilegium patrandum cùm minus animi miles præſeferret, quàm Epiſcopus, increpans ille ignauam pietatem, maiorémque diuinæ quàm Regiæ Maieſtatis reuerentiam, Loricatus in equum inſilit, ne cultus corporis ab animo profano diſſideret. Talis in oculos ſimul & vindictam Numinis incurrit excitati VVilhelmi obſecrationibus, & impijs vocibus perituri.

Digitized by Google

ri. Repente quaſi fulmine ictus reſupinatúſque væ ſibi capitíque ſuo ingeminans, priuſquam diffibulari loricā poſſet, animam inter vltimos cruciatus nulli miſerabilis euomuit. quò manifeſtior exitii cauſa fuit, eò minùs comitibus libuit malè cœpta proſequi; quamdiu quidem VVilhelmus ſuperfuit. eo mortuo, velut euerſâ loci Tutelâ, inuenti qui eadem auderent, æquè irrito atque improbo conatu: Nam quod VVilhelmus Virginum in BOICA Antiſtiti ſimilitudine Virtutum eidem iam olim conciliatæ, de cœlo ſpectabilis ſignificauit, nunquam defuere cæleſtes excubiæ vigili oculo & manu non inermi auaritiam ſuis opibus inſidiantem excepturæ. Sed hæc vtcunque eximia neque niſi Sanctiſſimis Viris conceſſa quanquam VVilhelmi nomen orbi celebre ſanctúmque reddidere, nihil tamen verear alterum ex eadem Ratiſbonenſi vrbe par, Gerardum & Vdalricum paulò antè nominatum cum eo componere: quorum prior ex Cluniacenſi Monaſterio ad purpuram & Infulam Oſtienſem extractus, iacturam, quam

al. Vvalderi-cm.

GERARDVS OSTIENSIS CARD.

HIRSAUGIENSIS MONASTERII TUTELA.

in naſſam ageret; cùm nitẽtes ligneis pedibus iuberet ſuis inſiſtere, diſtorta brachia corrigeret, occulta panderet dictis iuxtà factísq; admirandus; quæ inter id huius loci propriũ & neſcio an nõ præcipuum, quòd Henricianæ factionis flãmã latè omnia Germaniæ decora depaſcentem à Monaſterio ſuo viuus mortuúſq; auertit. Euocatus ipſe quoque ad infeſtum Pontifici Wormatienſe Cõcilium, tam imperium Cæſaris quàm gratiam cõtempſit; furenti etiam non alia, quàm quæ de Cœlo precib⁹ obtinentur, arma oppoſuit, ſatis valida tamẽ ad Wernerum Argentinenſem Epiſcopũ opprimendum, qui Regi gratificatus expilandi Monaſterii Hirſaugienſis partes ſibi ſumpſerat. ad quod ſacrilegium patrandum cùm minus animi miles præſeferret, quàm Epiſcopus, increpans ille ignauam pietatem, maiorémque diuinæ quàm Regiæ Maieſtatis reuerentiam, Loricatus in equum inſilit, ne cultus corporis ab animo profano diſſideret. Talis in oculos ſimul & vindictam Numinis incurrit excitati VVilhelmi obſecrationibus, & impijs vocibus perituri,

Digitized by Google

ri. Repente quaſi fulmine ictus reſupinatúſque væ ſibi capitíque ſuo ingeminans, priuſquam diffibulari lorica poſſet, animam inter vltimos cruciatus nulli miſerabilis euomuit. quò manifeſtior exitii cauſa fuit, eò minùs comitibus libuit malè cœpta proſequi; quamdiu quidem VVilhelmus ſuperfuit. eo mortuo, velut euerſâ loci Tutelâ, inuenti qui eadem auderent, æquè irrito atque improbo conatu: Nam quod VVilhelmus Virginum in BOICA Antiſtiti ſimilitudine Virtutum eidem iam olim conciliatæ, de cœlo ſpectabilis ſignificauit, nunquam defuere cæleſtes excubiæ vigili oculo & manu non inermi auaritiam ſuis opibus inſidiantem excepturæ. Sed hæc vtcunque eximia neque niſi Sanctiſſimis Viris conceſſa quanquam VVilhelmi nomen orbi celebre ſanctúmque reddidere, nihil tamen verear alterum ex eadem Ratiſbonenſi vrbe parem, Gerardum & Vdalricum paulò antè nominatum cum eo componere: quorum prior ex Clunia cenſi Monaſterio ad purpuram & Infulam Oſtienſem extractus, iacturam,

al. VValdericum.

GERARDVS OSTIENSIS CARD.

L 2 quam

Berthold. Lambert. A. 1074. Chron. Cluniac. Baron.

quam ſanctiſſimi viri Petri Damiani morte Pontifices fecerant, paribus officijs expleuit, altera etiam ipſe Alexandri II. & Gregorij VII. manus: vterque eo in ſummis rebus legato vſus eſt; Henrici inſuper furori ſanando non ſemel admotus egregiæ operæ pretium vincula tulit, tam inclementer habitus, vt eodem, quo ea tulit anno, qui ſeptuageſimus ſeptimus fuit, deceſſerit. Vdalrici Sanctitas in minore theatro, ſed ijſdem documentis ſpectata. Illuſtri apud Boios loco natus cum hoc ipſo Gerardo Cluniaci in palæſtram virtutis exercendum Hugoni Abbati cæleſtibus poſt mortem religionibus conſecrato ſe dedit, totúmque eius viri genium imbibit; à quo in curarum partem aſſumptus, bene merēdo de omnibus, proferendiſque quoquouerſum Virtutis pomœriis tantùm inclaruit, vt, quod ex Paulo Bernriedenſi ſupra commemoraui, inter Quatuoruiros, quib⁹ Religio tunc innixa eſt, iure optimo cenſeretur. Sed nimirum hæc orta in Boica ſidera cùm aliò commigraſſent, ex vltimis vſque Scotorum Inſulis in deſertam ſtationem

Vdalrici mon. Boii res. *Vvion. l. 3.*

Scotorum in Boicam immigratio.

tionem æquè clara nomina ſucceſſerunt. Initia progreſſúſque deductæ Coloniæ proprio commentario poſteri deſcripſere, non ſine portentis fabularum, quas nec referre nec refellere animus eſt; ſua vanitate corruunt. Ex inſtrumentis publicis manifeſtum fit, Ottone Epiſcopo adhuc ſuperſtite, Ratisbonam nonnullos eius gentis acceſſiſſe, procurationéque Ædis D. Petri, qui Conſecratus vulgò dicitur, acceptâ, collatitijs Piorum ſymbolis victitaſſe: tecta deinde molitos; quorum anguſtias Otto Riettenburgicus aliique complures, (nomina in membranis ſuperſunt) paulò pòſt dilatarunt. Ex primis incolis Mariani & Murcheridachi illuſtrior eſt memoria, quos ſua virtus & fama publica Superis exæquauit. Atque hæc tot decora Ratiſbona habet, quibus Othonis infelicis Epiſcopi næuos velet inducátque; Mitram eius Gebhardus Comes Hohenloënſis, vel, vt alijs viſum, Gotzeshaimius occupauit. Quo tēpore Welfo Welfonis Filius, Romano Pontifice Vrbano II. auſpice, Mathildi nobiliſſimæ fœminæ Bonifacij

WELFONIS F. CVM MATHILDE NVPTIÆ. *Chron. Auguſt. Hund. Metrop. Berthold. Albert. Stadenſ.*

cij Marchionis filiæ, coniugio copulatus eſt, non tam quærendorum liberûm cauſa, quorum Mathildis cupida non erat, quàm vt meliori parti opibus illius eouſque ſuſtentatæ nouas vires, & ſtrenuum Ducem adiungeret. Res magno ſilentio acta. Welfo ſine apparatu, ſub peregrinantis habitu ignorabilis Italiam ingreſſus nuptias celebrauit.

MXC. *Berthold. Antiq. Lection: H. Caniſ. t. IV. & VI.* S. THYEMO SALISB. ARCH.

Anno proximo, qui nonageſimus numeratur, Thyemo Saliſburgenſem cathedram â Bertholdo per vim occupatam rite moreque Maiorum inſcendit; cui viro cùm ad Infulam olim etiam lauream addituri ſimus, operæ fuerit, virtutis ad ſummum faſtigium euectæ prima etiam initia adumbrare. Thyemo igitur illuſtri inter Boios ſanguine, literis in Altahenſi Monaſterio, quæque

EIVS MONASTICE.

alia ſcire ingenuos fas eſt, imbutus animum ad Monaſticen appulit. egregij voti cùm eum extemporalis pœnitudo ſubijſſet exegiſſetque extra ſepta, mox ſibi locóque redditus inter calidiores preces duplex oraculum de Pontificatu & Martyrio diuinitus accipit. Paulò pòſt Irinberto D. Petri apud Saliſburgenſes

genſes Abbati ſuffectus Henricianæ factionis procella inuoluitur; cuius declinandæ ſtudio Hirſaugiæ inter Wilhelmi, cuius res ſuprà dedimus, diſcipulos triennio delituit: ex eo interuallo regreſſus ad ſuos, Bertholdi nihilo mitiùs ſæuientis intemperie in alterum exilium eiectus apud Admontenſes priuati habitu vixit. Hoc demum anno, Bonis Saliſburgi reſpirantibus & caput exerere auſis, de legitimo Præſule agi cœptum. duo tacitis votis deſignabantur, Thyemo & Adalbero ſummus Myſtarum Friſingenſium Decurio; ſed quòd hunc legi Deo cordi non eſſet, fluctus properantem ad Comitia hauſere. Thyemo extra cõtrouerſiam honore potitus & ab Altmanno Batauienſi Pontificis Legato, Adalberone Würceburgio & Meginvvardo Friſingenſi inunctus, tredecim, quibus ſuperfuit, annis, tragicis iactatus caſibus Athanaſij memoriam orbi renouauit: Bello ſub honoris aditi initia à Bertholdo appetitus, quanquam Medlingenſium Comitum vtpote cognatorum validis auxiliis militem domeſticum firmârat, acie tamen

Exilia.

Pontificatvs Salisb.

Bella.

CAPTIVITAS. men victus dum fugam per Taurum montem in Carantanos intendit, ab Vdalrico Comite interceptus vltimis ab eo ærumnis exercitus eſt. Friſacum nihilominus caſtrum egregiè munitum in eius fide manſit, eadémq; conſtãtia obſidionem, quâ Thyemo vincula, tulit. Actus ea re in rabiẽ Vdalricus Præſulem

ÆRVMNÆ. alligatũ Caſtrorũ propugnaculo, quod obſeſſi catapultis verberabant, ſuorum ictibus obiecit proximo miſſili diſcerpendum; niſi libratores eo agnito in aliã deinde partem fulminaſſent. Vbi id nõ ſucceſſit, amicorũ intimis nobiliſſimíſque, qui vnà cum eo in vinculis aſſeruabãtur, Carnificem admouit; cúmq; mi-

CONSTANTIA. cante ſupra tam chara capita ferro moueri Thyemonem appareret, cõſiderare iuſſus eſt, Arcis illi an Amicorum cura propior eſſe debeat; aut hos prodendos perdendóſque, aut illam dedendam. Thyemo id duntaxat reſpondit, Infelicem eſſe ſe, quàm Impium, malle: Amicorum vitam ſuo capite; ſcelere neque ſuam neque alienam redempturum. Non ideo D. Ruperti manibus arcem tamdiu defenſam, vt Epiſcopi perfidiã

amit-

amitteretur. ſibi præter vitam & fidem nihil eſſe reliqui; vitam tamen antè quàm fidem deſerturum. Ita amici in eius oculis iugulati, illacrymante Thyemone denunciantéque, eodem ferro, quo innocentium capita præciſa ſint, etiam Vdalrici fratrúmque eius felicitatem truncatam: neque ſanè aliter euenit; in ærumnas & ſupplicia ſua prouixere. Thyemo ex eo loco in fœdiorem cuſtodiam abreptus vires animúmque ab ipſis calamitatibus mutuabatur, certabátque patientiâ cum hoſtium ſuorum furore, ne tum quidem fractus, cùm immiſſus ad eum ſicarius, oſtentato ferro, mortem innocenti denunciauit; eadem enim, qua ſemper, vultus ſerenitate, Bene habet, inquit; nullam manum repudio, per quam Deo viſum vitam repoſcere. pronunciatóque Fidei noſtræ ſymbolo ceruicem ſponte exporrexit. ſed nimirum innocentia ferrum hebetauit, ne validiſſimis vibratũ viribus vltra cutem deſcenderet; quin etiam cùm repeteretur ad fortiorem plagam, impactum trabi in fruſta diſſilijt, exarmatúmque latronem miraculo

VATICINATIO.

ANIMI MAGNITVDO.

correxit. Hæc quia in ſuos annos digerere non licuit, compegimus in primum: quinquennium nihilominus (quo auctor Anonymus Thyemonem captiuum detinet) inter has ærumnas contritum non agnoſcimus, paulo pòſt ad Aras viſuri ope Conradi Monachi liberum, qui auro corruptis cuſtodibus illum vinculis exemit. Interim Henrico in Italiam regreſſo bellúmque in Welfonis filium Mathildis maritum tranſferente; Ecberto etiam Marchione, qui regnum affectauerat, occiſo, Germania interquieſcere viſa; cùm præliorum ſaturis animus, cupidis Dux deeſſet. Fames invicem ſucceſſit perpetua bellorum vmbra, quódque BOICÆ triſtius, Adalbero VVürceburgius hoc anno, Altmannus Batauenſis & VVilhelmus Abbas Hirſaugienſis ſequenti terris ſubducti. Adalberonem alibi Comitum Lambacenſium ſanguinem diximus, quorum etiam Schärdinga, Neoburgum, Varnpachium ad Oenum, VVelſa & Buttinum fuere. Lambacenſe caſtrum Arnoldus pater in templum conuerterat; Adalbero Monachis traditum

NOBILIA FVNERA.

S. ADALBERONIS.

tum

tum ante biennium cum Altmanno dedicauit, eidémque poſt mortem illatus ingentibus prodigiis, quæ recenſere longum ſit, tumulum ſuum nobilitauit. Alterum eiuſdem gentis monimentum Varnbacenſe cœnobium eſt, quod Himmeltrudi religioſiſſimæ fœminæ initia ſua, incrementa Ecberto debet; qui quarto poſt Adalberonis mortem anno Berengerum primum Abbatem, auſpice Vdalrico Batauenſi Epiſcopo, Monachis præfecit. Adalberonem, vt dixi, Altmannus ſecutus eſt, in Zeiſlmurana villa febre extinctus VI. Id. Aug. Thyemo illum Saliſburgenſis inundatum lacrymis in Gottvvicenſi Monaſterio ſepeliuit. Id opus Altmanni fuiſſe, vti etiam, quod Batauis ſub D. Nicolai tutela viſitur, aliàs diximus: imò verò ſic de eo viro fama publica locuta eſt, ita de prouincia ſua vniuerſa eſſe meritum, vt Augusti verbis gloriari potuerit, quæ à Maioribus ſuis templa lignea acceperit, ſaxea à ſe relicta. Iam extra fines ipſius Raitenbuechenſe cœnobium transſcribere Altmanno origines ſuas poteſt, vt qui Welfoni eius erigendi autor

VARNBACHENSIS COENOB. INITIA.

S. ALTMANNI MORS. A. MXCI. *Berthold. Vita S. Altm.*

MONAST. S. NICOLAI.

Hund. ex Vita.

RAITENBVECHENSIS MON. ORIGO.

tor fuerit & ſanctitatis Magiſtros primóſque incolas miſerit. Gottvvicenſe iiſdem, quibus reliqua duo, inſtitutis, ad normam, quam Auguſtinus diſcipulis ſuis dictauit, formatum paulò pòſt, Altmanno de cœlo hortante, in D. Benedicti leges iurauit. Iuuat rei ſeriem ad religioſas familias pertinentis ediſſerere.

GOTVVICENSE MONAST. REGVLAM MVTAT.

Gottvvicenſium Collegarum virtus, quamdiu Altmannus morum cenſuram geſſit, eximia fuit; ignauo aut remiſſo, ſuperſtite illo, nemini eſſe licuit. Enimuero quod ferè iis uſuuenit, quos non ſua indoles, ſed alienus oculus bonos facit, poſtquam ſeuerus arbiter morte extinctus eſt, ſuo obſecuti ingenio, habenas ab illo adductas noxio pij rigoris temperamento laxarunt, quíque paulo antè etiam alijs diſciplinæ fuerant nunc ſibimet noxæ ſuam locíque gloriam obſcurârunt: peregrini mores boníſque contagione nocituri familiariter recepti: ita breui alia loco facies inducta, ad quam Altmannus inuitus reſpiceret. Atque is denique Ioannem virum inſigni probitate Scotum gente, quem viuens olim tuguriolo ad Sacram

Ædem

Ædem affixo receperat, ore voceque quibus agnoſci poſſet, monuit, purgaret infame ſtabulum & priſtinum monti ſuo redderet nitorem. Neque fefellit hominem minimè rudem talium arcanorum, quò illæ verborum ambages tenderent; retulítque extemplo ad Cœnobitas de abſtergenda rubigine animorum, quæ D. Altmanni oculos omni oleto peius offendiſſet. Poſitum in eo nonnihil operæ; ſed mergente induſtriam magnitudine mali, illico de ſucceſſu deſperatum, optimúmque factu viſum, quando mores ſuos exſcindere ſtirpitus non poſſent, ſponte in exilium ſeſe eijcerent & darent melioribus locum. Id conſilium vt deploratum & præceps Ioannes damnauit, illatâ inuicem mentione permutandarum legum, & vitæ ex præſcripto D. Benedicti inſtituendæ. Diuino inſtinctum ſpiritu ita ſuaſiſſe felicitas euentûs docuit. Hartmannus è S. Blaſij Cœnobio accitus nouum ius nouóſque mores in montem inuexit. Placatum eo ſe ſtudio Altmannus luculentè prodidit multo deinceps præſentior tumulum ſuum veneran-

S. WILHELMI HIRSAVG. ABB: MORS.

nerantibus: à quo nunc vti & Wilhelmi Hirſaugienſis funere, quo Altmannum menſe vno anteuertit, auellimur ſuperiore virtutum eius præconio contenti; cùm ſanctiſſimam Virginem Herlucam immiſſuri in BOIARIAM ſumus, neceſſariò illum iterum nominaturi.

WELFO IN HENR. GRATIAM SE INSINVAT.

Welfo Pater eodem, quo Altmannus obierat, menſe in Italiam, renouandæ cum Henrico Rege amicitiæ ſtudio, abiit; quæ tamen, ob repudiatas, quas ferebat, conditiones, non coaluit. Poſtulabat Welfo, vt priſtinis honorib. redditus eoſdem etiam ad filios tranſmittendi haberet poteſtatem: Itémque vt omiſsâ tandem praua contentione, ſequeretur conſenſum meliorum, & Guiberto abdicato, legitimum Pontificem agnoſceret. Henricus vtrumque aſpernatus Welfonem vehementer offendit non antè quieturum, quàm nouum factioni veteri Ducem dediſſet, ſi perinde animatos ad audendum in Germania ſocios nactus fuiſſet. Sed præter memoriam triſtium exemplorum, nouus metus ex prodigijs ſub idem tempus viſis nunciatiſque occupauerat animos.

Berthold. Vrſperg. Stadenſ.

PRODIGIA.

San-

Sanguine alicubi & carne pluiſſe; piſces alibi bufonibus mixtos decidiſſe, magni teſtes affirmabant; panes quoque ſanguinis guttis manantes attoniti multi aſpexere, omine, quocunque recideret, triſti & in calamitatem erupturo. Locuſtarum etiam tremendi exercitus, inuiſa ſpecie, totis regionibus vagabantur, tam denſo agmine, vt ſolem abſconderent, & pabuli vel quietis cauſa ſubſidentibus aliquot paſſuum millia non ſufficerent. Nihilominus ceſſantibus reliquis, VVelfo negotium Henrico faceſſere, iam manu, iam cõſilio obniti. Sub finem anni cum Rege Vngaro colloqui geſtienti intuta omnia reddidit, & in Italia continuit inuitum.

Sequente anno Batauienſis Eccleſia M XCII.
Vdalricum Tirolenſem domo, niſi nos *Berthold.*
Hundius fallit, Vdelſcalci Comitis Filium, *Hund. in Metr.*
eius, qui Seidenſtetenſe in Stiria VDALRICI
cœnobium erexit, Epiſcopum accepit, PASS. EP.
Thyemone Saliſburgenſi, Gebhardo INITIA.
Conſtantienſi & VVormatienſi inaugurantibus. Inſignem virum fuiſſe, Pauli *Vita Greg. VII.*
Bernriedenſis, qui ab eo ſacerdotio initiatus eſt, teſtimonijs ampliſſimis

agno-

agnoſcimus, & talem ſubinde res ipſa oſtendent. interim præiudicij vicem

B. HELISEÆ OBITVS.

Heliſeæ Matris virtus eſto: quæ cùm familiari Herlucæ religioſiſſimæ Virginis vſu ad omnem ſanctitatem profeciſſet, congruentem vitæ innocenter actæ clauſulam impoſuit, cùm inter beatos Genios expaſſis in Crucis formam brachiis orantem mors non oppreſſit, ſed ſopiuit; eóque habitu repertam familiares diu nō auſæ ſunt cōtingere velut ſpirantem raptámque extra ſe, móxque redituram. ita Paulum Thebæum, ſi non vitæ, mortis tamen genere æquauit.

VIII.

MXCIII. *Dodechinus Albert. Stadenſ. Berthold. Helmold.*

CONRADVS F. IN PATREM CÆSAREM INSVRGIT.

Nonageſimus tertius annus nouum Henricō hoſtem dedit, non iam ex alieni ſanguinis proceribus, quibus eum inuiſum eſſe pridem deſiimus mirari; ſed propinquiſſimi, vtpote filiorum natu maximum & in ſpem regni genitum. Cauſas etſi nouas nullas dediſſet, quæ filium in patrem armarent, veterum abunde erat. merebatur ſic plecti; & nimirum talionis lege cum eo agi, quique Eccleſiam Piorum omnium Matrem tam acerbè vexauerat, eum filij manum infeſtam ſentire longè æquiſſimum

mum fuit. At enim Conradum (id filio nomen) priuata etiam & propria iniuria inflammauit, eaq́ue tam indigna, ut ipſæ explicare illam literæ verecundentur, fateríque neceſſe ſit, aut hanc aut aliam nullam filio cuiquam aduerſus patrem ignoſcendam alienationis cauſam fuiſſe. Praxedem vxorem Henricus, quam alii Adelhaidem vocant, ex Rege leno factus & productor vulgauerat proſtibulúmque fecerat, Conradum etiam filium auſus inuitare ad inceſtandam nouercam. abominantem vltimum nefas negauit eſſe ſuum, genuinâ ſcilicet in eo notam impudentiæ deſiderans, certúſque ex ſe genitum non poſſe eſse frugi: adulterum adeò Matris nominauit Sueuiæ Principem, quem ſibi deinceps habere patrem iuſſit: falsò enim ſub ſuo nomine latuiſſe ſpuriam ſobolẽ nec animi nec vultus ſui imagine inſignitam. Quod facinus nec, quàm velles, modeſtè, nec, quàm par eſt, acerbè vlla repræſentet oratio, vti nec iuſtiſſimum dolorem, qui in Regij Iuuenis animo cum ira certabat; cui propè optandum fuit, ne pater de natalibus ſuis

CAVSA ODII.

eſſet mentitus; quando fœdiore maculâ notari non potuit, quàm ſi talis belluæ filius haberetur. Coniectum ſubinde in carcerem Bertholdus ſcripſit; ex quo paulo pòſt elapſus ad Welfonem Iuniorem Mathildis coniugem & Vrbanum Pont. ſe contulit, eorúmque voluntate & opera Rex Italiæ contra patrem eſt ſalutatus. Baronius Conradum hunc Welfoni rebellionis cauſâ exauthorato ſuffectum in BOICA Principem ſcripſit, & Lambertum teſtem producit, apud quem ea de re verbum nullum reperias. Neque temerè Welfo æmulum ſuæ dignitatis tuendum ſuſcepiſſet; quem tamen conſtat eâ gratiâ in Italiam profectum, vt operam ei ſuam addiceret: quæ res Henricum tanto mœrore affecit, vt publico abſtinuerit manus etiam ſibi illaturus, niſi familiares inuitum ſeruaſſent. Res Italicæ etiam Germanicas erexerunt; Gebhardo Conſtantienſi Epiſcopo Legato Pontificio omnia ſubſidia conquirente & Alemanniæ Proceres nouo fœdere colligante. Principes in eo partes Bertholdi Zäringij Gebhardi fratris, & ſecũdum eum Welfonis

CONR. REX ITALIÆ SALVTATVR.

Baron. a. 1077.

PATRIS MOEROR.

Berthold. Anno 1093.

FOEDVS ADVERSVS CÆSAREM.

ſonis fuere. Vlmæ Conuentu acto Bertholdo & Gebhardo ſumma rerum permiſſa; fœdus in duos & ampliùs annos ictum. Boios ea tempeſtate Auguſtam irrupiſſe, explicatáque ad D. Virginis Baſilicam acie cum Ciuibus conflixiſſe, illius vrbis annales habent; metu tamen ſub ipſum conflictum oborto dilapſos à ſignis, & imminuto cædibus numero, infamiam in patriam retuliſſe. Eius ego belli neque cauſam neque ducem reperio; opinanti tamen propior ſum, eorum qui datam Henrico fidem nondum exuerant, id facinus fuiſſe, anſâ iterum ex confuſione ſacrorum arreptâ. Cùm enim eodem anno Auguſtæ pars melior ſpurium Epiſcopum, quem Henricus obtruſerat, vrbe exegiſſet, legitimo ſubſtituto, illis Henrici temeritatem, his ius ſuum tuentibus, itum ad arma, egregiè credibile eſt.

Chron. Auguſt.

BOII AVGVSTAM INVADVNT.

Bertholdus.

Sequente anno Iuditham conjugem VVelfoni mors eripuit. iuſta ei magnifico apparatu in Cœnobio Vinearum perſoluta; quò maritus omnem eius mundum muliebrem & domeſticæ aræ cultum tranſtulit; prædiis etiam centum

A. MXCIV.

Berthold.

tum attributis. Eo annitente, tota BOIARIA ad Pannonicos vſque limites fœdus priore anno Vlmæ ictum amplexa eſt, lue tum maximè per eam ſæuiente; vt trimeſtri, intra Ratiſbonenſis vrbis mœnia, octo hominum millia & quingentos conſtet in cenſum Libitinæ veniſſe. Quo demum anno Giſelam Stephani Regis vxorem Henrici S. germanam Batauis in Nidernburgenſi Parthenone rebus humanis exemptam cultámque pro Diuâ nonnulli tradidere, centenariâ, quod neceſſariò inde conficitur, haud paulo maiorem. Bretiſlao viciſſim Bohemo è BOICA vxor ſubmiſſa Lutgardis Alberti Comitis filia.

Peſtilentia.

Hoffman. in Ann. Bamberg.
Hund. in Metrop.

Coſm. Prag.

MXCV. Nonageſimo quinto, VVelfonis Iunioris & Mathildis coniugium diſſiliit, quod citra thori commercium famâ magis quàm vſu in eam vſque diem conſtiterat. Cauſæ celatæ ſunt: nam Coſmæ Pragenſis hircoſa putidiórque omnibus cloacis narratio nec fidem meretur nec ſtationem in caſto libro. Ego pudori Mathildis vt cœterarum virtutum faſtigia ita etiam caſtitatis rariſſima

Diuortium Welfonis et Mathildis.

Digitized by Google

riſſima exempla ſectantis imputo, quòd bis coniunx mater fieri abnuerit. VVelfo pater diuortio grauiſſimè offenſus deiectúſque ſpe ingentium opum, quas filio eo coniugio quæſierat, dum conciliare diſſidentes omni ope laborat, pertinaci prauóque ſtudio eò vſque prouectus eſt, vt nec Henrici amicitiam auxiliáque reſpueret, auaritiâ tot annorum conſtantiam labefactante: neque erubuit cum filio in Germaniam reuerſus de reſtitutione Henrici palàm verba facere, & toties faſtiditam crambem recoquere, nullo alio cõſilij fructu, quàm vt vulgi rumoribus Filij quàm Fidei ſtudioſior habitus famam ſimul operámque perderet. nam Henrici cauſa maioribus quotidie odiis premebatur, quàm vt talis eam fulcire patronus poſſet; Praxede Regina regiæ domus libidines & vel ipſis erubeſcendas lupanaribus obſcœnitates protrahente in lucem; quarum commemoratione nemo non vehementiſſimè eſt commotus, cunctis monſtrum illud hominis deteſtantibus, in quod omnia vitia confluxiſſent; cuius improbitate ſacris profaníſque rebus

WELFO MAIOR ITERVM HENR. GRATIAM AMBIT.

HENRICI MORVM FOEDITAS.

bus omnibus detracta ſua ſanctitas ſit; & Eccleſia adulterino Pontifice, regia Cynicis ſordibus polluta. Et Praxedes quidem Concilij decreto matrimonij legibus ſoluta, & in Ruſſiam patriam remiſſa cœnobio ſe abdidit; in Henricum

Comitia Placentina.

Diræ repetitæ. Placentiæ comitia eo tempore Pontifex agebat; ex noſtris Præſulibus Thyemone Saliſburgenſi & Vdalrico Batauenſi præſentibus; quibus honoris cauſâ datum, vt Arnolfum Mediolanenſem Epiſcopum conſecrarent.

Conr. R. pietas.

Enituit pariter Conradi Regis pietas, Pontificem equitem arrepto freno deducentis, humili officio & equiſonum non Regum proprio, niſi præſens in Pontifice Numen adorantibus omnis decora eſſet modeſtia. Pontifex exoſculatus indolem tam remotam à faſtu patris, Eccleſiæ ipſum ſibíque filium adoptat, & ſpe oſtentatâ Imperij arctiùs

Berthold. Vrſperg.

deuincit. Conradus inde Piſas progreſſus Rogerij Siculi Filiam vixdum nubilem ſibi matrimonio iungit, perpulſus ad id amicorum autoritate, cùm ipſe

Concilium Claramontanum.

alioqui à re vxoria abhorreret. Pontifex in Galliam profectus ad Clarum

Mon-

Montem XIV. Cal. Decemb. Comitia, ingenti vtriuſque ordinis concurſu frequentata celebrauit. Relatum ibi de Chriſtiano nomine in ſanctiſſimis illis terris, vbi primùm auditum fuerat, quæque Seruatori cunas & tumulum dedére, barbarorum tyrannide oppreſſo; recitatæ Simonis Patriarchæ Hieroſolymitani literæ miſerrimam Chriſti ciuium ſeruitutem non auribus modò ſed oculis admouentes: Auditus etiam Petrus Monachus oculatus malorum omnium teſtis & diuinitus ad cantandum belli ſacri claſſicum vocatus. Pontifex in præparatis iam animis tantos oratione motus excitauit, vt velut Numine correpti quotquot aderant in eandem vocem erumperent, DEVS VVLT. Id pro omine acceptum Pontifex perpetuam belli ſacri teſſeram eſſe voluit, & certatim dantes nomina, aſſutâ paludamentis Cruce, Chriſti Milites appellauit. Galli, Belgæ, Lotharingi, Itali, Angli, Scoti ſub ſuis quique Ducibus centuriati. Germania, penes quam Imperium, &, ſi conſpiraret, vis etiam futura fuerat, diſtracta in factiones, commu-

BELLI SACRI INITIA.

Otho Friſing. Chron l.7. cap. 2. Diſſentit Coſm. Prag. Chron. l.3.

Vrſperg. Otho ibid. Dodechin. Alb. Aq. l.1. Hiſt. Hieroſol.

BOIORVM SVB PETRO EREMITA RES.

ni flamma, qua orbis terrarum exarſit, minimè omnium incaluit, prodigáque ſanguinis in domeſtica odia nunc ad famam pulcherrimi belli & ingentium ſpem triumphorum vix euigilauit; vt inter Duces neminem, ſub ſignis pauculos habuerit. Qui tamen priuatim ex Boiis vltro ad pia ſigna conuolarunt, ſub Godefrido Bulionio, quod Paulus Æmylius affirmat, auctorati præſentem victoriæ fructum tulere. Godefridi nomen etiam hodie ingens eſt, vt inter decora maiorum poſteri iure numerent, ſub tali Duce ſtipendia feciſſe. Albertus Aquenſis Boios cum Petro Eremita, ſacri belli concitatore Godefridum anno vno anteuertiſſe, virtutémque Ductori ſuo cùm alibi, tum in Bulgarorum finibus probaſſe commemorat. Cùm enim in Maroæ fluminis tranſitu Pincenariorum telis identidem multi configerentur, excitati cum Alemannis Boii ſeptenis in eos ratibus inuecti totidem eorum naues depreſſerunt, latrunculíſq; reliquis cæſis, ſeptem captiuos in Petri oculis, ex eius imperio, conciderunt, ſi qui prætereà Emichonem

nem Rhenanum Comitem aut Sacrificulos quoſdam inconditæ plebis Anteſignanos inauſpicatò ſecuti ſunt, Ducum ſtultitiâ perierunt, nulla re niſi Iudæorum, qui ſacra noſtra repudiaſſent, cæde odium potiùs quàm laudem meriti, ceterâ etiam vitâ tam improbi, vt ab Vngaris pro hoſtibus habiti plerique in finibus cæſi ſint; Ladislao Rege apud Vngaros, & Leopoldo apud Auſtrios fato iam functis; quorum prior Diuorum numerum auxit; poſterior hæredem Sanctum habuit ſibi cognominē, proprio tamen agnomine Pium dictum: Quibus nos tertium ſed indigenam iungimus, licet non natum in purpura, in ea tamen mortuum. Engelmarus is eſt, qui ruri educatus & ab agro ſtiuâque ad cultum animi tranſgreſſus Gregorio Armenio Pontifici in BOICA exuli in diſciplinam ſe dederat: qui cùm anno nonageſimo tertio, nono Cal. Octob. quo ipſo tempore ſol defecerat, fidem prædictionis ſuæ moriendo expleuiſſet, Engelmarus nemus cum ſocio ingreſſus vitam ita inſtituit, vt ruſticani hominis Philoſophia omnibus eſſet

Vrſperg. Chron. Auſtral. Bonfin.

S. ENGELMARI CRVENTA MORS.

Ex Chartis VVindberg. t. 6. H. Caniſii.

ſet admirationi, & de immortalibus bonis aptè ſuauitérque diſputanti vicinia omnis cupidas aures præberet. Sed ſocius tam lætis rebus ægreſcere, admordere clanculum, ridere nouum ex bubſequa Oratorem, & ad æqualem famam diſſimilibus ſtudiis graſſari; quibus cùm ex obſcuritate ſua non emergeret, Engelmarum, quaſi luminibus ſuis obſtruxiſſet, VII. Idus Ian. inopinantem aggreſſus iugulat, & corpore niuibus obruto locum magiſteriúmque virtutis latro occupat. Sed quomodo virtus illo ore commendaretur, cùm conſcientia linguæ & innoxii ſanguinis clamor obſtreperent? cuius vim diu non tulit, actúſque furiis & omnia metuens ſuum ſecum carnificem vagus & erro circumtulit. Engelmarum Sol, liquatâ niue, prodidit. Sacerdos inuentum pro copia tumulauit; cælo, quod iuſtis defuit, ſupplente, multa face & peregrinis odoribus ibidem accenſis, quibus Engelmaro par cum Martyribus veneratio acceſſit. Eadem tempeſtate Hermannus Pontificatum Auguſtanum inuaſit, Wittelſpacenſibus Dynaſtis à ſcriptoribus

Hund. ex Bruſch. & Mareſcalco.

ribus nouitiis inſertus, nulla vetuſtatis adſtipulatione; quam neque deſidero quidem; cùm iis moribus Hermannus fuerit, vt ex eius Pontificio nulli genti gloria ſit acceſſura: etſi enim Ruthardus Moguntinus, à quo ſua Auguſtanus iura petit, dignitatem illi confirmauerit, vt ex literis, quæ in ſanctioribus eius Epiſcopatus tabularijs aſſeruantur, manifeſtum fit, res tamen eundem Pontifices, Paſchalis, Gelaſius & Calliſtus, absque ſpe recuperandi officii, de gradu deiecerunt; cui tam infami notæ, quod opponam, non habeo.

Epiſt. Eginon. apud Vdalſcal. in Ant. Lect. H. Caniſii.

Anno nonageſimo ſeptimo Henricus, inualeſcentibus Pontificiis, Italiâ ceſſit, & Ratiſbonæ Iudæis, qui ſacra noſtra inuiti ſuſceperant, leges ſuas ritúſque reſtituit. Welfo recuperato eiuſdem voluntate BOICÆ Principatu, Italiam petiit hæreditatem aditurus, cùm Azo pater centenario maior hoc demum anno mortem oppetiiſſet. Totum aſſem ſperanti cùm fratres ex nouerca litem mouerent, adſcitis Henrici Carantani & Aquileienſis Patriarchæ auxiliis, ius ſuum armis vindicauit. Interim

MXCVII. *Bertholdus. Vrſperg. Chron. Auguſt.*

WELFO HÆREDITATEM ADIT.

WELFONIS FILIORVM ADV. HENR. ODIVM.

terim in BOICA filii per Patris abſentiam noua conſilia coquere, damnare ſenis inconſtantiam ad veternoſam Henrici gratiam reuerſi; & nec ea ſibi amicitia fraudi foret, palàm à Rege deſciſcere; alter ex ijs Antonem, qui defuncto Altuino Brixinenſi Epiſcopo, fauore regio infulam occupârat, in vincula rapere, aliáque hoſtilis animi edere documenta. Sed eos in ipſo rebellionis apparatu pater oppreſſit, ſuffocatóque in prima flamma incendio, cum Henrico in gratiam reduxit, anno nonageſimo octauo; quo Meginvvardus Friſingenſis mortuus proditur, & quidem domo abſens; cùm ſacrorum rituum causâ, quorum apud Bohemos Magiſterium exercebat, Pragæ moraretur: Quæ mihi profectio ſuſpecta ſemper fuit, quòd ex Coſma æquali horum temporum ſatis conſtet, Boiohæmum Guibertinæ factionis, Catholico Antiſtiti, qualem Meginvvardum fuiſſe oſtendimus, morem geſturum non fuiſſe. Succeſſoris illius Henrici Eberſtainij, vel, quod alii malunt, Eberſtorfij iter Bohemicum ex aliis cauſis ſuo loco prode-

Ita in Chron. Auguſt. appellatur. Catalogus Brixinenſis Hugonem quendam exhibet.

A. MXCVIII.

Catalog. Epiſcop. Friſing. & Coſmas Pragenſ.

prodemus. Eodem anno Caſtellanum nobile in Nortgoia Monaſterium conditum eſt à Berengario Sulzbachenſi & ſorore Luitgarde, eorúmque patruo Friderico. Berengario nupta Adelhaidis fuit, quam marito ſuperſtitem Baumburgenſis Monaſterij fundamenta iecisse vulgaris error habet; cuius diluendi causâ, iuuat rem altiùs repetere. Cunoni Megligenſi ſiue Frontenhuſio Adelhaidis patri veteres cum Marquardo Marquardſtainio ſimultates intercedebant, quæ per communes amicos tandem ſopitæ ſunt, Marquardo imparem ſe profitente, quémque pati hoſtem non potuit, patronum ſalutante. eum cùm familiariter exinde coleret, eſſétque apud eum aſſiduus, in amorem filiæ exarſit; quódque patris voluntate ea ſe potiturum deſperaret, rapuit non invitam; poſt alterum menſem à fratribus duobus, quorum matrem antea iuſtæ propè vxoris loco habuerat, ex inſidiis interemptus. Vita tamen ad vltima mandata ſuperfuit; quæ vbi nouæ nuptæ de condendo D. Margaritæ honori Monaſterio dedit, ex vulnere deceſſit.

MONAST. CASTEL. CONDITVR.

Ex literis Fundationis Monaſt. Baumburg.

Vidua

Ex literis Berchteſgadenſib.

Vidua Vdalrico Püttenſi Comiti; & eo quoq; ſublato, Berengario, quem ſuprà memoraui, iuncta, vota prioris mariti tergiuerſantibus nequicquam commendauit. Fidem olim Berengarius etiam Irmengardi Matri dederat, Berchteſgadenſis fundi conſecrandi; duxerátque ex Raitenbuechenſi Monaſterio coloniam, Ebervvino duce, qui diu cũ locorum aſperitate conflictatus certas ſedes nondum fixerat; quò acrius Adelhaidis maximè ſub vitæ finem inſtandum marito cenſuit, ne longiore fruſtratione deſideria ſua eluderet. omnia ſpondentem ſacramento adigit, mortuæ extra Diuæ Margaritæ votiuam Ædem tumulum non foſſurum. quo factum eſt, vt Sulzbachij ſub gleba aliunde importata congeſtáque temerè obruta veriùs quàm ſepulta annos duodecim ſupremis honoribus caruerit; quod indignum clariſſimis natalibus cauſati amici, qui eâdem cum Berengario ſponſione tenebantur, quotidianis conuitiis cunctatorem impulere, vt ſuam fidem liberaret. Ita Baumburgenſe D. Auguſtini ſodalium Cœnobium ſurre-

BAVMBVRGENSE ET

ſurrexit; Berchteſgadenſe quòd caput ægrè tolleret & opibus viribúſque ſuis tenuia initia vix ſuſtentaret, ab eo iura petere iuſſum: Id tamen non perennauit; Conrado Saliſburgenſi Archiepiſcopo Berchteſgadenſes liberos pronunciante; quam ſententiam Romani Pontifices ratam deinde habuere. Verùm has monaſteriorum Origines indubitatâ Annorum notâ inſignire difficile eſt. Id tamen ex tabulis donationum, quæ alicubi Adelhaidis nomen præferunt, intelligas, aliquammultis annis vetuſtiora eſſe qualiacunque Berchteſgadenſium quàm Baumburgenſium initia; ſed hæc ab ipſo ortu ſuo celebriora. Quæ quo pacto Adelhaidi debita ſint, ex rerum ſerie intelligitur. eam quadrageſimo quarto ſupra milleſimum centeſimum demum obijſſe, etſi cippo tumuli inſcriptum legitur, alieniſſimum à vero eſt; cùm ad Berengarium maritum Paſchalis II. Pontificis literæ extent vtique poſt duodecimum ab Adelhaidis morte annum ſcriptæ; quem tamen anno decimo octauo ſupra milleſimum conſtat Gelaſium ſucceſſorem accepiſſe.

BERCHTESGADENSE MONAST.

Citantur à Gevvoldo Fund. Monaſt. t. 2. f. 156.

Anno

HENRICI V. CORONATIO.

Coſm. Prag. l. 3.

Anno eius ſeculi vltimo Henricus cùm filium cognominem, Conrado rebellionis causâ præterito, Aquis coronaſſet, Paſchalibus Ratiſbonæ operatus eſt. Euocatus eò Brecislaus Bohemus inſigni vrbem pompa ſubiit, totâ regiâ ad bina paſſuum millia obuiàm effuſâ: Datum id extero Principi tanto ſtudioſiùs, quòd aduentus ſui famam vnà cum congiario ſparſerat, viámque ſibi ad Henricum auro muniuerat. Nihil petenti negatum. Hermanno Epiſcopatus, Boriuoio fratri, vexillo in manus inſerto, ius ſucceſſionis confirmatum eſt. Turbauit feſtos ludos mortalitas, quæ præter promiſcuam turbam Rapotonem etiam Palatinum BOIARIÆ Comitem eiúſque patruelem Vdalricum extinxit. Longè potentiſſimi hi Procerum fuere; & Vdalrico quidem ex diuitiis nomen datum; Rapoto verò non BOIARIAM modò, ſed Italiam etiam opibus ſuis complexus fuerat; vt Romam vſque profecturo vbique clientelæ & præſidia militum opportunis interuallis per arces diſpoſita praſto eſſent, nuſquam ſub alieno tecto noctem

DVVM PROCERVM MORS.

Vrſpe'g. Berthold. Staindel.

exactu-

exacturo. Idem tamen Guibertinæ factionis anteſignanus acerbo bonorum odio meruerat, vt funus illius inter læta duceretur; & cùm Guibertus quoque anno ſequenti periiſſet, nec ſeculum prius claudi rectiùs, neque nouum aperiri auſpicatiùs potuiſſe pij omnes cenſerent. A. M C.

IX.

Nos rerum BOICARVM curſum ab inſigni in paucis expeditione repetemus, quam maximis ſuſceptam animis, in optima cauſa, beneuolentia Numinis deſtituit; cuius iras tum maximè manifeſtas putamus, cùm conſilijs non aſpirat neque lætis initiis finem attemperat. Impleuerant orbem terrarum ſacræ militiæ triumphi, reſpirabátque ad famam liberatæ Hieroſolymæ Chriſtianum nomen vniuerſum; Germania præſertim inteſtina tot annorum bella comparare Godefridi ſociorúmque præliis, numerare funera impenſa furori Principum, metiri ſanguinem effuſum in patrocinium impietatis, & deteſtari impiam rabiem in ſua viſcera ſæuientium; Quantam his viribus prodigè ſcelerate quę laſſatis abſumptíſque acceſſionem

EXPEDITIO NOVA HIEROSOLYMITANA.

Vrſpergenſis A. M C I. ex Schediaſmate

N potuiſſe

ut apparet hominis, qui reb. huius anni interfuit. Iterum in hiſt. Anni M. C. XXVI. Chron. VVeingart. Chron. Auguſtan. Otho Friſing. Trithem.

potuiſſe fieri ad regnum Chriſti? Religionis pomœria quàm latè proferri? vbi non explicari ſignum Crucis? quem ſenſum fore poſteritatis Maiorum ſuorum furias ex Annalibus cognituræ, & recuperati Orientis trophæa inſigniáque ſanctiſſimi toto terrarum orbe regni viſuræ in exterarum gentium imaginibus? Interim Germaniam de Germania triumphaſſe, & præter patriæ exciſæ turpiſſimum titulum nihil in Faſtos intuliſſe. elatum à Chriſtiani orbis Parente ſignum puri piíque belli reliquis regnis vltro adorantibus & amplectentibus, Germaniam ne ad nomen quidem reſpondiſſe; in cuius ſinum Imperium ex Oriente receptum olim depoſitum fuerit, petentibus inde nouum decus maximis Heroibus, non modò non præiuiſſe, ſed piguiſſe etiam exemplum ſequi, & primæ laudem victoriæ aliis rapientibus ſibi ne tutelam quidem glorioſi Seruatoris Sepulchri depopoſciſſe. His veluti conuitiis cùm generoſæ mentes paſſim conuellerentur, tum Welfo potiſſimùm Pater excitatus eſt ad dedecus, ſi quod priore ceſſatione

WELFONIS PIETAS.

Boico

BOICO nomini impreſſum eſſet, abolendum: Vrgeri quin etiam prodigiis ſe credidit, quæ vel frequentiora tunc euenere, vel curioſiùs quàm aliàs vnquam obſeruata ſunt. Vagam flammam, vrbis ſpecie, faſtigiatam in turres & pinnas ab oriente in occaſum ferri nonnemo notârat, quid niſi nouam facem accendendis ad ſanctiſſimæ vrbis defenſionem animis? Papilionum etiam integros exercitus è Saxonia in BOIARIAM metatis itineribus triduo integro tranſuolantes qui viderunt, Augurium ex qualicunque volucre captabant indictæ militiæ. Magni proinde ad Welfonem claſſicum canentem facti hominum concurſus; quorum facilè princeps Thyemo Saliſburgenſis Antiſtes fuit; nonnulli etiam Vdalricum Batauenſem iungunt: Procerum reliquorum nomina parcè annotata, neque niſi eorum, quos clades ſua nobilitauit; quales ſunt Henricus Ratiſbonenſis & Bernardus Comites, Brunones duo genere & Sacerdotio conſpicui; Itha denique Leopoldi Marchionis Auſtrij Mater; quibus Eckhardum Schirenſem

WELFO EXPEDITIONIS HIEROSOLYM. DVX.

multò fortaſſe commodiùs, quàm Godefrido Bulionio addere comitem poſſis; Eckhardum inquam, qui à Peronibus (calcei genus eſt) quos rubris corrigijs aſtringere pedi, & ſubinde pro tentorio ſuſpendere & pingere in ſcuto vt familiarem notam ſolitus eſt, cauillo militari ne hodie quidem poſt tot ſecula abolito, Peronati nomen tulit. Welfo rebus omnibus ad iter paratis ingens agmen per Carinthiam & Bulgaros Conſtantinopolim ad Kal. Iun. perduxit. Bulgariam ingreſſo Legati Alexij Græcorum Imperat: præſtò fuere magna omnia polliciti, Græcâ, vt apparuit, fide; quam niſi priora ſæcula ſatis infamaſſent, illo ipſo æuo poterat inteſtabilis fieri. * Pincinatos emiſſarios ſuos, volaticum agmen & furtis quàm præliis aptius ita inſtruxerat perfidus Rex, ne diebus, ne noctibus noſtros omitterent; palantibus & via regia excedentibus nunc à fronte, nunc à tergo ſe oſtentarent; aſſultarēt caſtris; prælium vbi poſſent, vbi id non poſſent, tumultum cierēt; quibus iniuriis cùm per viginti dies exercitum noſtrum vexâſſent, Conſtanti-

Eckhard mit dem Pundſchuech.

* *Peucini aliis dicuntur & Pincenarii.*

tino-

tinopolis deniq; in conſpectu fuit; quo loco vniuerſæ copiæ intra decimum quintũ diem, hominum centum millia confluxere, Welfonis plerique & Wilhelmi Pictauienſis ſigna ſecuti. Principibus ducibúſque cohortium vrbs patuit & regia; lautia ijsdem ab Alexio præbita; admiſſi in conſpectum colloquiúmque; Filij ſalutati, fucatâ beneuolentiâ nec prioribus eius factis, quæque mox ſecuta ſunt, conſentiente. Vulgus in Aſiaticum littus traiectum fame ſimul & tædio laborabat, prodente ſeſe quotidie Alexij ingenio Turcis quàm Chriſtianis æquiore; quorum inter ſe digladiationes non pluris eſſe ſibi, quàm canina prælia, palàm dixit. Terrâ maríque iter facturis inſidias locauerat, ingenti ex eo in caſtris deſperatione ortâ, ambigentibus miſeris, vtrâ lethi viâ mallent perire. Plures iam perſoluto naulo, damnatâ maris multóque magis nautarum fide, iunxere ſeſe ambulaturis. Iis Alexius Duces dedit ſuis artibus eodémque noſtrorum odio imbutos, à quibus rectà in macellum, victimarum ritu, ducti ne honeſtæ quidem mortis

GRÆCA FIDES.

al. Corrozan. Vide Alb. Aquenſem l. 8. c. 19.

ÆRVMNÆ PII AGMINIS IN REG. CHORIZANA.

arbitrium reperere. Chorizana appellatur ea regio anguſtis callibus etiam expedito viatori iniqua; Turcis capitalibus Chriſtiani nominis hoſtibus habitata, raris mapalibus, nullo humano cultu, aut ſponte inductâ vaſtitate. Eo ingreſſum graue agmen, etiamſi pericula abeſſent, cum locorum difficultate luctaturum Turcarum quatuor millia ex diuerticulis inter arcta viarum, aut ex editioribus cliuis, nullo ſuo periculo, tuto vbique receptu, impune inceſſebant; iidem fontes obſtruere, pabulum corrumpere, vinetis carectíſque incenſis & fumantibus tormentum oculis creare, eminus cominúſque in deuotos morti graſſari, & triginta dierum noctiúmque carnificina exſaturare odia, cui ex lectiſſimo exercitu vix mille ſuperfuiſſe oculatus teſtis ſcripſit, velut nuncios cladis, eóſque à fame, ſiti cæteríſque ærumnis ita acceptos, vt ſortem ſuam cæſis poſſent inuidere: è quibus Bernhardus & Henricus Comites Hieroſolymis obiere eo ſaltē nomine felices, quòd inter oſcula beatæ glebæ, cui Chriſtus inambulauit viuus, aut in amplexu

plexu tumuli, cui incubuit mortuus, vitam ijs ponere licuit. Welfo enim in triſtiores dilatus caſus in Cypro demum, *inter longiſſimam cruciatuum ſuorum hiſtoriam*, vt Vrſpergenſis loquitur, eſt extinctus. Paphi tumulatum hæredes exhumarunt, vt Altorffij in Vinearum monaſterio decentiùs conderetur. Porrò cùm præter ea, quæ ex Vrſpergenſis Abbatis Rhapſodiis & Weingartenſib. Annalibus exſcripſimus, apud Albertum Aquenſem auctorem inprimis diligentem certúmque & oculatis teſtibus ad concinnandam hiſtoriam vſum, illuſtrandæ Welfonis expeditioni inſignia ſuperſint lumina, ea quoque mutuabimur, ſtatuemúſque ſine iniuria eorum, quæ aliunde ſumpta ſunt, ſeorſim. Hæc itaque eius eſt narratio: Eorum qui Wilhelmum Pictauorum Comitem Welfonémque Boiorvm Ducem & Itham Auſtriacam ex vtroque ſexu ſecuti ſunt, ſupra centum ſexaginta millia cenſebantur. Adrianopolim vſque iter iis expeditum. Pons vrbem ingreſſuris non

Welfo in Cypro moritvr.

Alb. Aqvenſis de Welfonis itinere narratio.

patuit à Guzone Bulgarorum Duce militari viatorum licentiâ & nonnullis iniuriis irritato occupatus. Ventum eſt ad manus; pugnatum euentu vario; fortiſſimus quiſque vel cæſus vel captus. Finis pugnæ, Guzone Duce in poteſtatem adducto, impoſitus eſt; quem caſus ille non modò æquiorem noſtris, ſed amicum inſuper reddidit. diſceſſuros commeatu iuuit; Duces etiam itineris Conſtantinopolim vſque præbuit nullius doli compertus. Illic menſem & amplius ſubſiſtentibus ab Alexio omnis honos habitus. Stanconæ demum loco vltra Nicomediam ſito mutata rerum facies, & velut extra humanitatis fines egreſſos barbaries, vis, malorúmque omnium comitatus excepit, neceſſarijs humanæ vitæ fomentis Turcarum ſæuitiâ interceptis. acerbum fortibus viris ſic perire. bellum ergo poſtulatum & facultas ad inhoſpitales gentis vrbes penetrandi ferro. Welfo & Wilhelmus militum calore vſi Phiniminum & Salamiam primo aſſultu cepere. Fames, ſitis, ira, acres ſtimuli & vltimæ neceſſitatis tela ferociam ſuggerebant; cuius vim plura

RES ADRIANOPOLI GESTÆ.

ITEMQVE CVM TVRCIS.

Digitized by Google

plura oppida eodem multata exemplo ſenſere, breui noſtrorum lætitiâ, & inſperatâ paulo poſt clade extinctâ. Ad Recleium vrbem properantibus Solimannus, Donimanus, Carathus, Agunichus Turcarum Satrapæ cum infinitâ hominum multitudine ſeſe oppoſuere aduerſo littore diffuſi, vt aquatione noſtros excluderent. Miſerrima Piorum conditio fuit, ſpe quidem euitandæ mortis nullâ, ſed triſtiſſima duntaxat optione relictâ, ſitíne an ferro perire mallent. Nam flumini appropinquantibus totidem mortes, quot barbarici arcus toto littore tendebantur, paratæ erant; reſtitantes ſitis enecabat dirũ tormentum tantóq; intolerabilius, quanto viciniora erant remedia, ſi per barbaros frui licuiſſet. Multi nihilominus bibendi appetentiâ ad mortis contemptum efferati cæco impetu ferebantur ad flumen, & plerunque ne potiti quidem vltimis votis, obuiam volantibus telis periere etiamnum ſitientes. Summa non modò apud milites, ſed Duces etiam, aduerſus anceps & ineuitabile malum conſilij erat inopia: quid iuberent ve- VLTIMÆ CALAMITATIS IMAGO.

tarentque incerti, imitatíque guberna-tores, qui omiſſo clauo ventis nauem permittunt, vitæ mortíſque arbitrium deſperatis conceſſere. Quibus vel vi-rium vel audaciæ nonnihil ſuperfuit, quaquauerſum dilapſi ſua fortaſſis fata morati ſunt; effugere paucis datum. Trecenti propinquo occupato prato ſub fœni metas ſucceſſere, irritâ dili-gentiâ: ad vnum omnes telis confixi ſunt, ſubſannantibus barbaris tam ſim-plices latebras. Welfo loricâ & reliquo cultu corporis abiecto per montium auia reptando, ægrè hoſtiles manus euaſit. Antiochiæ deniquè aperire ſeſe, reſpirare à fuga, & paucas ingentis exer-citus reliquias velut naufragij tabulas colligere eſt auſus. Vix quiſquam com-paruit. ergo penè incomitatus cum Reinoldo Burgundiæ Duce Hieroſoly-mam proficiſcitur, cuius deſiderium tot ærumnæ nondum extinxerant. Et Reinoldo quidem potiri optatis non li-cuit viæ ærumnis confecto. Welfonis ſpes Deus ratas habuit, & ad humanita-tis ſuæ adoranda veſtigia admiſit. Per-functum officio pietatis & inter puriora gau-

WELFONIS FVGA MI-SERABILIS.

ra gaudia oblitum præteritorum in ardentes patriæ flammas, quibus nuper ambuſtus fuerat, recidere non eſt paſſus, Cyprum Inſulam vitæ laborúmque metam ſtatuens. Atque hæc Alberti narratio eſt; qui etiam alterius turmæ itidem ex BOIIS collectæ, quæ paulò ante Welfonem iter factum, Duce Conrado Imperialis Stabuli præfecto, ingreſſa fuerat, funeſtos caſus erroréſque recitat; ſed quòd ijs nullius è gente noſtrâ fama inclaruit, parcimus communem multis tragœdiam nobis aſſerere, etiam in propriis faſtidium metuentes. Ergo, iis omiſſis, ad Thyemonem Salisburgenſem Antiſtitem in eadem regione Corizana, ex qua nonnulli imperitè Corozain Galileæ vrbem fecere, captũ & crudeli affectum ſupplicio regredimur. Actis ſeorſim de eius morte editis aſſuta nonnulla vereor, quæ figmentis quàm vero videantur propiora. Quale illud eſt, ſimulachrum pro Deo cultum refingendum Thyemoni ſtatuariã profeſſo oblatum, ídque ab eo comminutum eſſe; cùm ſatis conſtet (quod etiam Otho Friſingenſis obſeruauit) Saracenos

MARTYRIVM S. THYEMONIS ANT. SALISB.

Extant edita à Can. t. 4. Lect. Antiq. Et in vet. Monument. Iacobi Gretſeri.

nos in vnius Numinis qualicunque veneratione acquieſcere. Sed nimirum cùm de mortis genere *fideliſſima traditio*, vt idem Otho loquitur, extaret, cauſam, quod neceſſe non fuit, quærendam ſibi rudis ſcriptor putauit, & peregrinorum rituum ignorantiâ in hanc incurrit; cùm ad inflammandum Turcarum furorem ſatis fuerit, quòd ex inimica gente, quòd ſacrorum Antiſtes, deniquè quòd Chriſtianus eſſet. Igitur incertis aut apertè vanis in medio relictis, ſupplicium ipſum cognoſcamus. Deſpoliatum veſte & aſello impoſitum ſcuticâ veneno perlitâ acriter cædunt, defluente ad contactum extima cuticula & adipatam toxico ſoleam ſequente: Articulatim deinde manuum pedúmque digitis præciſis, reliquum corpus membratim laniant, carnificinâ tanto diriore, quanto fuit lentior. viſcera tandem ferro ſcrutati aluum exenterant, ne ſic quidem, tot ad cælum patentibus viis, exeunte animâ, donec cum corde extracta Thyemonem inter omnia tormenta inuictum triſte orbis, pulcherrimum cæli ſpectaculum deſeruit,

ſeruit, germanum Iacobi Interciſi exemplum, cui Thyemonem etiam Paulus Bernriedenſis noſter comparat. Is, qui illius agonem ſpectauit, & Boiis domi expoſuit, triumphum quoque generoſi ſpiritus cælum ſubeuntis ſibi viſum affirmauit, teſtatus etiam deartuati corporis membra velut in conſortium gloriæ admiſſa nulli obnoxia iniuriæ fuiſſe, non modò rapacium auium aut quadrupedum morſu inuiolata, ſed hominum etiam contactum, niſi qui venerabundi acceſſiſſent, indignata; vt impij, qui per ludibrium diſpergere laceros artus inſtiterant, ne articuli quidem humo leuandi habuerint facultatem. quæ res apud impios in religionem vertit vel ſerò æſtimantes qualem virum belluarum more concerpſiſſent. Chriſtianis, quod vnum ſupererat, ſacras exuuias legendi poteſtas facta. venerationem iiſdem ingentia prodigia conciliarunt, & facta morbis medicina. Templum denique nomini eius dicatum; cuius ſanctitatem barbari ipſi bonis maliſque ſuis frequenter experti negant gratis Thyemonem coli, aut impune offen-

In vita Herluca Virg.

Trivmphvs et prodigia S. Thyemonis.

offendi. Cælum IV. Kal. Octob. laureatus ſubiit, die cum D. Emmerammi natali prope congruente; cui cùm Thyemonem mortis genus in multo glorioſiore cauſa obitæ exæquet, mirari ſubit, memoriam illius BOICÆ non perinde ſanctam eſſe. Itham Leopoldi, quemadmodum ſuprà diximus, Matrem, cùm nuſquam compareret, occiſis primùm adnumerabant ſuperſtites: ſed poſtea compertum eſt, multo calamitoſius ei exilium obtigiſſe. Raptam enim Saracenus Dynaſta vxoris loco habuit, ex eáque Sanguinum inauſpicatum nomen & belluina in Chriſtianam gentem immanitate olim graſſaturum ſuſtulit. Canonici duo Brunonis commune nomen ſortiti inedia ſitíque defecerunt. Atque hæc ſunt, quæ de nobili Welfonis expeditione annotata obliuionem effugére, triſtia prima fronte & infra ſpem militarium animorum, qui ſpolia, opes, gloriam, triumphos ſibi deſtinauerant; quæ tamen, ſi verum volumus, qualia ſunt comparata glorioſiſſimæ morti, cui, ſiue cauſam ſpectes, ſiue locum, ſiue adeò carnifices ipſos, quantillum

ITHÆ MARCHIONISSÆ INFELICITAS.

tillum deeſt, quò minus Martyrium dici poſſit? ad quod nomen quantumuis cum ſummis cruciatibus coniunctum nemo bonus vnquam expauit; vt gratulandi quàm ingemiſcendi his quoque noſtrorum militum vicibus cauſa iuſtior ſit; quibus ſi lauream & Martyrum nomen Deus negauit, at certè ouantes cælum ingreſſos eſſe perſuaſum habeo.

Chron. VVeingart.

WELFO WELFONIS F. DVX BOIARIÆ.

WELFONIS IVNIORIS LAVDATI MORES.

Welfoni Patri in Principatu Welfo F. ſucceſſit, ille ipſe qui nuper cum Mathilde diuortium fecerat, vir ingenio miti & placido, quíque amari ſe, quàm metui mallet; facilis acceſſu & alloquio comis, nullâ maieſtatis iacturâ, etſi eam ſupercilio non tueretur; nudâ & propè languida manu, quàm armatâ alij, fortior, verúmque expertus, mandata validiùs vrgeri imperioſâ quiete quàm tumultu; Vnicum exemplar laudati Principis æuo ſuo habitus. Regia ipſius Elegantiæ & Morum Gymnaſium fuit; neque nobilitatem vſquam rectiùs quàm ſub

ſub illius oculis adoleſcere domeſtici iuxtà exteríque credidere; & ſi qua vſquam bonæ ſpei indoles fuit, magnis parentum ambitionibus in Ephebium illius vt in plantarium virtutis transferebatur, inſigni commodo publico & Welfonis gloriâ. Bello nihilominus bonus clara fortitudinis documenta in Italia potiſſimùm edidit, vbi bella geſſiſſe plura & paternis auitíſque bonis infeſtos repreſſiſſe proditur.

MCII. HENRICI CÆS. INTERCALARIS PIETAS.

Anno ſecundo Henricus florem virtutis oſtentare per intervalla ſolitus breui iterum ſpe mortales lactauit, in publico conuentu proceribus pollicitus, terris ſe pacem redditurum, diſſidio inter regnum & ſacerdotium Romæ compoſito. Verba fuere. vbi ad rem ventum eſt, nuſquam comparuit, contumaciæ causâ iterum impiis ſententiâ publicâ accenſus: Pontificatum deinde

INITIA S. OTHONIS BAMBERG. EP.

Babenbergenſem Othoni tradidit, & quidem, quod illi inſolens fuit, gratis, puerili voce vel oraculo potiùs à nundinatione reuocatus: Cùm enim venale id quoque Pedum expoſuiſſet, ephebulis confabulantibus forte fortuna

ſuper-

ſuperueniens voces indignantium excepit; virtuti, dominante pecuniâ, locum non eſſe: quem enim alioqui Othone potiorem? aut quid illi deeſſe, quàm quòd mereri non mercari honores didicerit? Quam querelam cùm Henricus iuſtam agnoſceret, crederétque haud temerè ſed diuinitus inſtinctis excidiſſe, Othoni nec licitanti nec ambienti Pedum porrexit. Othonem ſcriptorum vulgus Bertholdi II. Andexij & Dieſſenſis Comitis ex Agnete filium facit, reclamantibus rerum ab eo geſtarum ſcriptoribus, qui Othone & Adelhaide Sueuiæ Dynaſtis genitum diſertè affirmant. Ratiſbonæ primùm Boiis agnitus; inde tractus in regiam, tandémque ad mitram eſt: ſed aſpernatus profana auſpicia Paſchali Pontif. malè conciliatum decus remiſit. Id Pontifex pro argumento magni animi habuit, eúmque ritè inaugurauit. Otho ſequente anno Henrico Natalitia Chriſtiana & conuentum Principum Ratiſbonæ agenti præſto fuit. Nouos ludos dederat Henricus & Emchardo Epiſcopo ſacri belli præcone inſtituto ſub

PATRIA EIVSDEM ET GENVS.

MXIII.

Vrſperg.
Otho Friſing.

HENR. NOVÆ EXPE-

O ſigna

DITIONIS SACRÆ STVDIVM SIMVLAT.

ſigna Germaniam vocauit, Ducem expeditionis fore ſe, ſummâ rerum Henrico Filio permiſsâ, pollicitus. lætis id animis acceptum, non modò tironibus ſed veteranis etiam certatim nomina profitentibus & inuicem gratulantibus, quòd ætate inter bella impia contritâ vltimas vires & reliquias ſanguinis bonæ tandem cauſæ eſſent impenſuri, pro qua pugnare & mori pulchrum foret; cùm ante hac non magis clades, quàm victoriæ eſſent erubeſcendæ, augerétque idipſum inuidiam, ſi manifeſtè impij ſubinde ex acie redirent felices. Ita animatis militibus Dux defuit. Henricus qua nuper fide pacem promiſerat, eadem bellũ indixit. Totus expeditionis apparatus in ſeditionem domeſticam deſiit. Vrebat BOIARIÆ proceres flagrantior Saxonum apud Henricum gratia: etiam cùm in ſua prouincia comitia ſint, exteros primas occupare. nihil ſe niſi numerum eſſe & ignobiles magni conuentus vmbras inter pedarios ſenatores pondus ſententiis non ſuadendo ſed annuendo addere: ſuas eſſe expenſas & tolerantiam ſumptuum;

BOII SAXONIBVS INFENSI.

inſignia

inſignia honorum penes alios conſpici. Bellanti Boios vſque ad infamiam fauiſſe; rebus pacatis mutatas vices; proſcribi amicos, hoſtes rerum potiri. Hæc ita muſſabant, vt tamen intelligi & Henrico palàm eſſe vellent, iniuriam altè receptam. Sighardus præſertim Burghuſianus Comes oſtentare iras ſuas viſus eſt & meditationem vindictæ. Nunquam enim niſi inſigniter ſtipatus prodibat; neque ſatis conſtabat, metueretne ipſe vim, an metui vellet. Apud Henricum certè inuidiâ conflagrabat, quaſi nouarum rerum cupientior ſe turbis ducem offerret. Irritauerat etiam Palatinæ fecis & aſſeclarum nobilitatis turbulenta ingenia, quibus ex decoro ſeruitio & titulis Dominorum faſtus accreſcit, vt eorum ſe pede metiantur, quorum quadrâ viuunt. Horum iura immunitatéſque, quas ferè ipſi ſibi dant & pertinaciſſimè tuentur, cùm Sighardus imminutum iret, vniuerſi in ipſius caput coniurant, factóque agmine obſeſſum in ſuis ædibus ad necem depoſcunt; fruſtra pro eius ſalute nitente Regis filio, quòd Patris diſſimulatio auctorita-

SIGHARDI BVRGHVSIANI CÆDES.

Vrſperg. Friſing. Chron. Auguſt. Alb. Staden.

ritatem minoris Principis elideret, & primi inſuper coniuratorum ex regiis ſtipatoribus eſſent, vt videri poſſet cædes imperata ab eodem, cuius miniſtri eam peragebant. Ita ſummus ſuæ gentis vir in clariſſima vrbe & optimatibus referta ſeruili furore occubuit; ſex horis, quibus expugnata domus eſt, ad curam animi vſus cùm de corpore tuendo deſperaſſet. Porro cùm Sighardo Burghuſiano Leopoldus Leopoldi S. Pater filiam deſponderit, Toparchiâ Schallenſi dotis nomine attributâ, non eſt quòd alium ab hoc ipſo, cuius mortem narrauimus, generum Leopoldo quæramus; quià Coſma Pragenſi Sighardus de Sala dicitur & inter auxilia Vdalrici Bohemiæ Principatum affectantis numeratur. Suprà explicatum eſt, Brecislaum Bohemum Borivoio fratri ius ſuccedendi impetraſſe; quo cùm is ſequenti ſtatim anno, qui ſecularis fuit, Brecislao ex inſidiis occiſo, eſſet potitus, Vdalricus vtpote maior natu ab Henrico Ratiſbonæ enixè petiit, vt antiquatâ priore ſententiâ, præceptum immerenti ſibi honorem redderet, tueretúrque

Hund. in l. 1. Stemm. Coſm. Prag. Dubrauium.

TVMVLTVS BOHEMICI.

præiu-

præiudicium naturæ, quæ fratri ſe præpoſuiſſet. Henricus auro magis quàm æquitate victus inſignibus eum Principatûs exornat; negat tamen ſe proceribus gentis eligendi quem vellent libertatem ademptum: quos cùm Vdalricus fruſtra ſolicitaſſet, cogere armis ſtatuit, delectu in Germaniâ potiſſimùm, Cæſaris permiſſu, habito. Prædicabat paſſim, vbi primùm ſignum in patria explicaſſet, omnia ad ſe inclinatura, neque vllius ex optimatibus ſibi ſtudium defuturum. quæ cum Sighardus à Sala, Henricus Friſingenſis Epiſcopus (Dubrauius perperam Vdalricum appellat) & nonnulli alij affinitatib. Bohemo annexi verè dici putarent, magiſque pompas & adijciales cum nouo Principe, quem in ſolium ipſi eſſent impoſituri, cœnas, quàm prælia ſibi fingerent, vltro in tam honoratam militiam nomina dedere. Bohemiam Auguſto menſe ingreſſis Borivoius ad Melinam oppidum inſtructiſſimas copias obijcit; ex quibus cùm ad Vdalricum nemo tranſiret, conferre Boii inter ſe capita, transfugia popularium & nuper iactatas

BOII IN MILITIAM FRAVDE PELLECTI.

clientelas requirere, iiſque deſperatis ſuam in credendo facilitatem vanitatémque Vdalrici deteſtari. Hoſtis à fronte & tergo premebat incluſos rebus omnibus ſuperior, & vel in caſtris noſtros oppreſſurus; quòd ea nec defendi nec deſeri poterant, fortibus iuxta ignauiſque conſiliis, & ipſis fugæ præſidiis amiſſis. Nox denique arma & impedimenta iactantes anguſto calle eduxit. Bohemi ſpolia legerunt; inter quæ Friſingenſis Epiſcopi ſupellex ex ſacra veſte & ornatu aræ conſpicua fuit.

BOTONIS MORS ET STEMMA. *Vrſperg. Alb. Stad.*

Eodem quo Sighardus occiſus eſt anno, etiam patruelis illius Boto obiit cognomentum Fortis virium miraculo & militari gloriâ meritus. Nos alibi illius cum Vngaris congreſſum retulimus, in quo vnus homo exercitus inſtar fuit & in multa millia ſolus pugnauit, cētimanis gigantibus, quos fabulæ celebrant, ab ipſis hoſtibus antelatus. Fratrem Erbonem habuit Palatinum BOIARIÆ biennio abhinc defunctum. Genus paternum ad Erbonem, quem in venatu ab vro vel biſonte confectum diu poſteri vernaculo carmine cantarunt: Maternum

ternum ad Immedingorum familiam principem omnium Saxonicarum retulere. Hartvvigus Palatinus BOIARIÆ & Frideruna parentes fuere. Boto fortitudinis laudem inſigni etiam pietate cumulauerat, opibus ſuis Thariſienſi Epiſcopatus Bambergenſis Monaſterio collatis, vbi & condi & iuſta ſibi anniuerſaria fieri voluit.

X.
VLTIMVM CÆS HENRICI BIENNIVM.

Triſte iam vltimúmque Henrico pœnas irato Numini ſoluere iuſſo biennium ſequitur, debitum vtique tot annorum furori & penè nimis ſerum bonis, qui plerunque de induciis queruntur conceſſis impietati, & impatienter momenta numerant, donec in ſceleſtos ruat fulmen, parum æqui ſine dubio iudices, qui contrahere Dei clementiam volunt, & cùm tam rari ſint innocentes, differri ſupplicia dolent. Satisfaciet nihilominus his Henricus, reducétque cum Iuſtitia in gratiam, qui illam quinquaginta prope annis putant obdormiſſe: quos tamen ipſos non intelligo cur Henrico inuideant toties victo, fugato, cæſo, exoſo, proſcripto, & inter innumeros hoſtes etiam filium numeranti, qui

ti, qui præiret exemplo alteri maiora auſuro, quæ nunc promemus, Henricum infeliciſſimum patrem & miſerrimum Imperatorem oſtenſura. Saxonum, quos perquam familiariter ab eo produci ornaríque cæptos ſuprà oſtendimus, eum non ſatias modò ſed odium etiam ceperat. In hos arma reſumentē filius Henricus deſeruit nocturnâ fugâ è caſtris dilapſus. A Gebhardo Conſtantienſi Epiſcopo Pontificis legato expiatus in BOIARIAM proficiſcitur. Illic Dietboldus Vohburgenſis Dynaſta & Septentrionalis limitis, quæ Chambenſis Marchia dicta eſt, præfectus, Berengarius Comes Sulzbacenſis, quem nuper trium Monaſteriorum Conditorem laudauimus, & Otto præterea materna origine Henrico coniunctus eum aggreſſi ad capeſſendam contra Patrem Rempub. hortantur. Non erat iis difficile orationem reperire, quâ talis parentis in filio charitatem extinguerent, vel amori patriæ ſubijcerent. Ingens in ſolo Religionis nomine momentum; cui manum poſcenti prima ſemper auxilia deberi omnes intelligunt;

Vrſperg. Stadenſ. Trithem.

HENR. FILIVS IN HENR. P. INSVRGIT, BOIARIÆ PROCERIBVS SVASORIBVS.

CAVSÆ DEFICIENDI.

gunt; in quam vt pius ſis, poſſis etiam in patrem eſſe crudelis; in eum præſertim, qui Religionis incommodo vixiſſe & regnaſſe conuictus filio præter infamiam nihil relicturus ſit; niſi acta Patris ſplendidè degener reſcindat, &, cuius ſanguinem non poſſit, indolem ſaltem moréſque eiuret. Conradi fratris exemplum in oculis ei eſſe; cui glorioſius multo fuerit, patris hoſtem quàm filium dici. Non eſſe illi ad impietatis vmbram, quæ huic ſe conſilio ingerat, trepidandum. Aliquid ferè ex inconceſſo habere egregia omnia facinora; etiam qui hoſtem in acie occidit & opima ſpolia legit, homicidam fieri & manus ſanguine imbuere; ſed illam ſæuitiæ ſpeciem bonitate cauſæ leniri & in fortitudinem tranſire. Paradoxam prima fronte ſed ſanctiſſimam nihilominus legem eſſe, quâ parentis odium filio Chriſtus imperet, gladium miſiſſe ſe profeſſus ad iugulandos nimis molles affectus & exaſperandos erga proximas neceſſitudines animos. Quòd ſi vlli vnquam neceſſe fuit impugnare naturam, & piè furere in cognatum ſanguinem,

Henricum nimis quàm diu ceſſaſſe & patris amentiam amaſſe perditè. Tot Pontificum execrationibus deuotum, velut fulminatum bidental pridem vitandum fuiſſe; cùm nulla nocentior contagio ſit, quàm hominis manifeſtè impii. Denique niſi Eccleſiæ ſe quàm Patris ſtudioſiorem probet, fruſtra eos honores, quibus pater ſcelere ſuo exciderit, ſperare eidem conſentientem. Vnicum id eſſe Chriſtianæ Reipub. votum,vt quicunque Imperium poſthac habiturus eſt, patri eius ſit quàm diſſimillimus;adeò nihil illi ad gratiam valiturum, quòd Filius ſit Imperatoris. Henricus his ſe conſultoribus conſiliiſque permiſit, & BOIARIÆ proceres primùm, deinde etiam Sueuós & Francones ſibi concilians, Quintelburgi Paſcha celebrauit cupidiſſimè à Saxonibus acceptus & regio omni honore cultus, magis quòd eo dignus videretur, quàm quod illi ambitiosè immineret. Modeſtiæ quidem Northuſij maximè fidem fecit, cùm in comitiis publicis infuſus lacrymis iureiurando confirmaſſet, Imperium orbis terrarum ſibi

HENRICI IVNIORIS MODESTIA.

tanti

tanti non eſſe, vt pro eo patri mouendam litem vnquam exiſtimarit. Libertatis ipſiúſque adeò vitæ impendio ſartam rectam eius ſe dignitatem ſeruaturum, ſi pietati ſuæ locum reliquiſſet. calamitoſiſſimum ſibi accidere, quòd Patris viuentis eſſe hæres cogatur; cùm optabilius fuerit ne mortuo quidem ſuperſtitare, quàm exauthorato ſuccedere. Eæ voces aſtantibus lacrymas expreſſere votáque, vt aut filij mentem Numen Patri daret, aut Patris dignitatem filio ſtabiliret. Poſt Pentecoſten Moguntiam, vbi ſe Pater tenebat, filius cum copiis profectus Legationibus eius animum tentauit; vim enim Rhenus prohibebat & nauium inopia. Verbis nihil actum eſt. Würceburgum inde digreſſus Erlongum ſpurium Epiſcopum fugauit, & Rupertum Ruthardo Moguntino rite inaugurante ſuffecit; factáque Saxonibus reditus poteſtate, BOIORVM viribus Norimbergam obſedit, eáque poſt alterum menſem potitus, Ratiſbonam, milite à ſignis dimiſſo, conceſſit. Pater veſtigia filij legens eius amicis infeſta omnia reddidit,

ACTA HENRICI F.

RATISBONA HENRICO P. ADDICTA.

dit, & ſiue terrore armorum, ſiue promiſſorum magnitudine Ratiſbonenſium fidem labefactauit, fugatóque filio, eos in ſuas partes attraxit. Gebhardus vrbis Epiſcopus fatis conceſſerat Pechlariæ per tumultum occiſus. Huic Vlricus ab Henrico Patre ſucceſſor datus eſt. Dietpoldi deinde Vohburgij Marchionis, quem bello facem ſubieciſſe conſtabat, agrum populatus Borivoium Bohemum & Leopoldum Auſtrium ſibi coniunxit. Nihilo ſegnius Filius auxilia contrahere, amicorum damna vindicare, imminere patri, caſtra caſtris opponere, explicatiſque aduersâ Regeni fluminis ripâ ſignis, pugnam depoſcere. Decem millia lectiſſimæ iuuentutis, amoris erga ſe fideíque inconuulſæ armauerat, omnes pugnæ auidos & impatientiâ moræ feroces. Triduum integrum velitationibus abſumptum, in medium aluei procurrentibus vtrinque, quibus ipſa loci iniquitas placuit ad oſtentationem virtutis. Ita fluuius identidem colorem mutauit; ſimul tamen cum ſanguine etiam iræ imminutæ, refrigeratúſque ardor pugnan-

GEBH. EP. RATISB. MORS.

Laur. Hochvvart. Otto Friſing. l. 7. c. 8. Vrſperg.

CLADES MVTVO ILLATÆ.

pugnandi. Igitur non niſi inermes poſtea commeabant, & ex bellatoribus oratores facti de pacis commodis, cuius paulo antè nomen etiam oderant, facundè diſſerebant, quóſque argumentis non poterant, promiſſis in ſententiam ſuam impellebant. Ita Leopoldo Auſtrio detracta arma; cùm illi Henricus F. ſororis ſuæ Agnetis, quam Fridericus Stauffenſis moriens viduam fecerat, nuptias oſtentaſſet. Leopoldo bellum damnante, etiam Bohemo pax volenti fuit, qui Leopoldi ſororem in matrimonio habebat. hi duo reliquos traxere, inualidos iam ſine horum viribus & prædæ futuros, ſi quid eſſent auſi. Henricus Pater transfugijs abitúque ſuorum nudata conſpicatus caſtra, proditionem veritus cum paucis ſe ſubduxit. Filius Ratiſbonâ receptâ, Vlricum de ſede Pontificia deturbatum Hartvvico cedere coëgit; vrbem ipſam perfidiæ ſuſpectam nouis legibus frenauit; Gazam paternam Spiræ reconditam in poteſtatem adduxit. Burgundos deinde aditurus, ex itinere aduerſo de nouis patris molitionibus rumore retractus, Bingæ

Henr. P. deſeritvr.

Fvgit.

Filii cvm patre congreſsvs.

Bingæ eum eſt conſecutus, mediúſque inter monentem & obiurgantem quæ inflixiſſet Reipub. vulnera oſtendit, & medicinam popoſcit. Pater maiorem eam rem, quàm vt ſuo & filij arbitrio permitti poſſet, profeſſus concilium poſtulauit. Id quia iam Moguntiam indictum fuerat, eò vnà proficiſcuntur. Cùm haud procul ab vrbe abeſſent, de BOIORVM Sueuorúmque ingentibus copijs eò confluentibus percrebuit. Ibi filius Patrem monuit, maturè diſpiceret, ſatíſne tutò inter armatos eſſet futurus; à quibus ſi diſſentiret, vi cogi poſſet. alicunde potiùs velut ex ſpecula arbitraretur æſtum comitiorum, quàm eorum fluctibus dignitatem ſuam committeret. Id parenti in tot iuſti metûs cauſis facilè perſuaſum læto tam beneuolis filij curis, contra quem nuper in acie ſtandum fuerat. Sed arcem ingreſſo circumfuſus per ſpeciem honoris miles, inuiſum famulitium & carceri quàm regiæ aptius. Filius Moguntiæ Comitijs præfuit, & Wigberto cum minacibus mandatis ad Patrem miſſo, Auguſtalia ab eo inſignia repetijt; quæ gementi

PATER IN CVSTODIAM ABDITVR.

Ex Epiſt. Henr. IV. ad regem Celtarum.

menti vltima neceſſitas extorſit. Ea ceſſio cùm parum firmitatis habere multis videretur, Ingelheimium deductus pater inſignire ſua manu filium iuſſus eſt. Fabula referta ludibriis fortunæ Spectatorum plerisque lacrymas expreſſit; ſed actori vberrimas; cui haud dubiè morte grauior fuit illa ſeipſum in ordinem redigentis exauthoratio; cùm neque ſponte id faceret, & verbis tamen præ ſe ferret; déque dignitatis faſtigio non tam deſcenderet, quàm deruerét, ſceleribus primùm ſuis, communibus deinde populi votis, &, quod triſtiſſimum imperio aſſuetis, alieno iuſſu præcipitatus: Rei geſtæ ſeriem per Legatos nunciari Romam placuit. Lecti ex omnibus Imperij prouinciis ſummi viri. Lotharingorum nomine Bruno Treuirenſis; pro Saxonibus Henricus Magdeburgius; ex Franconia Otto Babenbergenſis; ex Alemannia Gebhardus Conſtantienſis; Curienſis pro Burgundis; & denique è BOIARIA Eberhardus Aichſtettenſis; ex quo intelligas etiam illum Pontificatum Boicam reſpexiſſe. Hi cùm vnà profecti inſidiarum ſecuri acim-

SE ABDICAT, FILIVM INAVGVRAT.

LEGATI CAPTI.

ac immemores Tridentum veniſſent, ab Adalberto adoleſcente, quem recentiores annales Goritiæ & Tirolis Comitem faciunt, in vincula abrepti ſunt. Id Henrici Patris imperio factum; qui impos animi & ſeipſum miſerans tragicis omnia querelis incendebat, ſolicitabátque veteres amicos, ne cum Fortuna & degenere filio mutarent fidem; quémque nuper Cæſarem Dominúmque coluiſſent, ſupplicem nunc ne deſpicerent. quæ lamenta cùm alios multos, tum etiam Adalbertum excitarunt, vt hanc afflicti ſenis inimicis vicem redderet. Ab Ottone tamen Babenbergenſi manum abſtinuit, clientelæ & ſacramenti militaris nomine illi obnoxius: eiuſdem gratiæ Brunonem Treuirenſem & Wigbertum Comitem conceſſit, fide tamen priùs datâ, ad Henricum rectà ituros, quæque ille de captiuis tuliſſet arbitria, ad ſe relaturos. ſed nihil neceſſe fuit illius ſententiam opperiri; Welfo enim BOIARIÆ Princeps temeritate Adalberti cognita, contractis repente copiis, omnia eius munimenta & faucium obicem refregit

WELFO TEMERITATEM VINDICAT.

gis diſciecítque; Gebhardum Epiſcopum Tridentinis antea repudiatum in vrbem induxit; Adalbertum arce eiecit & à Legatis veniam nudis pedibus petere coëgit. Henricus interim filius in Alſatia cladem paſſus eſt. Rubeacum vrbs vetus & viris tum armíſque potens inſolentiam regiorum militum ſuo Marte vindicarat, Rege etiam, qui ſuis auxilio venerat, fugato & Imperij inſignibus in poteſtatem adductis; quæ cùm pacem veniámque pacti ciues reddidiſſent, contra fidem peſſimis exemplis multati ſunt. vrbs iniectâ flammâ propè buſtum facta. Inde rectà in Patrem itum; quem Leodienſis Pont. hoſpitio, & Henricus Lotharingus armis, ſi opus foret, tutandum ſuſceperãt. Hic locatis ad pontem Moſæ inſidiis, regios incautos in eas pellexit concidítque; refugientes pons multitudine prægrauatus ſolutúſque in Moſam effudit. Eo dedecore accepto & iactura ſuorum irritatus Rex inſtructiſſimum exercitum Coloniæ, quam belli arcem Paterni amici legerant, admouit. ſed cùm ſpe longius obſidio traheretur, & fame ſi-

Vita Henrici IV. & Vrſperg.

FILIVS IN PATREM ARMA CAPIT.

mul luéque caſtra periclitarentur, rebus infectis inde diſceſſit, bellum cõtra Patrem animo verſans; quod tamen perpetrari ſpectaríque Deus noluit, eo de medio ſublato, cuius maximè caput petebatur. Mortuus eſt Henricus VII. Idus Auguſti, cùm annos quinquaginta quinque vixiſſet, quinquaginta regnaſſet. priuatum ſe non niſi moriturus meminit, à cunis ad regnum raptus, publicè priuatímque perniciosâ Fortunæ indulgentiâ, vt ſæculo illi accidere triſtius nihil potuerit, quàm ita longæuus Princeps; ex cuius annis faſti nullum libentiùs memorant vltimo, quo inter homines deſiit morari. Mortuo parentatum non eſt. Leodienſis Epiſcopus præproperè tumulatum iuſſus exhumauit. poſt quintum denique annum in Mauſoleo Maiorum ſuorum Spiræ locum accepit: qua in vrbe ſportulam & tenuis ſacerdotij ſtipem poſt amiſſum Imperium ambienti negatam eſſe nonnulli ſcriptores tradidere, nullâ veri ſimilitudine; cùm neque acciſæ eouſque res illius fuerint, vt ad vltima remedia deſperanti fuerit deſcendendum; & mors,

HENRICI P. MORS.

Digitized by Google

mors, in medio belli apparatu, imminentem priſtino faſtigio oppreſſerit. Quanquam ita de orbe terrarum meritus eſt, vt nulla calamitate fuerit indignus: quin nec expendi vnius hominis capite ſupplicia potuiſſe exiſtimes debita improbis ſtudiis, quibus totum penè Chriſtiani nominis corpus vitiatum duo ſumma bona Religionem pacémque perdidit.

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER XII.

Breviarium rerum Geſtarum.

WELFONE II.
HENRICO IX. WELF. II. FR.
HENRICO X. HENR. IX. F. SVPERBO.
LEOPOLDO AVSTRIO LEOPOLDI S. FILIO.
HENRICO XI. LEOPOLDI FR.
HENRICO XII. COGN. LEONE HENR. SVPERBI F.
DVCIBVS BOIARIÆ.

I. DBENNONE *in Cœlum recepto; Conrado Salisburgenſi Infula decorato; Diethrami Cellâ conſecratâ; Flandricum, Vngaricum, Polonicum Bella ex breui interuallo geſta.*

Digitized by Google

geſta. Brunſenningenſe & Mallerſtorfenſe Cœnobia ſurgunt. Diua Edigna mortalia deſerit. Expeditio Italica, deque Inueſtituris *Pontificum fœda certamina; inter quæ nihilominus Conrado Salisburgenſi & VVelſoni* BOIARIÆ *Duci locus bene gerendæ rei relictus. Duo in Oenana valle Aſceteria excitata.*

Pax Chriſtiani Orbis turbata, & legitimo Pontifici Abortiuus ſuffectus. Cæſar Monſtri eius Parens & Tutor Diris deuotus. ea re BOICA *Pietas eiuſque præcipua fulcra grauiter afflicta. Inter Exules etiam Paulus Bernriedenſis vnicam eius ſeculi decus Herlucam Virginem orbi oſtendit, & cum ea* BOICAS *Heroides complures; quarum Virtutibus Bernriedenſis & Beurbergenſis Cœnobiorum origines illuſtratæ. Schyrenſis Monaſt: Incunabula* WITTELSPACHIIS, *ſine Fabularum laciniis, aſſerta. Hen-* II.

III. *Henricus IX. VVelfonis defuncti frater & in Principatu Succeſſor redditam Chriſtiano Orbi pacem per* BOICAM *publicat. Erminoldus Abbas Brunnſenningenſis ſuis ob ſanctitatem inuiſus occiditur. Conradus Salisburgenſis Templi ſui Canonicos in D. Auguſtini Leges adigit; in Chimenſi lacu Monaſterium pro Viris condit. Conradus Henrici* BOIARIÆ *D. Filius Diui Bernardi; Pater ipſe S. Benedicti inſtitutum amplectuntur. Biburgenſi Monaſterio S. Eberhardus Fundatorum frater præficitur. Henricus Cæſ. Francicum bellum temere ſuſceptum breui moriturus deſerit, & Imperium Lothario relinquit.*

IV. *Henricus X. Henrici IX. F. adito* BOIARIÆ *Principatu & pacatâ Patriâ, Lotharii Cæſ. Filiam Thori Conſortem adſciſcit; ſocero in obſidione Norimbergæ auxilia adducit. Inter*

eundem

eundem & Diepoldum Vohburgenſem lites componit, virum & ſuis caſibus & pietate memorabilem, & trium Cœnobiorum Reichenbachenſis, VValdſaſſenſis, & Monaſterienſis Fundatorem. Acceſſere per idem tempus Aſpacenſe, & Haislbronnenſe à Comitibus Abinbergenſibus origine BOIIS *condita: quorum ſoror Stilla Diuæ nomen Virtutibus & prodigiis meruit. Spirenſis obſidio Henrici* BOIARIÆ *Principis vrbem obſidentis, eiuſdémque ſororis Iuditha in ea obſeſſæ diuerſis virtutibus ad famam inclareſcit: quam paulò pòſt Henrici in Affinem Perfidia inquinauit, aſſentatorum familiarium vitio, quorum ingenium etiam Cuno Ratisbon: Epiſcopus ſub mortem graphicè depingit.*

Creatio Epiſcopi Ratisbonenſis BOIGAM *inutili bello inuoluit. Henricus Dux ſeruili fide exitium euitat.* V. *Fratris*

triſ eius res fortiter feliciterque geſtæ. Bellum BOICVM *Otto VVittelſpachius ſapientia ſua & autoritate componit. Quindecim Monaſteriorum initia. D. Gotthardus* BOIVS *in SS. Album relatus. Sacer peculatus irâ Numinis vindicatus: Gerhohus, qui factum annotauit, inter prima* BOIARIÆ *decora adſcriptus. Henricus Dux Lotharium Cæſ. in Italiam ſecutus maximas ibi res gerit. Lotharius in reditu extinguitur. eius Encomiaſtes Otho Friſingenſis commendatur.*

VI. *Henricus à Conrado Cæſare proſcriptus vtroque Principatu exuitur.* BOICVS *Leopoldo Leopoldi S. Filio conceditur. Saxoniam tuenti Henrico vita eripitur. VVelfo frater illius & ſua ſponte & Pontificis hortatu Leopoldo & ipſi Cæſari negotium faceſſit. Leopoldo extincto Henricus Fr. in principatu ſubrogatur. B. Hartmannus ad Inſulam*

Digitized by Google

ſulam vocatur. Initia conditi ab eo Cœnobij, aliorúmque plurium: eorum maximè, quæ Scotis extra Prouinciam ceſſere. Manueli Imperatori Orientis è BOICA *Sponſa ſubmiſſa. eius vti & Sophiæ Vngaræ raræ Virtutes.*

VII. *Bellum è* BOIARIA *Vngariæ importatum in Henricum velut autorem cum clade regeritur. Friderici Ahenobarbi militaria Rudimenta VVolffratshuſij ſpectata. Belli ſacri Claſsicum cantante S. Bernardo, magni etiam in* BOICA *facti adſigna concurſus. Expeditio irrita ſolâ ærumnarum patientiâ inclaruit. VVelſo à reditu iterum cum Cæſare colliditur, eidémque conciliatur. Huic mortuo Fridericus Ahenobarbus ſuccedit, meliore in Henricum* BOICAE *Principem animo; quem abdicato Auſtrio, in priſtina iura liberali ſententia reponit. Leo illi vicem in Italia reddit, magnum illic cum Otto-*

P 5 *ne*

ne VVittelſpachio nomẽ adeptus. Marchia Auſtriaca eouſque BOIARIAE *coniuncta ab eadem auellitur & Ducatus Iure tituloque augetur.*

VIII. *Unius voculæ & Picturæ causâ Fridericus Cæſ. à Pontif. alienatur. Decreto in Mediolanenſes Bello Otto VVittelſpachius in Italiã præmittitur, maximo operæ pretio. Otho Friſingenſis beata morte defungitur. Bello Italico, Conrado Dachouienſi felix audacia gloriam; Ecberto contrà Schärdingenſi Regulo infelix temeritas mortem parit. VVittelſpachij Fratres & Albertus Tirolius ſuis facinoribus nobilitantur.*

IX. *Recrudeſcente Pontificem inter Cæſarémque ſimultate, uti & Bello Mediolanenſi, Friſinga incendio perit. Duobus Pontificibus creatus, Cæſar illegitimo ſtudet, & factionibus concordes animos diſtrahit,* BOIARIA *pleráque ab eo incommodo immuni & Epiſcoporum vigi-*

vigilantiâ defenſâ: quam per eadem tempora etiam Mechtildis Dieſſenſis rara decora illuſtrant.

Henricus Leo Slauos domitos Chriſto ſubijcit. VVelfo eius Patruus Filio cognomini egregio Principi adminiſtrationem Italiæ permittit. BOIARIAE *Pontifices pro legitimo Eccleſiæ capite inſigni conſtantia decertant; & Conradum VVittelſpachium ad Moguntinam Mitram Exilio mutandam inducunt. VVelfonis Iunioris cum Hugone Tubingano bellum, & attracti per eam occaſionem in Germaniam Bohemi. Everhardus Salisburgenſis & Hartmannus Brixinenſis Religionis Columnæ Mortis violentiâ euertuntur.* X.

GESTA SVNT HÆC
ab Anno MCVI. vſque ad
MCLXIV.

WELFO

WELFO SECVNDVS DVX BOIARIÆ.

I.

S BENNO TVTELARIS BOIARIÆ PATRONVS COELO RECEPTVS.

A. MCVI.

SEPVLTA damnatáque Henrici memoriâ, ſanctius terris cœlóque inſcriptum nomen producimus BENNONIS Miſnenſis Antiſtitis, eiusdem auſpiciis Annalium BOICORVM curſum repetituri, cuius patrocinio æterniſque excubiis incolumitatem ſuam & florentes quà domi quà foris res BOIARIA omnis pridem imputat, beatis illius exuuiis diues, quas ille cælum petiturus, hoc ipſo, quem exequimur, ſexto ſupra milleſimum centeſimum anno poſuit, illuſtri iam tum famâ, ſed poſt mortem auctiore. Adrianus Pontifex, qui illum poſt quadringentos & amplius annos cæleſtibus honoribus mactauit, præco mirandorum illius operum receptas ex ventre piſcis claues, quas in Albim ſparſerat; Albim ipſum calcatum pedibus; ſcaturientes eius imperio aquas, aut in vini ſaporem dulceſcentes; datam fertilitatem agris; impreſſam æri campano vim diſijciendarum tempeſtatum & fulmi-

fulminum arcendorum, aliáque magnæ virtutis ſiue priuilegia ſiue teſtimonia commemorat, quæ nouis ſubinde ad hoc vſque æui affirmata documentis Aræ illius maiorē quàm veteribus aſylis reuerentiam conciliârunt. Octobri Menſe, qui à Bennonis morte quintus fuit, in Guaſtallenſi ad Padum concilio Conradus Saliſburgenſi Eccleſiæ Epiſcopus à Paſchali Pont. ſubmiſſus; Berchtoldus incubator de ſede detractus eſt. Conradus ex Babonis Abenſpergij ſanguine creditur: animi nobilitas indubitata eſt & ſeipſam perpetuo virtutum tenore vltra annos quadraginta oſtendet. Hyberna hoc anno Henricus ferè Ratiſbonæ habuit plenus Romani Pontificis expectatione. ſed is Germanorum ingenia ſuſpectans iter in Galliam auertit; cùm nouum priùs Religionis Domicilium in BOICA Diethrami Cella nuncupatum probaſſet. Diethramus, qui loco nomen dedit, Ottone & Berengario comitantibus, in vaſtum nemus ſeceſſerat. biennio in cultura animorum poſito, egreſſi è latebris ad vicinum riuum humilia moliti

Vrſperg. *Otto Friſ.* CONRAD. SALISB. ARCH.

DIEHTRAMI CELLA.

liti

liti tecta D. Martino templum excitarunt, Vdalſcalci Abbatis Tegerenſis potiſſimùm ope ſubnixi, qui etiam fundatoris titulum occupauit. Porro Paſchalis Pontif. cùm profana & inconceſſa auſpicia creandorum Pontificum, quæ Reges ſibi arrogauerant, vindicare ſanctiori poteſtati ſtatuiſſet, Henricus per Legatos interceſſit; cúmque iam inde à Carolo M. ius ſuum repeteret, neque de eo in alieno regno anquiri diſceptaríque pateretur, ampliationem litis in aliud tempus impetrauit. Ratiſbonam deinde reuerſus de ratione belli cum Ruperto Flandro gerendi ad concilium BOIORVM retulit. Carptis Imperij finibus auxiſſe potentiam, Hollandis etiam, & Hannonibus grauis per illorum damna creſcere ferebatur vir auidus gloriæ & rebus in Syria geſtis tumens. BOII operâ ſuâ Henrico addictâ, Octobri demum menſe ad hoſtem peruenere. Duaci munimentis Rupertus ſe tenuit, vrbémque aduerſus vim & tormenta egregiè defendit. Dodechino enim Henrici victorias loquenti nemo aſſentitur; cùm plus actum non eſſe ſatis

COMITIA RATISBONENSIA.

Ioan. Buzelin. in Gallo Flandr.

BELLVM FLANDRICVM.

tis conſtet, quàm vt polliceretur Rupertus, ſeſe ad cauſam dicendam compariturum, quámque armis probauerit, etiam iure defenſurum. Id quod ea dexteritate præſtitit, vt proximis Natalitiis Moguntiæ ab Henrico amicus ſalutaretur. Nihilo felicior octaui anni expeditio fuit contra Colomannum Vngariæ Regem ſuſcepta. Vetus illi cum Almo fratre ſimultas erat velut infeſto honoribus ſuis & æmulo coronæ: valuítque metus hactenus, vt conceſſis olim honoribus eum exueret, tanto ſecurior futurus, quanto imbecilliorē, acciſis opibus, fratris audaciam reddidiſſet. Almus in BOIARIAM profugit & calamitates ſuas Henrico oratione tam opportuna commēdauit, vt priuatum nefas publicè cenſuerit vindicandū, aſperante nouas iras veterum memoriâ iniuriarum, quas Cruce ſignatis militibus Colomannus intulerat. Sed bellum promptiùs cœptum quàm conſultiùs geſtum eſt. Dum miles ad Poſonium vrbem inutili oppugnatione atteritur, nec regii clientis calamitati, nec Regis gloriæ conſultum eſt; cùm minùs vtique pro-

MCVIII.
BELLVM VNGARICVM.
Vrſperg.
Friſing.
Sigeb.
Bonfin.
Coſm. Prag.

bro-

BELLVM POLONICVM.

broſum ſit operam negare quàm perdere. Vngaricam Polonica expeditio excepit apparatu ſpoliiſque quàm rerum geſtarum gloria celebratior, non BOIORUM duntaxat ſed plurium Germaniæ populorum viribus ex hac cauſa ſuſcepta.

CIϽ CIX. *Coſm. Prag. Mart. Cromerus l. 5. Dubrau. l. 10.*

Suatoplucus Bohemus inter Henrici auxilia meruerat. Poloni abſentiâ Ducis abuſi cum Boriuoio principatum, quo exciderat, repetente in Bohemiam irrumpunt, retractóque ad ſua tutanda Suatopluco, Regem quidem validis ſuppetiis nudant, iras tamen eius ferrúmque intempeſtiuo pro Exule ſtudio in ſuum iugulum auertunt: Anni enim ſequentis Septembri menſe Henricus Gloggouiam Polono ea tempeſtate parentem obſidione cinxit, & ex vtraque Oderæ ripâ latè omnia populatus præda militem tam ampla ditauit, vt eius dulcedo iram pariter & amplioris gloriæ quærendæ cupiditatem extinxerit. Hyberna omnibus & miſſio cordi.

SVATOPLVCVS BOH. OCCIDITVR.

Suatoplucus iam vaſa colligebat, diémque proximum mouendis caſtris indixerat; cùm illum ſub crepuſculum nocturnum è regio tentorio digredientem

tem ſicarius ſtipatoribus immixtus interemit. Acerbum id Regi popularibúſque funus fuit; quibus Rex velut leuamentum doloris libertatem optandi Ducis indulſit, Ottonémque occiſi fratrem nominantibus annuit. Proceres, qui à bello abfuerant, Ottonem velut vitio creatum repudiant, & Wladislaum Boriuoij exauthorati fratrem ſolio imponunt, ſacramentum cauſati, quo ſe illi meminiſſent deuinctos. Boriuoius præteritum ſe indignatus, acceptis à Wigberto Croicenſi copiis, clanculum Bohemiam ingreſſus peruigilio Natalis Chriſtiani Pragâ ſine vi potitur. Wladiſlaus Ratiſbonam verſus iter intenderat Comitiis regiis interfuturus: ſed fortunæ domeſticæ nuncio accepto Pragam retractus oberránſque mœnibus, cùm nuſquam reciperetur, Waceslaum Wigberti filium, qui noua Boriuoio auxilia adducebat, prælio victum fugatúmque in vrbem reiecit. Henricus Bambergæ certior factus de inopinato tumultu, è veſtigio Diepoldum Vohburgenſem & Berengarium Sulzbacenſem Dynaſtas Boios Pragam præmiſit,

TVMVLTVS BOHEMICI EX AMBITIONE ORTI.

qui armis poſitis cœpto abſiſtere æmulos & ad certam diem dicere cauſam iuberent; idem tamen poſtea iudicium ſubeuntibus aures non dedit: Boriuoium vinculis, amicos illius dirioribus exemplis multauit, confirmatíſque Wladiſlao honoribus, Ratiſbonam Comitiorum causâ diſceſſit. quæ cùm ingenti hominum frequentarentur concurſu, offenſum vrbis ſtrepitu Othonem Bambergenſem fixis extra vrbem tentorijs ſeparatim tetendiſſe, Brunfenningenſis Monaſterij Originibus traditur, iniectámque illic viro condendi Monaſterij mentem; ſiue opportunitate loci, ſiue diuinis prodigiis excitata pietas eſt. Nam & æris campani ſonitum per interualla horarum, quas diuinis laudibus more maiorum conſecramus, illic auditum, & Othoni ipſi ſimulachrum ſcalæ gradatim cælo ſe inſerentis obiectum veteres membranæ credi volunt, factóque annum nonum adſcribunt, quo tamen conuentus Ratiſbonæ actos non reperio. Eadem tempeſtate etiam Mallerſtorffenſe Cœnobium Kirchbergenſium Comitum opibus

Monast. Brunfenningensis initia.

Item Mallerstorfensis.

buſad Labarum amnem ſurrexit; & Edigna Virgo fatis conceſſit. eam præteriri ſua virtus non ſinit longè clarior Natalibus, quos tamen ipſos ad Reges Franciæ communis fama refert. Carpento Ruſticano in obſoleta veſte, quæ genus abſconderet, in BOICAM vecta, Buechæ, qui Monachium inter & Auguſtam Vindel. vicus eſt, conſedit; cauo Tiliæ trunco plerunque abdita, quæ imbuta Virginis ſanctitate à morte ipſius oleum, quod panaceæ vicem eſſet, fudit; id ſimul ac vendi cœptum eſt, fontem auaritia areſecit. Cætera eius beneficia quæſtui non obnoxia in hanc vſque diem perpetuantur. Furum Abigeorúmque damna illi potiſſimùm commendata etiam Auentinus ſcripſit, vt cuius beneficio amiſſæ opes dominis reconciliarentur. Porro Ratiſbonenſibus Comitiis expeditio in Italiam decreta, flore totius Germaniæ certatim nomina in eam dante; vt, luſtratis ad Padum vniuerſis copiis, triginta Equitum millia recenſita Otto Friſingenſis ſcripſerit, Italicis auxiliis non adnumeratis. Germani velut ad pompam & feſtos ex-

SANCTITAS EDIGNÆ VIRG. *Matth. Rad. vol. 2. Bau. ſancta.*

EXPEDITIO ITALICA. MCX.

Otto l. 7. c. 14. Dodechinus. Vrſperg. Petrus Diac. Gerhohus Reicherſpergenſ.

ornati ludos totius in ſe Italiæ oculos conuertebant. certabant diebus noctes, facibus pro hominum numero ad ſingula tentoria fixis; procul vt aſpicientibus tota ardere caſtra viderentur. Apenninum iniquiſſimo tempore non ſine vexatione tranſgreſſos Florentia, vbi per Natalitia Chriſtiana interquieuere, opportunè refecit. Miſſi deinde vltro citróque à Pontifice & Rege Legati, actúmque de conditionibus, quibus vtriuſq; honori caueretur: nominati obſides nobiliſſimus quiſq; & quàm maximè clari ſanguinis; quales ex Boiis Engelbertus Craiburgius & Theobaldus Vohburgenſis Marchiones, Berengarius Sulzbacenſis eiúſq; frater Chuno, Sigebotho Falkenſtainius, & Henricus Dux Carinthiæ fuere. Conditionū

LIS DE INVESTITVRIS ET REGALIBVS. princeps fuit, vt Rex inaugurandorum per Pedum & Annulum Antiſtitum licētiam Pontifici remitteret, Regalia viciſſim iura recepturus, quæ Regū munificentiâ contributa Epiſcopis eos Prin-

A.MCXI. cipibus coæquârant. Multo maior ea res erat, quàm quæ duorum hominum ſuffragio & conuentione, quantacunque

que eorum in terris poteſtas eſſet, ita decidi poſſet, vt ij, quorum intererat, in eandem ſententiam pedibus irent. Nimium quantum diſceſſum erat à primi inter Chriſtianos ſeculi moribus, quod Aurei nomen haud ſanè à Sacrorum Antiſtitum opibus accepit, quorum Principis vera vox fuit, *Argentum & aurum non eſt mihi*; ſed virtus nimirum & caſtiſſimi illud mores, ſacríſque, quæ tractabant, congruentes inaurabant; quos cùm iam ſuo æuo D. Bonifacius deſideraret, haud inſcitè queſtus fertur, fuiſſe olim Aureos Sacerdotes cum Ligneis Calicibus; ſucceſſiſſe Aureos Calices, ſed Ligneos Sacerdotes. id tamen conuitium Caroli M. Imperio antiquius eſt, qui omnium ante ſe Principum exempla egreſſus, quanto reliquis fortior, tanto etiam munificentior fuit; vt illius demum manu detractam Religioni paupertatem & quæſtuoſa, quóque modo nunc appellantur, pinguia euaſiſſe ſacerdotia certum ſit. Ex eo tempore poſteris ſummi viri ſtudia æmulantibus, non modò lignea Diuorum templa marmorea fieri, & ex caſis

Mores sacrorvm hominvm mvtati.

in Baſilicas creſcere; ſed eorum etiam Antiſtites, auctâ dignitate, ſalutari Principes, & nobiliſſima Imperij portio cenſeri: quique antea collatiuis Decimarum ſymbolis & gratuita ſtipe aris impoſitâ frugaliter victitârant, agro & prouinciis aucti propriâ Eccleſiarum dote & veluti ſucco ſuo alebantur. Acceſſerunt ſubinde illa auguſtiora iura & olim profana credita, venandi, ſignandi æris, Iuris dicundi, anquirendi de capite alieno fortuníſque, vectigalium exigendorum & portoriorum, muniendarum vrbium, aliáque inſignia regiæ potentiæ cum ſacerdotio communicata; quibus Maieſtas ſine dubio conciliata ſacro ordini eſt additaq́ue vires, vt tamen in re lauta minus conſpicua eſſet vetus innocentia, & quod in Romana olim Repub. obſeruatum eſt, Aurum appareret Æruginem fuiſſe virtutis. Quod cùm ne illi quidem negarent, quos templa ditauerant, nulli tamen placebat cum opibus diuortium facere; & vtcunque vſu compertum eſſet, cum paupertate Myſtis olim rectiùs conueniſſe, nemo tamen ita cordatus erat, vt ſeſe in ordinem

nem redigeret circumſcriberétque finibus priſtinæ mediocritatis. quò mirius ipſi Henrico Regi Pontificis propoſitum viſum & fiducia animi, quòd de *Regalibus*, quæ Epiſcopi tam arctè complecterentur, è ſinu eorum auellendis mentionem facere eſſet auſus. ea tamen ſibi ſi redderentur, moram ſanè in ſe nullam fore, quò minus Annulum & Baculum Epiſcoporum Abbatúmque ſymbola à Regibus peti ſolita Pontifex reciperet. Ea res tanto ſilentio acta eſt, vt Gerhohus noſter ſcripſerit, præter vnum Cancellarium Regni Albertum participem conſilij neminem fuiſſe. Romæ demum, quam pridie Id. Februarij triumphantis ſpecie Henricus ingreſſus eſt, cum ingenti motu ſacri ordinis erupit. Pontifex certus deſtinata exequi de ſua viciſſim Regem pollicitatione interpellat. ille non modo inuidiæ metu, ſed deſperatione ſucceſſus etiam abſterritus à pactione, cui interceſſura omnis Germania eſſet, tacitum eouſque conſilium ſeuocatis in partem Epiſcopis aperit, quantóque in diſcrimine fortunæ eorum verſentur, monet: EPISCOPORVM ADVERSVS PONT. COMMOTIO.

Beneficia maiorum ſuorum æterna ſe velle; nullius dignitati aduerſum improbæ cupiditatis juxtáque odij cauſas procul habere: impelli tamen à Pontifice in eorum perniciem; ex cuius voto conſulta ſi procedant, hunc diem gloriæ eorum vltimum fore, & præter aras ſuas nihil habituros. Fruſtra ſim, ſi oratione exequi coner habitum æſtuantium animorum; cùm, vt in re ſubitâ & ad extremum articulum deducta, neque ad prenſandum conſilium mora Epiſcopis ſuppeteret, dubitantibus vine an precibus Pontificem à ſententia deducerent; quòd in his nihil virium, in illa nimium impietatis eſſet. Placuit tamen periculum facere mollium remediorum. Affuſi pedibus Pontificis conſiderare eum etiam atque etiam iubent, quam rem agat; ſacrum ordinem in quem locum deducat; quibus ornamentis Eccleſiam nudet: Reges illius Nutritios cùm id ſedulò ſibi cauendum putarent, ne Religioni, ne diuiniſſimis ſacris eorúmque Præſulib. obijci vilitas poſſet, diuiſum cum iiſdem Imperium & communia vtrique Ordini decora

Baron. ex Actis publicis.
Sigon. de Regno Italiæ l. 10.
SVPPLICANT PONTIFICI.

cora voluiſſe: neque vlli vnquam in mentem veniſſe, ſugillare Beneficorum pietatem; ſed quo clariora cuiuſque eo in genere ſtudia fuerint, tanto ampliùs laudatos, & ad eorum exempla animari exigíque etiam reliquos ſolitos: nunc quæ gloriæ illis olim fuerint, vitio verti, & corruptelarum nomine traduci Caroli, Henrici & Othonum liberalitatem: eorum munera, quibus cælum emerint, ab aris rejici vt impia & impios factura; quod haud multo mitius ſit, quàm ipſos quoque cælo detrahere & materiam præbere vulgari conuitio, quo verè dici poſſit, Eccleſiam, quam Sancti Reges locupletârint, à Pontificibus ſpoliatam eſſe. Perſtabat nihilominus in ſententia Pontifex; néue temerè in eam delapſus videretur, Chriſti ſe oraculo moueri dicebat iubentis *Cæſari reddi, quæ Cæſaris ſunt*; *militantem Deo non* rectè *ſecularibus negotiis implicari.* quid facit in armis addictus aris? templi miniſter, ſatelles eſt Regis, galeatus crebriùs quàm mitratus; decentiùs gladium fert quàm

PONTIF. REGALIA EPISCOPIS EREPTA CVPIT.

Q 5 Pedum,

Pedum, & dum Principis, quàm Epiſcopi aut Abbatis nomen libentiùs audit, Regiam pro Templo, Caſtra pro Clauſtro habet: qualem ſi Ambroſius rediuiuus aut alius quiſpiam melioris æui cenſor videat, inter monſtra deputet, motúmque tribu ſanctiore iubeat ab aris faceſſere. In hanc ſententiam concionanti nemo eſt aſſenſus. miſceri omnia tumultibus, ferocia dicta iactari, intermicare ferrum & ſubmotis linteatis armati Pontificem circumſiſtere, cúmque ne ſacrificantem quidem omittere. ſacro peracto in humiliorem ab aris locum deducto circumfuſa cuſtodia, quæ illum non ante noctem, intendentibus ſe tenebris, ad hoſpitium deduxit. Conradus Saliſburgenſis Epiſcopus cùm pro indigniſſimo haberet, parentem generis humani, in ſanctiſſimo orbis terrarum templo, Epiſcopis impulſoribus, Chriſtiani Regis imperio, inter ipſas aras, litatâ diuinâ hoſtiâ, malefici ritu obſeſſum tractúmque, vnus omnium non modò deteſtatus eſt nefas, ſed quiritari palàm auſus libero ore ſacrilegos proſcidit, & per cuneos penetrans

CONRADI SALISB. ARCH. RELIGIO.

trans furentibus quæ meruerant probra ingeſſit: quibus cùm modum nullum poneret, excandeſcens Henricus quidam cognomento Caput (Auentinus Kauffringenſem facit) ferrum peroranti intentauit; cui tantum abeſt vt generoſos ſpiritus & diſertam in optima cauſa linguam ſubmitteret, vt vltro etiam furioſum illum laceſſeret, faceret ſibi poteſtatem iuſtiſſimæ querelæ ſuo ſanguine conſignandæ; & porrecto ſponte iugulo, feri, inquit, impie & carnificinæ in hoc capite prælude. vel mori mihi tāti ſit, ne hæc ſcelera videam; quæ vt coarguere deſinam, non niſi à mortuo impetrabitis. Obſtupefecit impiam manum conſtantia viri, effecítque ne ille infauſtus dies mera ſcelera videret. Atque hæc de Conrado Othonis Friſingenſis eſt narratio: Gerhohus enim noſter tenebras affundit ſplendidiſſimo facto, eúmque, dum Pontificis conſilio de Regalibus reddendis obnititur, cædendam præbuiſſe ceruicem ſignificat; quem Auentinus ſtrenuè ſequitur, impugnatores Pontificis quàm propugnatores producere auidior. Porro Romani

ET MAGNANIMITAS.

GERMANORVM CÆDES.

ni Ciues fœdiſſimo capti Pontificis ſpectaculo in rabiem verſi promiſcuè in Germanos obuios, eos etiam, qui precum negotiorúmque causâ Romam confluxerant, ſæuiere. Poſtero die in caſtra impetu facto Imperatorem turbis ſeſe ingerentem equo deiectum in fronte ſaucianto, oppreſſuri etiam, niſi Otho Mediolanenſis Comes in equum ſublato iter ad fugam explicuiſſet, ſuccedanea pro ipſo victima factus & furentium manibus diſcerptus. Rex ſuis metu torpentibus obequitans oſtentabat vulnus ſuum, &, heus inquit, Milites, amiſſâ ſeruati Regis gloriâ, vel proximam ex vindicato occupate. aliud in frontem decus quæſiuimus. nunc non de corona tantùm, ſed vitâ etiam periclitamur; & vos aliud claſſicum expectatis quàm vocem Regis vulnerati? Germani non paſſi eum plura proloqui non ſuâ tantùm ſed Regis etiam inflammati irâ in Romanos feruntur, & vnum illud vulnus innumeris mortibus repenſant. vt quiſque occurrerat, ab illo ſauciatum credebant Regem. Stragis indicium Tibris colore mutato in mare

CÆSAR SAVCIATVR.

VINDICATVR.

re

re deuexit. Sub veſperum, Romanis ſpolia legentibus, pugna recruduit, quâ Itali in vrbem reiecti cùm ſe ex pauore collegiſſent noſtris vicem reddidere. Apparebat vltima auſuros pro Pontifice; maximè cùm acerrimum hortatorem Ioannem Tuſculanum Epiſcopum haberent, qui paſſim concionabundus ad vlciſcendum ſceleſtiſſimum, quod illa ætas vidiſſet, facinus omnes mortales incitabat. quæ res Henricum impulit, vt vinctum trahens Pontificem & Purpuratorum Patrum Collegium ab vrbe diſcederet. Integri duo menſes eo ſacrilegio infamati ſunt, cum Regis crudelitate conſtantiâ Pontificis certante: donec inuictum malis propriis animum alienarum miſeratio calamitatum & præteritorum temporum memoria inflexit, vt de conditionibus libertatis ſuæ referri pateretur. Quis interim comitatûs Regij ſenſus fuerit; an velut contagione inſanierint nobiliſſimi vtriuſque ordinis Proceres; quo vultu captiuum ſuſtinuerint videre Pontificem, in cuius manu libertas orbis terrarum, ſed & tabulæ æternæ Proſcriptionis erant ſitæ; PONTIFEX CAPTVS.

ſitæ; mutóſne potiùs amicos Regis, an illum ſurdum & impenetrabilem recta monentibus fuiſſe pronunciem, vix argumenta habeo. Vnius, quem veteres à probro vindicant, Welfonis BOIARIÆ Ducis nomen reperio, qui ab Henrici temeritate alienus reſtituendi Pontificis abolendíque fœdiſſimmi exempli ſeriam curam ſuſceperit, liberè Regem monere auſus, non hoc illum Imperio promiſiſſe, cùm Ratiſbonenſibus comitiis ſignum Italicæ expeditionis proponeret: non excitam ad hoc ſpectaculum Germaniam, vt in vinculis Pontificem & per ludibrium velut in triumpho circumductum aſpiceret. Neque verò Patri eius ob vexatam mitioribus odiis Romanam ſedem abrogatum Imperium, vt filius feliciore in eam violentiâ arietaret; quámque ille ſuis incurſationibus concuſſerit, hic funditus euerteret. Ea ſpe Principes Regis latus ſtipaſſe, vt Imperatorem Germaniæ redderent: nunc pro ſummis honoribus quid niſi vltimum dedecus & exprobratam Deciis & Neronibus tyrannidem in patriam relaturos; niſi profuturum

Chron. VVeingartenſe.

WELFO PONTIF. PARTES TVETVR.

CORDATA EIVS AD CÆS. ORATIO.

rum

rum nobis ad gloriam exiſtimas,inquit, quòd præfecti tutelæ carceris Pontificij lictorum munus occupauimus,& Vicarium Chriſti traximus captiuum , haud multò innocentiores damnata Carnificum cohorte, qui Chriſtum ipſum ſed radios maieſtatis ſuæ occultantem, & incognitum ad flagra & Crucem rapuerunt. At enim qua tandem ſpe cœptum iratis Superis ſacrilegium continuatur? an vt fatigatus ærumnis Pontifex, quod liber daturus nunquam fuerat Imperij inſigne, imponat tibi captiuus? ſic tu Imperium vel mereri , vel adire ſuſtines ? Summum Ius in orbem terrarum accipies ab eo, qui ipſe ſui Iuris ſpontiſ que non ſit? His tu auſpiciis in Caroli &Othonis Magnorum, Ludouici Pij,&c, vt in tuo nomine alios mores agnoſcas, Henrici Sancti honores irrues, & æquo cum ijs iure, id eſt, quo qui optimo te putas imperaturum? quæque illi ſuâ erga Pontifices ſummos obſeruantiâ meruerunt ornamenta , tu velut opima ſpolia captiuo Pontifici detrahes? Illi ſuſcepta pro auita religione & ſanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ Inſtitutis & Cæ-

remo-

, remoniis pericula, vulnera etiam & ho-
neſtiſſimas cicatrices cùm oſtentarent,
, Auguſti appellati ſunt; tibi ad nuperum
, frontis vulnus erubeſcendum eſt; quod
, ſi in meliore cauſa accepiſſes, diadema-
, te fuerat obligandum. Sed nimirum au-
, dio probari ab aſſentatoribus factum,
, tuum, & cum amicâ Iacobi Angelo col-
, luctantis violentiâ comparari; pietati, ſi
, ſuperis placet, tribuitur, quòd neges
, Pontifici miſſionem te daturum, niſi
, vim facienti bene precatus fuerit:
, quorum impudentiæ iraſcárne, an tui
, potius, qui obſideri ab his Sirenibus au-
, res tuas pateris, miſericordia me ſubeat,
, ambigo: traducet hunc tam friuolum
, colorem allitum ſceleri tuo poſteritas,
, tantóque potentiùs in damnationem
, illius tuíque incumbet, quantò certiùs
, conſtiterit, ſtultitiam tibi huius patro-
, cinij arriſiſſe. Cordatæ admonitionis
fructum alium ſi Welfo non tulit, in re-
ctè facti officiíque expleti conſcientia
acquieuit, effecítque ne conſilium Re-
gi, ſed Rex conſilio defuiſſe diceretur:
melioris enim frugis prouentum perui-
cacia ingenij & potentior apud ani-
mum

Vide Vrſperg. hoc anno. & Gerhohi ſyntagma. c. 22.

Digitized by Google

mumaureſque Henrici Albertus Cancellarius Sarbrugenſis Comes, qui Ottoni noſtro *Præcordialis Regis Conſiliarius* dicitur, intercepere. In eum tamen res deducta locum eſt, vt quantumuis iniquis & fœdis conditionibus Paſchalis Pontifex ſuam ſuorúmque calamitatem redimeret. Conferendarum enim per Annulum & Baculum dignitatum Eccleſiaſticarum licentiâ, quæ tota ſementis diſcordiæ fuit, Regi permiſsâ, & tabulis raptim confectis confirmatâ, eundem Idib. Aprilis coronatum Auguſti cognomento auxit: quâ indulgentiâ ſuæ ſuorúmque vitæ, non item famæ conſuluit; hanc enim inuidiæ ne tum quidem eripuit, cùm publico conuentu ſequenti anno Romæ coacto palinodiam cecinit, extortúmque vi *Priuilegium* antiquauit, & *Prauilegium* appellandum cenſuit. Henricus porrò in Germaniam eodem, quo Imperator renunciatus eſt, anno reuerſus Patrem in eam vſque diem inhumatum, Pontificis conceſſu, Maiorum ſuorum tumulo Spiræ intulit. Conven-

PONT. METV INDVCTVS HENRICVM CÆS. APPELLAT.

R tude-

tu deinde Moguntiæ acto Albertum Cancellarium, cuius conſiliis res, quas diximus, in Italia geſſerat, ei vrbi Antiſtitem dedit. qui ſimul ac Romani Pontificis & Concilij Viennenſis ſententiâ damnata prioris anni acta cognouit, ipſe quoque à ſeipſo feliciter degenerans Imperatoris patrocinium profanarúmque inaugurationum deſeruit; eóque nomine raptus in vincula generoſâ omnium ærumnarum patientiâ tantundem nomini ſuo gloriæ, quantum nuper inuidiæ peperit. Quo tempore nec vaſtiſſimi BOIARIÆ montes virtutum flore fructúque caruêre. nam qui ab Oeni valle in immenſam altitudinem aſſurgunt humani ferè cultus expertes & ferarum luſtris conceſſi, ſua Religioni domicilia præbuerunt. Ratholdus vir nobilis & Aiblingæ perueteris ad Mangualdam flumen oppidi Dominus Sacris initiatus aſpretis penè inacceſſis ex aduerſo Svvazenſium argēti fodinarum pretium facturus, innocentiam iis ſanctitatémque intulit, ſocios nactus nec ſanguine nec virtute impares; ex quibus Freundſpergerorum, Selnerorum

MCXII. ALB. CANCELLARIVS RESIPISCIT.

MONASTER. MONTIS S. GEORGII EXTRVITVR.

rum

& eorum præſertim, quibus de Sliters cognomentum fuit, clarior hodieque memoria; qui rudibus primùm mapalibus vel antris veriùs abditi, in prææltam mox & vndique abſciſſam rupem, cæleſtib⁹, vt fama fert, prodigiis inuitati, Ædem illic D. Georgio ſibique tecta moliti ſunt; nidum affixum ſcopulis diceres, quo nomine Vlyſſis patriam Ithacam Cicero affecit. cultum & opes paulo pòſt Reginbertus ex S. Petri apud Saliſburgenſes Abbate Epiſcopus Brixinenſis addidit; idémque Eberhardum loco præfecit, & D. Rhomedij Dynaſtæ Taurenſis capite eodem deportato, Oenanæ valli Ciuem ſuum imò Dominum poſt ſeptingēteſimum, quàm inde emigrauerat, annum reddidit rarum pignus & maioribus noſtris ſumma religione frequentíque votorum nuncupatione cultum; quam laudem ſæculo noſtro mortalium ignauia detraxit. Iam verò alterum in ead. Oeni ora eadémque ferè tempeſtate D. Petri honori in vertice Matronæ montis poſitum monaſterium prorſus interiit. Id ab Andecenſibus iiſdémque Dieſſenſibus To-

MONAST. S. PETRI IN MATRONA MONTE.

parchis excitatum, belli iniuriis, quod proximo ſæculo memoraturi ſumus, ad vaſtitatem rediјt, ſolo templo relicto.

II.
Vrſpergenſis.
MCXIII.
Reſpublica interim certâ pacis quietiſque ſpe, quam Henrici initia ſpondebant, cum gemitu excidit. Primi eam Saxoniæ Proceres cùm abrupiſſent, ſtudia eorum intempeſtiuè prodita ſucceſſu caruerunt. Henricus ſingulos carpendo, celeritate oppreſſit; & ſequenti

MCXIV.
anno, qui decimus quartus fuit, Mathildem Anglam in thori regníque conſortium accepit. Nuptiæ regio apparatu Moguntiæ celebratæ, haud temerè vllo

LOTHARIO SAX. VENIA DATA.
Otho Friſing. l. 7, c. 15.
procerum, præter factioſos, abſente; ex quibus Lotharius Saxo, qui poſtea imperauit, obſoletâ indutus veſte omníque reorum ſqualore aſſumpto, ad Henrici prouolutus pedes & publicæ hilaritatis abuſus opportunitate, tēporis beneficio veniã impetrauit. Nihilominus & illo, &, qui proximè ſecutus eſt, anno, rerũ, quæ cum coniuratis gererētur, ab-

MCXV.
undè fuit. inuiſior in dies Cæſar, publicatis Diris, quibus Legati Pontificij &

ODIA IN CÆSAREM.
integri Patrum conſeſſus caput eius deuouerant, cùm Moguntiæ rerum geſtarum

rum rationem redditurum ſe pollicitus eſſet, pro ſe dicturo concio defuit; pauculis Epiſcopis vix vmbram Comitiorum repræſentantibus. minimo minus abfuit, quin populari ſeditione opprimeretur, niſi Albertum Antiſtitem repetentibus annuiſſet: qui cùm mortuali laruæ quàm homini ſimilior è carcere prodiiſſet, quantum ſibi miſerationis, tantum Regi conflauit odiorum. quæ vt declinaret, eadémque opera Mathildis potentiſſimæ fœminæ, quam Welfoni noſtro aliquamdiu nuptam diximus, hæreditatem adiret, in Italiam anno ſexto decimo abiit. Tanto licentiùs deinde arma ſumpta, & ciuilis ſanguis maiore prodigentia fuſus. vulgatæ cædes; petitæ ex ſacro pariter profanóque prædæ; nemo ſua innocentiâ tutus, ſed ne improbitate quidem; cùm vna bonis maliſque exitij cauſa eſſet, Pontifici vel Cæſari ſtuduiſſe. ea nomina factioſis faces ferrúmque miniſtrabant in mutuas clades, & iam non pudenda ſub obtentu pietatis latrocinia: quanquam niſi læua mens fuiſſet, non deerant Numinis minæ & manifeſti nutus rabiem publicam

MCXVI. BELLVM CIVILE.

ſitæ; mutóſne potiùs amicos Regis, an illum ſurdum & impenetrabilem recta monentibus fuiſſe pronunciem, vix argumenta habeo. Vnius, quem veteres à probro vindicant, Welfonis BOIARIÆ Ducis nomen reperio, qui ab Henrici temeritate alienus reſtituendi Pontificis abolendíque fœdiſſimmi exempli ſeriam curam ſuſceperit, liberè Regem monere auſus, non hoc illum Imperio promiſiſſe, cùm Ratiſbonenſibus comitiis ſignum Italicæ expeditionis proponeret: non excitam ad hoc ſpectaculum Germaniam, vt in vinculis Pontificem & per ludibrium velut in triumpho circumductum aſpiceret. Neque verò Patri eius ob vexatam mitioribus odiis Romanam ſedem abrogatum Imperium, vt filius feliciore in eam violentiâ arietaret; quámque ille ſuis incurſationibus concuſſerit, hic funditus euerteret. Ea ſpe Principes Regis latus ſtipaſſe, vt Imperatorem Germaniæ redderent: nunc pro ſummis honoribus quid niſi vltimum dedecus & exprobratam Deciis & Neronibus tyrannidem in patriam relaturos; niſi profuturum

Chron. VVeingartenſe.

WELFO PONTIF. PARTES TVETVR.

CORDATA EIVS AD CÆS. ORATIO.

rum nobis ad gloriam exiſtimas, inquit, quòd præfecti tutelæ carceris Pontificij lictorum munus occupauimus, & Vicarium Chriſti traximus captiuum, haud multò innocentiores damnata Carnificum cohorte, qui Chriſtum ipſum ſed radios maieſtatis ſuæ occultantem, & incognitum ad flagra & Crucem rapuerunt. At enim qua tandem ſpe cœptum iratis Superis ſacrilegium continuatur? an vt fatigatus ærumnis Pontifex, quod liber daturus nunquam fuerat Imperij inſigne, imponat tibi captiuus? ſic tu Imperium vel mereri, vel adire ſuſtines? Summum Ius in orbem terrarum accipies ab eo, qui ipſe ſui Iuris ſponte ſua non ſit? His tu auſpiciis in Caroli & Othonis Magnorum, Ludouici Pij, &c, vt in tuo nomine alios mores agnoſcas, Henrici Sancti honores irrues, & æquo cum ijs iure, id eſt, quo qui optimo te putas imperaturum? quæque illi ſuâ erga Pontifices ſummos obſeruantiâ meruerunt ornamenta, tu velut opima ſpolia captiuo Pontifici detrahes? Illi ſuſcepta pro auita religione & ſanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ Inſtitutis & Cæremo-

„ remoniis pericula, vulnera etiam & ho-
„ neſtiſſimas cicatrices cùm oſtentarent,
„ Auguſti appellati ſunt; tibi ad nuperum
„ frontis vulnus erubeſcendum eſt; quod
„ ſi in meliore cauſa accepiſſes, diadema-
„ te fuerat obligandum. Sed nimirum au-
„ dio probari ab aſſentatoribus factum
„ tuum, & cum amicâ Iacobi Angelo col-
„ luctantis violentiâ comparari; pietati, ſi
„ ſuperis placet, tribuitur, quòd neges
„ Pontifici miſſionem te daturum, niſi
„ vim facienti bene precatus fuerit:
„ quorum impudentiæ iraſcárne, an tui
„ potius, qui obſideri ab his Sirenibus au-
„ res tuas pateris, miſericordia me ſubeat,
„ ambigo: traducet hunc tam friuolum
„ colorem allitum ſceleri tuo poſteritas,
„ tantóque potentiùs in damnationem
„ illius tuíque incumbet, quantò certiùs
„ conſtiterit, ſtultitiam tibi huius patro-
„ cinij arriſiſſe. Cordatæ admonitionis
fructum alium ſi Welfo non tulit, in re-
ctè facti officiíque expleti conſcientia
acquieuit, effecítque ne conſilium Re-
gi, ſed Rex conſilio defuiſſe diceretur:
melioris enim frugis prouentum perui-
cacia ingenij & potentior apud ani-
mum

Vide Vrſperg., hoc anno. & Gerhohi ſyntagma. c. 22.

mum aureſque Henrici Albertus Cancellarius Sarbrugenſis Comes, qui Ottoni noſtro *Præcordialis Regis Conſiliarius* dicitur, intercepere. In eum tamen res deducta locum eſt, vt quantumuis iniquis & fœdis conditionibus Paſchalis Pontifex ſuam ſuorúmque calamitatem redimeret. Conferendarum enim per Annulum & Baculum dignitatum Eccleſiaſticarum licentiâ, quæ tota ſementis diſcordiæ fuit, Regi permiſsâ, & tabulis raptim confectis confirmatâ, eundem Idib. Aprilis coronatum Auguſti cognomento auxit: quâ indulgentiâ ſuæ ſuorúmque vitæ, non item famæ conſuluit; hanc enim inuidiæ ne tum quidem eripuit, cùm publico conuentu ſequenti anno Romæ coacto palinodiam cecinit, extortúmque vi *Priuilegium* antiquauit, & *Prauilegium* appellandum cenſuit. Henricus porrò in Germaniam eodem, quo Imperator renunciatus eſt, anno reuerſus Patrem in eam vſque diem inhumatum, Pontificis conceſſu, Maiorum ſuorum tumulo Spiræ intulit. Conven-

PONT. METV INDVCTVS HENRICVM CÆS. APPELLAT.

R tude-

tu deinde Moguntiæ acto Albertum Cancellarium, cuius conſiliis res, quas diximus, in Italia geſſerat, ei vrbi Anti-
MCXII. ſtitem dedit. qui ſimul ac Romani Pon-
ALB. CANCELLARIVS RESIPISCIT. tificis & Concilij Viennenſis ſententiâ damnata prioris anni acta cognouit, ipſe quoque à ſeipſo feliciter degenerans Imperatoris patrocinium profanarúmque inaugurationum deſeruit; eóque nomine raptus in vincula generosâ omnium ærumnarum patientiâ tantundem nomini ſuo gloriæ, quantum nuper inuidiæ peperit. Quo tempore nec vaſtiſſimi BOIARIÆ montes virtutum flore fructúque caruêre. nam qui ab
MONASTER. MONTIS S. GEORGII EXTRVITVR. Oeni valle in immenſam altitudinem aſſurgunt humani ferè cultus expertes & ferarum luſtris conceſſi, ſua Religioni domicilia præbuerunt. Ratholdus vir nobilis & Aiblingæ perueteris ad Mangualdam flumen oppidi Dominus Sacris initiatus aſpretis penè inacceſſis ex aduerſo Svvazenſium argēti fodinarum pretium facturus, innocentiam iis ſanctitatémque intulit, ſocios nactus nec ſanguine nec virtute impares; ex quibus Freundſpergerorum, Selnerorum

& eorum præſertim, quibus de Sliters cognomentum fuit, clarior hodieque memoria; qui rudibus primùm mapalibus vel antris veriùs abditi, in prælaltam mox & vndique abſciſſam rupem, cæleſtib⁹, vt fama fert, prodigiis inuitati, Ædem illic D. Georgio ſibíque tecta moliti ſunt; nidum affixum ſcopulis diceres, quo nomine Vlyſſis patriam Ithacam Cicero affecit. cultum & opes paulo pòſt Reginbertus ex S. Petri apud Saliſburgenſes Abbate Epiſcopus Brixinenſis addidit; idémque Eberhardum loco præfecit, & D. Rhomedij Dynaſtæ Taurenſis capite eodem deportato, Oenanæ valli Ciuem ſuum imò Dominum poſt ſeptingẽteſimum, quàm inde emigrauerat, annum reddidit rarum pignus & maioribus noſtris ſumma religione frequentíque votorum nuncupatione cultum; quam laudem ſæculo noſtro mortalium ignauia detraxit. Iam verò alterum in ead. Oeni ora eadémque ferè tempeſtate D. Petri honori in vertice Matronæ montis poſitum monaſterium prorſus interiit. Id ab Andecenſibus iiſdémque Dieſſenſibus Toparchis

MONAST. S. PETRI IN MATRONA MONTE.

rum rationem redditurum ſe pollicitus eſſet, pro ſe dicturo concio defuit; pauculis Epiſcopis vix vmbram Comitiorum repræſentantibus. minimo minus abfuit, quin populari ſeditione opprimeretur, niſi Albertum Antiſtitem repetentibus annuiſſet: qui cùm mortuali laruæ quàm homini ſimilior è carcere prodiiſſet, quantum ſibi miſerationis, tantum Regi conflauit odiorum. quæ vt declinaret, eadémque opera Mathildis potentiſſimæ fœminæ, quam Welfoni noſtro aliquamdiu nuptam diximus, hæreditatem adiret, in Italiam anno ſexto decimo abiit. Tanto licentiùs deinde arma ſumpta, & ciuilis ſanguis maiore prodigentia fuſus. vulgatæ cædes; petitæ ex ſacro pariter profanóque prædæ; nemo ſua innocentiâ tutus, ſed ne improbitate quidem; cùm vna bonis maliſque exitij cauſa eſſet, Pontifici vel Cæſari ſtuduiſſe. ea nomina factioſis faces ferrúmque miniſtrabant in mutuas clades, & iam non pudenda ſub obtentu pietatis latrocinia: quanquam niſi læua mens fuiſſet, non deerant Numinis minæ & manifeſti nutus rabiem publicam

MCXVI. BELLVM CIVILE.

PRODIGIA. MCXVII. *Vrſperg. Anſ. Gembla. Sigon.*

blicam damnantis. III. Non. Ianuar. Anni decimi ſeptimi inſolito terra motu tremuit; non modò quòd hyemem eiuſmodi malis obnoxiam veteres negabant, ſed ob ſtragis magnitudinem & procumbentia ſuper incolas ſuos mœnia, auerſa flumina aut in aëre ſuſpenſa, turbatos fontes & continentem vaſtis hiatibus interruptam. III. Kal. Febr. nouus ex horrenda cæli facie & micantibus inter grandinem ignibus metus; qui vt perpetuus eſſet, nullus non menſis aliquid contra leges peccauit & inuſitatis mortales ſupplicijs afflixit: quæ cùm in Italiam impotentiùs incumberent, haud vanè metuebat Henricus, ne triſtibus Conciliorū ſententiis jam antè fulminatus alio etiam irati Numinis telo peteretur: eáque propter ad Paſchalem Pontificem ſupplices literas dedit, cum eo boniſque omnibus in gratiam rediturus. Pontifex negauit ſuâ eum ſententiâ damnatum, cauſámque illius ad Concilium reiecit. Henricus futuri metuens & præſentibus anxius quòd crederet ſe vnà cum ſocietate Piorum etiam Imperio excidiſſe, prauo conſi-

HENR. PONT. GRATIAM AMBIT.

conſilio & ſtolido repeti inauguratio-
nem ſuam Romæ voluit: quam cùm ab-
ſente Pontifice, cuius ea muneris eſſet,
peragi poſſe Antiſtites reliqui conſenſu
negarent, Mauritium Burdinum Brac-
carenſem Epiſcopum hominem va-
num magnis pollicitationibus infla-
tum ad imponendum ſibi diadema im-
pulit, eundémque anno proximo, quo MCXVIII.
Paſchali Pontifici mortuo Gelaſius rite
ſuffectus eſt, Pontificiâ Tiarâ ridiculo
ſed pernicioſiſſimo mimo remunera-
uit, & propoſito fœdiſſimo Idolo, ma-
líſque omnibus, quæ pati & timere nu-
per orbis deſierat, ab Orco reuocatis, in
Religionis iugulum maiore quàm pater
inſania iras & parricidiale ferrum exa-
cuit: cuius ictum vt euitaret Pontifex, in
Galliam profectus, Henrico eiúſque
abortu damnato, anno decimonono
deceſſit. Ei Vido Viennenſis Antiſtes
ſuffectus Calliſti II. nomen accepit. In-
terim Cuno Prænestinus Pontificis Le-
gatus Coloniæ & Friteslariæ Conuen-
tibus actis eraſum ex Albo Piorum
Henrici nomen publicauit. Ea re pro-
ceres incitati diem Henrico dixerunt,

SCHISMA ET ANTIPAPA.

HENRICO DIRÆ DENVNCIATÆ ET DIES DICTA.

minis additis, niſi ad dicendam cauſam comparuiſſet, abſentem regno ſe ſpoliaturos. Id frenum Henricum ex Italia extraxit. Triburiæ cum Principibus congreſſus turbas in præſens compoſuit, eáque ſanati ingenij ſpecimina præbuit, vt Patres neque de illo neque de Repub. deſperarint. Lætiſſimum fuit, quòd Concilij Rhemos à Pontifice in Octobrem indicti ſe quoque partem futurum profeſſus in eam bonorum animos fiduciam erexit, vt Eccleſiæ pacem eo adhuc anno ſponderent. Ea vota ominàque quo pacto Henricus euerterit, iuuat ex Heſſonis Scholaſtici Commentariolo, qui hoc vno Argumento abſoluitur, petere. Epiſcopus Catalaunenſis & Cluniacenſis Abbas Legati Pontificij Argentinæ Henricum nacti amicè monuerunt, ſerenaret orbem terrarum vnico, quod poſſet, nutu; colligaret rupta cũ cælo fœdera, exarmatis duabus Reipub. Chriſtianæ manibus, Sacerdotio & Imperio; quibus inter ſe digladiantibus nec fulmina nec cruenti imbres ſiſti poſſint. Quibus cùm Henricus diceret, id magis in voto ſuo,

CONCILII RHEMENSIS HISTORIA. *Extat inter vetera Monumenta à Iac. Gretſero edita.*

ſuo, quàm poteſtate eſſe; propter *Inueſtituras* infeſtum Imperio Sacerdotium imminere; quorum antiquiſſimo Iuri ſi renunciet, tum verò implumem Imperij Aquilam neceſſariò humi repturam. Catalaunenſis vanitatem eius metus Franciæ exemplo refutauit, cuius Lilia non ideo marcuerint, quòd Reges auctionem Epiſcopatuum ſub Anulo & Baculo nullam faciant. ſalua illis ſua nihilominus iura ſeruari, iiſdémque obſequiis quà domi quà militiæ coli, quæ ipſe à ſuis exigat. Hìc Henricus manu & ore annuere, & vltro polliceri in Pontificis ſe poteſtate fore, ſi dignitati ſuæ ad eundem modum cauiſſet: neque enim tam inimicum pacis eſſe ſe, vt Anulum & Baculum habiturus ſit cauſam bellorum, niſi vnà cum ijs ſua regno iura extorqueantur. In eam ſententiam cùm ſponſionem & teſtes dediſſet, legatos ad Pontificem remiſit; qui tam lætis initiis mirificè exhilaratus firmari promiſſa tabulis voluit, ſtatuítque diem & locum, quo ea exequeretur. Imperator Monſonium nominauit; vbi ex Pontificis ſententia IX. Kal. Nouemb.

LIS PRO ANVLO ET BACVLO.

HENR. CÆS. INCONSTANTIA.

uemb. fœdus feriretur. Inter iuratos teſtes Welfo BOIARIÆ Princeps & Berengarius Sulzbacenſis primo loco nominantur. Pontifex nihil moratus in tempore adfuit. Rex ad liberandam fidem vocatus ſibi non conſtitit, negare auſus quidquam ſe pactum. Quam leuitatem cùm Catalaunenſis confutaſſet, ad ambages Cæſar & veternoſas querelas rediit cauſatus iniquam ſibi de ſacro Lituo litem moueri, quæque penes maiores ſuos auſpicia fuerint & certiſſima regni fulcra, ea Pontificum ambitione conuelli, vt ſoli imperent. quæ cùm Legatus vt friuola difflaſſet, inducias vnius noctis ad prenſandum conſilium flagitauit. Amici eius etiam de piaculorum rigore nonnihil remitti poſtularunt; atq; id potiſſimùm, ne Imperator excalceatus veniam petere cogeretur, reciperetúrque in gratiam ſine iniuria Maieſtatis. Legati prolixè omnia polliciti dubia ad Pontificem reſponſa retulere: qui offenſus Imperatoris fruſtrationibus tamen à ſe noctis illius moram impetrari paſſus eſt, ne præcipitaſſe vltimas ſpes impatientiâ diceretur. pretium

tium nihilominus operæ nullum fuit. poſtridie reuerſis ne amicè quidem reſponſum eſt. negauit Cæſar, niſi, pleno ſenatu, Procerum omnium conſilio vſus eſſet, in grauiſſima cauſa aleam ſe iacturum. Pontifex ad Concilium reuerſus triſtem irriti itineris hiſtoriam Patribus explicauit; quæſitiſque ſententiis, cùm ſponte ſua ad damnandum Henricum propenderet, ampliùs etiam ab Alberto Moguntino, Friderico Colonienſi & Conrado Saliſburgenſi incitatus eſt. Igitur facibus pro Patrum numero CCCCXXVII. ardentibus dirum carmen in Henricum & Idolum illius Burdinum recitauit, execratúſque ambos piorum numero eiecit. Inde nouis omnia tumultibus miſceri, & quibus ſancta Concilij autoritas fuit, miſera pietatis ſuæ præmia ferre: Exilia, proſcriptiones, deprædationes, violationes ſacrorum, quæque alia ſub Henrico Patre ſpectauimus, ſtrenuè à filio repetita; ne nunc quidem immuni cladium Boicâ, ſed tanto faciliùs elugendarum, quanto certiora ſunt argumenta Religionis firmis radicibus nixæ, & his quoque

Otho Friſing. lib. 7. c. 20.

HENR. C. EXCOMMVNICATVR.

que turbinibus cum gloria obluctantis.

CONR. SALISB. ARCH. EXVL.

Conradus primùm Saliſburgenſis Antiſtes dudum ſede ſua pulſus in Saxonia latitabat. Admontenſis enim Monachus, qui res D. Gebhardi Saliſburgenſis Antiſtitis enarrauit, nouenniũ exilio eius tribuit Magno Athanaſio comparare virum auſus, qui ipſe etiam in Henrico Conſtantium expertus ſtructas ab eo vitæ ſuæ inſidias ægrè abſtruſiſſimis latebris euitârit. Primùm enim deuio Admontenſis vallis ſpelæo ſemeſtre delituit; trimeſtre aliud in ſpecu ſubterraneo eiuſdem Monaſterij exegit. Sed cùm ne ſic quidem exploratorum diligentiam falleret, ad Adelgottum Magdeburgenſem Antiſtitē arreptâ fugâ iterum circumuentus in hoſtium manus incidiſſet, niſi propinquo demerſus amne, naribus tantùm oculiſque extantibus, miſerrima per diem ſolidum ſtatione captatores ſuos eluſiſſet.

Reicherſpergenſe Chronicon ſeptennio exulaſſe tradit.

ITEM ALII.

Conradum Beruinus Reicherſpergenſis Antiſtes feſſus Schiſmaticorum iniuriis ſecutus eſt. Vdalrici etiam Bataueuſis Epiſcopi Raitenbuchenſem ſeceſſum, cuius Paulus Bernriedenſis meminit,

Paulus in vita B. Herlucæ.

minit, veroſimili coniectura ad hæc tempora referas. Vexatos etiam Ratisbonenſes Sacerdotes ex eodem Paulo intelligas; cui vt acerrimo Schiſmaticorum hoſti & calamo etiam contra illos pugnanti cedendum vrbe fuit; quæ fuga eum in Bernriedenſe, aut, vt ipſe id appellat, Beronicenſe Cœnobium compulit; cuius quia nunc primum à me facta eſt mentio, origines & prima decora repetam. Circa hæc ipſa tempora ad Lacum Vermium ab Othone & vxore eius Adelhaide extructum ex Calliſti Pontif. tabulis anno vigeſimo ſecundo exaratis manifeſtum fit. Othonem Phalaiæ Comitibus, qui Schirenſis ſtirpis ſurculus ſunt, natum domeſtici ſcriptores tradunt, eundémque cum fratre cognomine & ſorore Mechtilde Augienſe Monaſterium, quod Grieſſam deinde haud procul Bozano tranſlatum eſt, molitum volunt. Sigebotho (non, vt in vulgari eius Cœnobij Indiculo appellatur, Otho,) primus ei loco præfuit Eptatici olim ad Lycum Curio; qui locus D. Wicterpi Auguſtani ſub annum ſexcenteſimum ſexageſimum Epiſco-

ORIGO MONASTERII BERNRIEDENSIS. *Auentin.* *Arenpeck.*

Epfach *Landſpergam inter & Fauces.*

Epiſcopi familiari diuerſorio & deni-
que etiam tumulo nobilis veteris glo-
riæ veſtigia hodie ægrè tuetur. Cum eo
Sigebothone Paulo noſtro hoſpitium
& intimus vſus intercedebat annuo
conuictu contractus, quo Herlucam
Virginem, cuius deinde vitam com-
mentario complexus eſt, noſſe cœpit;
ex quo nonnulla rebus noſtris oppor-
RES S.HERLVCÆ V. tuna viſum carpere. Herluca Sueua do-
mo in magnæ Virtutis exemplum con-
ceſſa orbi terrarum, vt ei à teneris aſſue-
ſceret, morbis ad rerum humanarum
faſtidium perducta eſt; vtroque oculo
extincto, ne quid in iis præter Deum
ferret. alterum poſtea D.Cyriacus Mar-
tyr, cui ceream pupillam vouerat, ape-
ruit cæli tantum aſpectu occupandum,
quæque alia innoxia viſu forent. Prima
illi ætas in contubernio Adelhaidis,
(Manegoldi Palatini Comitis vxor fuit)
inter officia pietatis effluxit; quam poſt-
ea vita functam inter cælites videre ſibi
viſa eſt inſigni gloria conſpicuam; mul-
tò tamen illuſtriore Wielicam & Hilti-
burgem ſorores eius, quas Virginitatis
nunquam libatæ æſtimatio ſupra nu-
ptam

Digitized by Google

ptam extulerat. Vtebatur Herluca Wilhelmo Hirſaugienſi, cuius res ſuprà explicuimus, Magiſtro vitæ & morum, donec in comitatu Rutberti & Hadevvigis nobilium coniugum, quorum ſtipe viuebat, Eptaticum acceſſit, & triginta ſex annos incoluit cæleſtibus illecebris detenta, copiam earum DD. Laurentio & Wicterpo, ſub quorum tutela Eptaticus eſt, ſuggerentibus. Ibi Doudam Sigebodi Raittenbuechenſis Anachoretæ neptem inſigni virtute viduam nacta ſociam vel ducem propoſiti ſui, eouſque ad omnem profecit ſanctitatem, vt cæleſtium conſcia arcanorum, futura, abſentia, abditáque animo penetraret, quo ſanè luſca non fuit. Gregorio VII. Pontifice ſacerdotum libidines ſeueris legibus coërcente cautum erat, ne ſacra eorum, qui hac nota publicè infames eſſent, frequentarentur. Herluca Richardo in Eptatici Æde operanti aſſiſtere ſolita Seruatorem clara luce plagis ſanguinantibus obſitum aſpexit; quo ſpectaculo cùm penè exanimaretur, à D. Wicterpo iuſſa eſt aris impuri hominis faceſſere, Filium Virginis inceſta ma-

IMPVRI SACERDOTES CÆLO INVISI.

nu

nu nihilo quàm Iudæi Carnifices clementiùs tractantis. Alterum eadem morum fœditate ſacra temerantem Adelbertum de Rota rapi ad infernos ignes vidit; de quorum ardoribus hoc eius iudicium fuit, grauiſſimè vri, qui diris deuoti inexpiatâ animâ eò præcipitaſſent. de diuinis rebus tam illecebroſâ facundiâ diſputabat, vt Paulus noſter de ea dicere ſolitus ſit, nunquam ſe ſuauiùs ex ore vllius fœminæ Deum guſtaſſe; Rutbertus verò nutritius virginis negârit, poſt Dei Matrem vlli ſe ex eodem ſexu plus debere. Huic illa, viuâ adhuc coniuge, continentiam perſuaſit. Iudithæ filiæ eius cùm eripere vanos amores ſua voce non poſſet, in ſubſidium cæleſtes vocauit; quarum ſuauitate vnà cum Herluca perfuſa illico nupturire deſiit; imò ſanctiùs cœpit: ita enim mentem auditus occupauit hymen, vt ante non acquieuerit, quàm ſacro Flammeo manibus Vdalrici Batauenſis Epiſcopi apud Raittenbuechenſes tunc latitantis obnupta Chriſto deſponderetur; ad cuius amplexum illo ſtatim anno admiſſa eſt. Ægra cùm decumbe-

In vita prolo-go.

VIRGINITATIS NVPTIÆ.

cumberet, & in vicina ſponda Luickardis Herlucæ neptis cum morte luctaretur, iocoſam litem illi Iuditha intendit, quaſi parum vrbanè faceret, quòd in æternitatis ſtadio contingere metam prior laboraret; argumenta inſuper dixit, cur ſibi primas iure depoſceret; quæ contubernalis eius non infacundè refutauit. Iuditha paulò poſt defuncta tumulum in Weſſobrunnenſi Monaſterio accepit, ſine pompa communi ceſpite contecta, digna quæ in auro cubaret. Sed triumphus, quem Herlucæ de cælo oſtendit, ſepulchri tenuitatem compenſauit; cuius ea fuit Maieſtas, vt Herluca ſciſcitaretur, an omnino mortalium vlli ſperare paria fas eſſet. Iuditha Agnetem nominauit Othonis Daningenſis Comitis Filiam Admontenſi Cœnobio tunc clauſam, eadem meritam eadémque præmia laturam. Verùm, ne quid diſſimulem, id quoque lilium in BOIORVM agro creuit; aut enim omnes me coniecturæ fallunt, aut Otho hic Agnetis pater Wolffratshuſiorum Comitum ſanguis fuit, quibus etiam Daninga vicus paruit. Et verò in

ET TRIVMPHVS.

AGNES HEROIS BOICA.

peruetuſtis tabulis donationum eius Monaſterij diſertè ſcriptum eſt, Othonem Wolffratshuſium Agnetem filiam cum inſigni dote illic collocauiſſe. Porrò vt ad Herlucam reuertamur; illa circa hæc ipſa tempora agreſtium furore Eptatico expulſa, Lyco tranſito, in BOICA, quod vitæ ſupererat, exegit, Bernriedenſis Cœnobij, cui tuguriolum ſuum affixerat, initia illuſtratura. ſed & Buribergenſe, ſiue, vt nunc vocatur, Beyrbergenſe Canonicorum Cœnobium, quod hac etiam tempeſtate Otho Iringenſis caſtri, quod Euraſpurgum nobis hodie eſt, Dominus extruxit, Diuos præſentes & propitios habere ſe huius Virginis aſſeueratione & fide gloriari poſſit. Adalbertus Othonis Fundatoris pater cùm in flagrantiſſima apud Henricum IV. gratia verſaretur, paſſim ab Imperij Principibus prenſabatur, atque vt fit etiam muneribus colebatur ab ijs, qui ſibi ad Cæſaris aures animúmque, quos ipſe in poteſtate habuit, viam muniebant. Alij alia, ſacri proceres Diuûm oſſa auro chariora pignora offerebant; quæ ille in Bergenſi arce

Hund. in l. Stemm. in Com. von Wolffratshauſen.

BEVRBERGENSE COENOB. FVNDATVR.

SS. RELIQVIARVM VENERATIO.

arce condita cum reliqua hæreditate ad filium tranſmiſit. Illic cùm inhonora perdiu latuiſſent, Henricus primus loci Præpoſitus, haud inuito Othone, ea in Cœnobium tranſtulit. Gepa interim obiit Conradi Anachoretæ, qui ad Beurbergenſe domicilium erigendum Othonem impulerat, Soror: ad curandum funus cùm præter Henricum Præpoſitum Paulus etiam noſter cum Gebhardo ſocio, Bertha Fundatoris mater, & ipſa denique Herluca confluxiſſent, ex ea cognitum eſt, tota cælitum agmina ſacrificanti aſtitiſſe, haud dubiè illorum, quorum in ea Æde cineres aſſeruabantur. Sed longus ſim, ſi per omnia Herlucæ decora eam. Annum eius extremum nondum reperi: tumulus Beronicæ oſtenditur. Atque hæc cum exilio Pauli Ratiſbonâ exacti rerum temporúmque ſerie coniuncta neque oratione ſeparanda fuere. Friſingenſis Epiſcopatûs non eadem gloria, Henrici Antiſtitis vitio, qui factionem Imperatoriam bonorum conſenſioni prætulit, exauthorandus proinde à Conrado Saliſburgenſi, ob deſertam Religionis

HENR. EP. FRIS. SCHISMATI FAVET. *Chron. Conradi Schirenſis. Auentinus.*

 cauſam,

cauſam, niſi ſuæ illum opes & ſacerdo-
tum eadem contagione laborantium
potentia cenſuræ eripuiſſent. Diuûm
tamen templa, quæ Henricus iam con-
ſecrarat, à Conrado reſecrata expiatá-
que ſunt; in quibus Viſchpachavvenſis
Cœnobij Ædes fuit, cuius mentionem
conſultò in hunc annum diſtuli, quo
veteres eius incolæ in arcem Schyren-
ſem primæua BOIORVM Principum cu-
COENOB. nabula, qui ab annis paulo minus quin-
VISCHPA- gentis imperant, immigrârunt. Otho,
CHAVV: qui ex Schyrenſi familia hoc nomen ſe-
cundus tulit, inter aſpera montium, qui
Oenum & Iſaram altiſſimis iugis diui-
dunt, Ædiculam molientibus Ottoni &
Adelberto fundum & opes largitus fue-
rat, eámque anno MLXXVII. Polenſis
quidam Antiſtes, cui Ellenhardus Fri-
ſingenſis vices ſuas demandârat, conſe-
crauit. Othonem biennio pôſt mors
occupat. Haziga vidua ſummâ Eccardi,
Othonis & Bernardi Filiorum volunta-
te, maius animo complexa opus D. Be-
Gevvoldus in nedicti Sodales à Wilhelmo Hirſaugi-
Geneal. ordi- enſi ſubmiſſos Viſchpachauium trāſtu-
nem Translati lit, tandem ſterilium montium tædio
emi-

emigratum ad Glanum flumen, & Eiſenhofij locatæ ſedes, autore facti Erchenboldo, qui ſacræ familiæ tum iura dabat: cui paulo pòſt fatis functo Bruno filius Materteræ Henrici Imperatoris, Vir ſanctus ex Hirſaugienſi ipſe quoque Cœnobio ſubmiſſus eſt; non tamen, quod Conradus Annalium Schyrenſium conditor exiſtimat, Wilhelmi auſpiciis, quem diu ante obiiſſe certum eſt. ſed neque Eiſenhofiana ſedes perennauit. hoc enim anno decimo nono Otto Wittelſpachius Palatinus Comes Ottonis & Hazigæ, quorum primo loco memini, Nepos (Hundius filium vocat) Beatrix Arnoldi Dachouienſis Comitis Vidua, eiúſque filij Conradus & Otto: Itémque Eccardi ſecundi ex Petriſſa Filij Eccardus, Bernardus & Otto Schyram auitam ſedem ſuam, non ſine diuinitatis inſtinctu, Deo & Virgini Matri conſecratam Numini Maieſtatíque eorum deuotis viris ſecundiſſimis auſpiciis attribuerunt. Pulcherrimum factum fœdâ fabulâ Andreas Ratiſbonenſis Presbyter contaminat, contra omnem incorruptæ antiquitatis fidem

Monaſt. perperam inuertit.

SCHYRENSIS ARX IN COENOBIVM MIGRAT.

In Chron.

ex anicularum næniis ſcribere auſus, in numeroſiſſima Schyrenſium gente fuiſſe, qui optimi conſilij & conſpirantium in eandem pietatem animorum conſortionem execratus Orcum quàm Cælum ditare maluerit; cúmque cognati ſanguinis Heroës ſinguli teſtem abdicati, quod in arcem habuerant, iuris, manicam aræ imponerent, chirothecam ipſe cum impia voce in altum iecerit, Dæmon hæres meus eſto; quæ inuiſâ manu abrepta nunquam poſteà comparuerit. Corollarium nonnulli fabulæ aſſuunt, raptum cum anathemate ſuo impium per vicinum arundinetum ad ollas Vulcani deſcendiſſe: vbi alij nugatores Arnulphum, quem vulgò Malum vocant, ſepeliunt, commento æquè improbo & alibi à nobis confoſſo. Nos potiùs, quod perpetua rerum ſeries deinceps affirmabit, fidenter pronunciemus, Schyrenſem familiam pietatis ſuæ egregios fructus tuliſſe, & vnius arcis impendio prouincias, regna, triumphos aliáque æterna decora ſibi poſteriſque, memorabili quæſtu, comparaſſe. Hiſtoriam ducentorum paulo minus annorum

FABVLA EXPLOSA.

COM: SCHYRENSIVM FORTVNA EXPENSA.

norum ab Arnulpho, qui Schyram arcem condidit, repetentibus quid illuſtre occurrit, in illa domo tot Principum ferace? quid eximium inueniunt etiam curioſi & nullum veri veſtigium inobſeruatum tranſire ſoliti? Sed condonemus, ſi id tantùm agitur, hoc Antiquitati ſilentium, quo fortibus viris & bonis famam ſuam & præconium inuidit; quando communis ea multis eſt iniuria, neque porrò vindicabitur. At enim non ſemper tacuerunt literæ; &, ſi encomia tantùm conquireremus, maluiſſemus ſubinde minùs eſſe diſertas. Erubeſcendum fuit ad Haſenrietani ſcriptoris Anonymi atrocem cenſuram, qua Schyrenſes omnes, quemadmodum ſuo loco non pepercimus prodere, perſtrinxit. Otto verò, quem Friſingenſem Epiſcopum proximè poſt Henricum, cuius annos nunc exequimur, producemus, vſque ad Ottonem Wittelſpachium, qui ipſus Schyrenſis caſtri Deo ſacrandi auctor à nobis ſuprà nominatus eſt, nihil habet, quod Schyrenſium gloriæ faueat; vt omnino credi poſſit, quòd Conradus Schyrenſis

Otto Friſing. l. 6. c. 20 ex ed t. Vrſtiſij & lectione P. Pithæi.

Chronici auctor ſcripſit, à duobus Sanctiſſimis viris Vdalrico Auguſtano & Wolffgango Ratiſbonenſi Schyrenſe nomen omne diris imprecationibus deuotum, velut vitiata radice, nihil bonæ frugis tuliſſe; donec infelicibus cunabulis & natali ſolo in gentis ſuæ calamitates fœcundo illata religio triſtia familiæ omina, inchoatis candidioribus ſæculis, mutauit & illuſtri documento oſtendit, certius, adde & breuius ad gloriam iter non eſſe, quàm pietatis; etſi, quia minus habet tumultus quàm artes bellicæ, raris allubeſcit quieta iſta & inermis cum Deo negotiatio.

HENRICVS IX. WELFONIS II. Fr. DVX BOIARIÆ.

III.

A. MCXX. Welfonis mors.

Anno ſequenti, qui vigeſimus fuit, Welfo Boiariæ Principatum Kauffringæ ad Lycum cum vita poſuit, in Weingarttenſi Monaſterio Maiorum ſuorum tumulo illatus. Ei Henricus frater ſucceſſit iam viuo patre Wulffhildi Saxoniæ Ducis Magni Filiæ coniugio ſociatus; cuius ſororem Weingarttenſe

Chro-

Digitized by Google

Chronicon Eckhardo Schyrenſi copu-
lat & Matrem Othonis Palatini, quem
ſuperiùs nominauimus, facit; etſi alii
ferè non Eckhardo, ſed Ottone natum
ſentiunt. Wulffhildis Henricum Con-
radi, Henrici, & Welfonis, Iudithæ, So-
phiæ, Mathildis & Wulffhildis patrem
fecit: quos omnes vel factis ſuis vel
coniugiis nobilitatos ſuis locis produ-
cemus. Henrici initia diu optatâ inter PAX INTER
regnum & ſacerdotium concordiâ in- REGNVM
claruerunt. Nam Burdino Henriciano ET SACER-
Idolo ſequenti anno deiecto, & Henri- DOTIVM.
co ab obſidione Moguntinæ vrbis ab- MCXXI.
ducto, VVürceburgenſibus Comitiis
pax Germaniæ ingenti cõſenſu ſancita,
& ad redintegrandam Pontificis gra-
tiam oratores deſignati: In eo Conuen-
tu cùm præter Henricum Ducem &
Berengarium Sulzbacenſem è BOIO-
RVM proceribus vix quiſquam compa-
ruiſſet, quòd plerique Reip. negotiis
impliciti diſcedere ex prouincia non
poſſent, optimum factu viſum, vt priua-
tis Comitiis ad Kal. Nouembris Ratiſ-
bonæ coactis, quæ publicè ſtatuta eſ-
ſent, illic recitarentur. ad eam rem Ot-

Extant Acta illius To. 2. Ant. Lect. H. Caniſij.

MORS CRVENTA S. ERMINOLDI.

to Babenbergenſis & Henricus Dux delecti rem ex ſententia confecere. Eodem anno, Ianuario mēſe, D. Erminoldus primus Brunnfenningenſis Monaſterij ab Ottone Babenbergenſi, quem modò nominaui, excitati Abbas cruenta morte vitam finiit. Virtus illius cùm ſupra exemplum eſſet, &, vt deſides loquebantur, vltra imitationem, inuiſa erat iis viri diſciplina quaſi maiora humanis viribus præcipientis, metientíſque omnes vno & ſuo pede; cùm interim ab eius ſtudiis tàm longè abeſſent, vt cogitare etiam de latrocinio ſuſtinerent, eóque ipſo de medio tollendo, cuius monitis cogebantur fieri ſanctiores. Primùm quidem meditatum ſcelus diuinitus immiſſa latronibus formido excuſſit; ſed haud ita multò pòſt Aaron coniuratorum princeps deteſtatus ſocios timidè peccantes, confecti parricidij titulum ſolus occupauit, inſeſſóque, quà Erminoldo tranſeundum nôrat, loco, vecte ſecundum tempora ictum ſtrauit ſopiuítque. Vbi animum recepit & vocem, nihil niſi prægustatas cæli delicias loquebatur, & Beatorum

Album,

Album, in quo deſcripta omnino omnium nomina vidiſſet, qui ex illa ſua palæſtra olim eſſent coronandi. Fidem dictis anteacta vita, quæque illam ſecuta ſunt, conciliarunt. Sed poſteriora vt communia ferè Diuis omnibus enarrare animus non eſt. Viuentis factum illuſtrandis temporibus aptius afferemus; id ad quinquennium ſuperius, quo Henricus Imperator caput Conciliorum, vti diximus, ſententiâ deuotum circumtulit, pertinet; intra quod temporis ſpatium Ratiſbonæ cùm eſſet, Ottonis Babenbergenſis honori id daturus erat, vt Cœnobium, cuius ipſum auctorem nouerat, interuiſeret. Nemini dubium erat, quin omni honoris ſignificatione Erminoldus adoraturus eſſet ſummam in terris Maieſtatem, cuius hoſpitio omnis ſubinde poſteritas eſſet gloriatura. Nihil minus factum. Nulla aduentanti ianua patuit; negante Erminoldo Iras Numinis Diráſque, quibus Auguſtus inuolutus eſſet, intra ſepta ſe admiſſurum. Eum rigorem vt inhoſpitalem cùm Otho vir ſanctus, qui tum in comitatu erat, mitigare laboraret

S. ERMINOLDI CVM CÆS. HENRICO RES GESTÆ.

ret

ret, diceretq;, nondum publicatâ tam triſti ſententiâ non oportere eum nimis eſſe ſuperſtitioſum; Mihi quidem, inquit Erminoldus, publicata ſatis eſt, cuius ego ipſe præco fui. Imperator, qui nuper captiuum Pontificem traxerat, ſacroſanctam omnibus terris poteſtatem violare auſus, liberrimum panno ſi hominis & cucullati factum dictúmque, vtcunque bilem prouitantibus aſſentatorum vocibus, inſigni moderatione concoxit: & aliàs etiam cùm propter hortum, in quo Erminoldi diſcipuli opus faciebant, tenderet, & ſatellites læſæ Maieſtatis ſibi vindictam depoſcerent, furentium manus inhibuit, hîc certè ſeipſo melior, dignúſque, quem amare Erminoldus poſſet. Neque fas puto dubitare, ſiue viuentis precibus, ſiue mortui patrocinio datum, ut altero mox anno Henricus cum Pontifice in gratiam rediret. Id Wormatiæ Septembri menſe factum; tribus Cardinalibus Pontificis nomine conditiones pacis ferentibus; quarum ea princeps fuit, vt Epiſcoporum Abbatúmque creandorum iure abdicato, iis per ſuffragia libera mo-

AVCTORITAS INNOCENTIÆ.

MCXXII. *Vrſperg. Anſelm. Gembl. Trithem.*

ra more maiorum lectis Regalia per ſceptrum impertiret. Confectæ ſuper ea re tabulæ in patenti campo, ingenti omnium mortalium lætitiâ publicatæ; quibus ex BOIARIÆ proceribus Hartvvicus Ratiſbonenſis Antiſtes, Henricus Dux, Dieboldus Marchio Vohburgius, Otto Comes Palatinus, Marchio Iſtriæ, & Berengarius Sulzbacenſis ſubſcripſere. Diſſipatâ in hunc modum fœdiſſimâ tempeſtate, quam Henricianus turbo conflauerat, terra ſerenari viſa; deterſus templis ſacríſque ſqualor, & pietas cum Pontificibus ſuis exulans reſtituta. Salisburgi potiſſimùm, Conrado Antiſtite Leopoldi Styriæ Marchionis armata manu in ſuam ſedem reducto, omnia refloruere. Cùm enim intelligeret fundamenta pietatis BOICÆ eo in loco iacta; iura inde & viuendi normam peti, neq; poſſe è turbidis fontibus deriuari limpidam; ridiculas eſſe leges, quæ in eadem, qua ſanciuntur, curia violantur, & in ſuis veluti cunis moriuntur; efficiendum ſibi omni conatu cenſuit, vt quo in loco plurimum eſſet auctoritatis, plurimum etiam appareret virtutis, pon-

Mon. Admont. in Vita S. Gebhardi.

CANONICI SALISBVRG. REGVLAM S. AVGVSTINI PROFESSI.

bates ex illius ſchola prodierint: Virginum etiam Collegium, quod primus eo loco conſtruxit, illuſtria cælo lilia tranſmiſerit. eò per hæc tempora etiam Vdalricus laudatiſſimus Batauenſium Pontifex abiit: vigeſimum primum nonnulli, alij quartum morti illius adſcribunt. Triſtiorem eam iacturam ſucceſſoris Regimari diuerſum ingenium fecit, quod cùm paucis probaret, effectum eſt, vt nimis maturè Vdalricus deceſſiſſe crederetur, quamuis ſeculum integrum & quinque annos viuendo exegiſſet; quos ab obliuione literæ & Monaſterium Herzogburgenſe monimentum liberalitatis illius vindicabunt. Vdalrico Conradum iungo Henrici BOIARIÆ Ducis filium honore non virtute inferiorem. Adoleſcens olim Coloniam Agrippinam ad capeſſendum ingenij cultum profectus ea magnæ indolis ſpecimina edidit, vt nihil mediocre augurari de eo cuiquam in mentem veniret. Infulæ illi ſummique honores populari ſuffragatione deſtinabantur; quibus ut caput ſubduceret, clàm in Claram vallem D. Bernardi melle

MORS BEATA VDALRICI PASS. EP. *Chron. Reicherſperg. & Auſtriacum.*

CONRADI HENR. BOIAR. DVCIS F. EXIMIÆ VIRTVTES. *Chron. VVeingartt. Conr. Vrſperg. Vitus Arnbek.*

melle paſcendus profugit, feliciſſimo ſine dubio omine, ut cùm innumeri ſubinde è Gente noſtra ſacra ſigna, quæ Diuus ille orbi Chriſtiano nuper extulerat, ſecuturi eſſent, primus ſub eadem Princeps Iuuentutis BOICÆ concederet; & Sceptro pariter Pedóque, quorum alterum Natalibus illius, alterum Virtutibus debebatur, proiecto ad cilicium properaret. Porrò cùm ab ore Bernardi, quo nemo vnquam de Ieſu Cunis & Cruce ſuauiùs locutus eſt, diu pependiſſet, cupido animo inceſſit corâm eadem oculis vſurpandi, quæ Magiſtri eloquentia pectori impreſſerat. Voto ſuo potitus peragratáque latè Palæſtinâ, tactus amore ſolitudinis ab hominum conſortio diſceſſit, montium incola & vni tantùm mortalium notus, quo ſiue ſocio propoſiti ſiue duce eſt vſus. Spectatum ſatis in illa palæſtra cùm cælum vocaret, ægro iam corpore repetere patriam inſtitit, & nauigio Barium Apuliæ Vrbem Diui Nicolai exuuiis celebrem deuectus vitæ ibi viæque finem reperit. Henricus Pater BOIARIÆ Dux ſiue filij exemplo permotus,

D. BERNARDI INSTITVTVM AMPLECTITVR.

Chron. Vveingartt. Caſpar. Bruſchius in Monaſteriologia.

T ſiue

HENRICVS DVX BOIAR. MONACHVM INDVIT.

ſiue nobilius alterum orbi daturus ſub hæc tempora ipſe quoque Principatûs inſignia cucullo mutauit; cùmque Vinearum Monaſterium Maiorum ſuorum opus præclarè inſtauraſſet, eodem, abdicatis honoribus, immigrauit: quod factum quia mors breui ſubſecuta eſt, minus plauſibile in vulgus fuit. Paucos enim menſes, ſi tamen menſes, Monachum induto concedant neceſſe eſt, qui eum anno vigeſimo quinto ſepeliunt: cùm ex tabulis publicis conſtet, III. Kal. Aug. Ranshofij diuerſarum Decimas ex nemore * VVillehartenſi D. Pancratio vouiſſe, præſentibus Othone Palatino VVittelſpachio, Friderico Aduocato Ratiſbonenſi, Helperto Toparcha Gerenſi. Quantulumcunq; tamē illi ad vltimum vitæ actum ſuperfuit, grauem certè de felicitate mortalium cenſuram reliquit, cùm illi ſponte nuncium remiſit, & mortis imperium anteuertit, cuius manum nemo acerbiùs ſentit, quàm qui plurimum habet ſpoliorum; cùm neque nudis quidquam poſſit detrahere, neque vulnus altè deſcendat, quo occidit Mundo iam mortuos,

* non *VVillebart.*

Digitized by Google

tuos,& à ſe ipſis compoſitos. Poſſim ad hoc exemplum Illuſtrium familiarum ſobolem magno numero eadem tempeſtate clauſtris abditam oſtendere, nî faſtidij metus vetaret. Eberhardus nihilominus Hiltpoltſtainius & Biburgenſis Comes neceſſariò nominandus eſt, vt, quem Conrado Saliſburgenſi ſuo tempore ſuffecturi ſumus, patria totum agnoſcat. Biburgenſes Comites, vti ferè cætera nobilitas, ramus Abenſpergenſis ſtirpis ſunt. ex his Henricus ſterile coniugium ſortitus, voto Magnæ Matri nuncupato, decem filiorum & vnius filiæ pater effectus eſt. Medio ferè Biburgum inter & Abenſpergam itinere collis aſſurgit molli cliuo, cui templum Henricus impoſuit, tantâ Berthæ vxoris lubentiâ, vt ſaxa ſuis ipſa humeris nuda pedes conueheret, fœminarum pietatem æmulantium agmen ducens; vt, quemadmodum Romæ Fortunæ Muliebris templum prædicatur, ita hoc Pietatis Muliebris dici potuerit, niſi rectiùs titulum Virgo Deipara occupaſſet, quæ perpetuis in hunc vſque diem beneficiis locum illum commemorabilem

EBERHARDI BIBVRG. COM. VIRTVTES.

Allersdorff olim Adlungesdorff.

bilem in paucis reddidit. primum eorum fuit conceſſa Berthæ fœcunditas, & in reliquo filiorum grege Eberhardus. Eum pater aris deſtinatum Babenbergam, Germaniæ tum quidem Athenas, literarum cauſâ miſit; quibus cùm ingenium perpoliuiſſet, in D.Michaelis Cœnobium iam antea Canonicis ſummæ Ædis adlectus clàm ſeceſſit: inde tamen vi extractus curriculum ſtudiorum in Francia abſoluit. Ad parentes reuerſus augurium domeſticum imminentium ſibi honorum accepit; cùm gallina è chorte elapſa ouum geminum biduo continuo togæ ipſius impoſuit; quorum cùm poſterius magnitudine inſigne eſſet, neque factum temerè quiſquam credidit, & duplicem vtique ei dignitatem portendi; quarum altera priore auctior eum in rerum faſtigio eſſet collocatura. Et primæ quidem ſpes ſub hoc ſeſe tempus explicuere, quo Aribo & Conradus Eberhardi fratres cum Bertha ſorore de Biburgo arce ſua Gentilitia in Cœnobium permutanda conſilia iniere. Admiſſi ad conſortium pij operis tres alij ſanguine iis coniuncti

Vid. Gotfrid. Viterb. in Henrico Sancto.

EX DVPLICI OVO AVGVRIVM.

BIBVRGENSIS COENOBII ORIGO.

ĉti, Ludolphus Grieſpachius, Burcardus Pantzingenſis & Rahevvinus Weichſius, non opes modò ſuas, ſed ſemet inſuper Numini conſecrarunt. Verùm quòd maior ea res videretur, quàm quæ priuatis auſpiciis effici ex ſententia poſſet, Othonem Babenbergenſem Antiſtitem ob ſuperſtitionem apud Pomeranos debellatam cum triumpho in Germaniam reuerſum, eundémque Cœnobiorum iam plurium Patrem ſummæ rei volentem Jubentémque præficiunt; eóque architecto & auſpice plurium annorum opus liberaliter fortunis ſuis ſuſtentant. Coloniæ denique eò deductæ cùm moderator quæreretur, Eberhardus ex Prunnfenningenſi Cœnobio excitus non antè quàm Innocentij Pontificis, qui anno trigeſimo ad Imperium Eccleſiæ acceſſit, auctoritate percelleretur, Abbatem ſalutari ſe paſſus eſt. Nunc à priuata ad Rem publicam reuertamur. Henricus Imperator celebratis anno XXIV. Babenbergæ Comitiis, Boios, Alemannos, Lotharingos & Saxones armauerat, verbo quidem in Lotharium Saxonem hoſti-

EBERHARDVS ABBAS LOCO PRÆFICITVR.

A. MCXXIV. *Viſperg. Sugerius Abbas in V. Lud. Groſſi.*

BELLVM FRANCICVM HENR. CÆS.

lia meditantem; re autem aduerſus Ludouicum Franciæ Regem; ſiue quòd Henrico Anglo ſocero ſuo Nortmanniam repetenti ſtuderet; ſiue Rhemis (quod Galli ſcriptores prodidere) imminens cupidúſque exſcindendæ vrbis, in qua eum Pontifex fuerat execratus. certè cauſa qualiſcunque ea & vtracunque fuit, Germaniæ Proceribus probata non eſt. Voluntarij eum pauci ſecuti ſunt, iidémque mox animos ſubmiſſuri. ſimul enim de Gallorum alacritate & paratis etiam ad laceſſendum viribus cognitum eſt, ſigna verſa & arma fine ratione ſumpta cum probro poſita ſunt. neque deinde vllum eius factum extat memorabile. Aſperrima hyeme, tempeſtuoſo vere, peſte faméque laboratum eſt. Vtriuſque mali vehementia tertia mortalium pars periit; quibus etiam Imperatoris funus permixtum decimo Kal. Iun. anno vigeſimo quinto. Eo abſque hærede defuncto, Lotharius Saxo, Fridericus Sueuus Henrici Cæſaris ſorore Agnete natus, Leopoldus Auſtrius eiuſdem Agnetis ſecundùm nuptæ maritus & Carolus Flander regnum

HENR. CÆS. MORS. MCXXV.

gnum

regnum ambierunt. Lotharius Alberto Moguntino potiſſimùm annitente reliquis prælatus eſt. Primum eius annum Bettbrunnenſe in Transdanubiana BOICA prodigium memorabilem fecit. Bubulcus Epuli Euchariſtici conuiua factus illud receptum ab ore pedo inſeruit, circumtulítq; in ſolatium ſolitudinis ſuæ, adorare in eo humi depacto præſens Numen ſolitus, & Templorum vicem hanc veluti portatilem aram habere. Fortè contigit vt ſegetes defenſurus ſacroſanctum illud Pedum temerario iactu in boues palantes mitteret, incredibili erroris ſerò animaduerſi pœnitentiâ, tum maximè, cùm excuſſa è loculo diuina hoſtia profani prenſatoris manum refugeret, manifeſto offenſæ argumento. Nihilo plus loci Curio ſimili conatu profecit, quoad Hartvvicus Ratiſbonenſis Epiſcopus portento coram inſpecto & inædificandæ Ædis voto nuncupato iam ſponte ſequentem ſuſtulit. Locum contactu Numinis religioſum pia poſteritas hodieque veneratur, mirámque beatæ glebæ efficientiam, maximo ſuo pecoríſq; commodo,

LOTHARIVS AD IMPERIVM EVECTVS. ORIGO TEMPLI S. SALVATORIS BETTBRVNNENSIS.

Valent. Leuchtius in Virid. Regio ex Ioan. Engerdo.

modo, quotidianis teſtatam experimẽtis deprædicat. Hartvvicus proximo anno naturæ conceſſit. Cuno è Sigebergenſi Abbate Epiſcopus factus eſt; quo tempore etiam Henricum ex BOIARIA Principe Monachum fato oppetiiſſe verius eſt. Wulphildis vxor ſedecim non amplius dies marito ſupereſſe ſuſtinuit.

MCXXVI. *Vrſperg. Alb. Stad. Trithem. Chron. VVeingart.*

HENRICVS X. HENRICI IX. F. DVX BOIARIÆ.

IV. Henricus filius initia Principatus facto ad memoriam inſigni nobilitaturus, pacis publicæ ſanciendæ causâ, Conuentum Prouincialem Ratiſbonam indixit, & ne ius dicturo factioſi nonnulli & lites ſuas ferro decidere ſoliti obſtreperent, armatum circa ſe militem in comitio habuit. eo metu legibus via aperta, & vis vim retudit: abolitæ inimicitiæ, & inductâ præteritorum obliuione humanior vſus reuocatus. Exercitum deinde per Prouinciam circumagens latibula prædonum, quos vel mala mens vel proſcriptio publico exegerat, deiecit & ab inteſtino hoſte patriam purgauit. Tum denique pulcherrimo

PAX PVBLICA.

rimo

Digitized by Google

rimo & vnico Principis officio perfunctus dignúſque qui Patris Patriæ titulum primo poteſtatis anno ferret, animum ad coniugium adiecit. Lotharius Rex Gertrudem illi filiam Merſeburgi deſponderat; ad eam adducendam honeſtiſſima Legatio adornata. Nuptiæ vt quàm ſplendidiſſimo apparatu fierent, ex omni BOIARIA Sueuiáque nobilitas excita frequens adfuit. Vrbium anguſtiæ hoſpites non cepere; eáque propter in Lycatium campos, quibus ab Exercituum luſtratione in ea planitie fieri ſolita *Concio Legionum* nomen fuit, haud procul Auguſta Vindelica emigratum. illic Geniales Epulæ feſtíque Ludi effuſiſſima hilaritate celebrati. Sponſa Rauenſpurgum deducta; ipſe ad ſocerum Lotharium militatum abijt. Lothario poſt ſuſcepta regni inſignia prima negotium Bohemia faceſſiuit. Cùm Othoni Morauo contra Sobeſlaum (quem Vdalricum Otho noſter vocat) faueret, eúmque in poſſeſſionem eius Principatus introducere vellet, non modò cogitata non perfecit, ſed cum inſigni clade in Germaniam reiectus

NVPTIÆ HENRICI.

LOTHARIVS IN BOHEM. MALE PVGNAT.

A. MC XXVII. eſt. Sequenti anno, qui vigeſimus ſeptimus fuit, Pentecoſten Babenbergæ celebranti Sobeslaus egregio Equitum comitatu ſtipatus præſto fuit & cum eo in gratiam rediјt, iis etiam conciliatis, quorum neceſſarios prioris belli iniuria abſtulerat. Operam inſuper Lothario Norimbergam obſeſſuro addixit. Eam vrbem cùm Fridericus & Conradus Fratres, Henrici Quinti ex ſorore nepotes, Lotharij antea competitores nunc æmuli, vt partem hæreditatis ſuæ impoſito præſidio tuerentur, Lotharius contrà aſſertam Imperio vellet, obſidium eidem admouit, Bohemo, quemadmodum dictum eſt, & Henrico Boio auxiliantibus. Sed Bohemus, quòd eius miles inſolentiùs ageret, nullóque inter ſacra & profana diſcrimine amicis quàm hoſtibus infeſtior eſſet, domum remiſſus. Soceri generíque conatum Fratrum Friderici & Conradi induſtria, adductis in tempore auxiliis, eluſit. obſeſſi ea conſpicati, lætitiam non tenuerunt: plaudentium voces in caſtra perlatæ; iactata etiam de mœnibus ferocia dicta indicium propinquæ ſpei fecere.

NORIMBERGA OBSESSA.

Lotha-

Digitized by Google

Lotharius ne à tergo circumuallaretur, diſceſſionem maturauit; & Babenbergam primùm, deinde Würceburgum ſe contulit. Oppidani vacuis potiti caſtris impedimentíſque, quæ per tumultum relicta fuerant, direptis, fratres Duces cum triumpho in vrbem deduxerunt: quam cùm commeatu & machinis aduerſus ſimilem vim egregiè muniuiſſent, incredibili fiduciâ Lothariíque contemptu Würceburgum vſque progredi ad ludicra exercitum eius certamina prouocârunt; concurſúmque eſt velut in amica palæſtra ſine iris, ad hilaritatem ſpectantium. Atque hæc prima eſt apud Othonem noſtrum ludorum Heroicorum, quos barbari Turniamenta vocant, memoria; quos enim Rixnerus aliíque collegere, veterum adſtipulatione deſtituuntur. Rheno deinde tranſito Spiram amicam vrbem & vltro fidem ſuam amplexam occupant, ſtomachante Lothario, mortuorum Cæſarum vmbras ſe viuo gratiores in vulgus eſſe: nam quòd Henricorum in ea vrbe tumuli viſerentur, quos Fridericus & Conradus ſanguine contingebant,

FRID. ET CONRADI CÆS. ÆMVLORVM AVDACIA.

Otho Friſ. l. 1. de Geſt. Frid. l. c. 17.

SPIRÆ TRIENNALIS OBSIDIO.

bant, arbitrati Ciues ſunt, ſine impietatis aut inhumanitatis certè notâ eos deſeri non poſſe; in eáque ſententia penè vſque ad perniciem obduruere, triennij obſidione inſigni pertinaciâ toleratâ.

MCXXVIII. Et octauo quidem ſupra vigeſimum anno ab Idib. Aug. vſque ad Kal. Nouemb. primis Lotharij aggreſſionibus nihil actum ex Anſelmo & Othone liquet; quanquam ad obſides tradendos adactam vrbem recentiores ſcripſere. Aliquáne Henrici Boii in prima obſidione fuerint partes, non conſtat. redintegratam eius ſtudio Regem inter & Dietpoldum Marchionem gratiam amicitiámque Dodechinus ſcripſit. Eum ego Diepoldum ſeu Theobaldum Vohburgenſem & Chambenſem, qui nomen hoc ſecundus tulit, interpretor. Offenſam quibus cauſis incurrerit, non proditur; neque intereſt. Nos potiùs, quando in eius viri mentionem incidimus, inſignia eius ad memoriam facta & ad hoc ipſum tempus pertinentia commemorabimus. Theobaldus inter decoras Iuuentuti artes eductus non ſe luxui aut inertiæ corrumpendum dedit, ſed ardore glo-

Anſel. Gemb. Dodechin. Othol. 1. de Frid. c. 17. Trithem. Sigon.

THEOBALDI VOHBURGII MIRI CASVS.

Digitized by Google

re gloriæ incenſus militiam ſeriam ludicrámque, quæ ad famam proxima tum certiſſimáq; via fuit, ſtudioſè eſt ſectatus. Circenſia ſpectacula ad acuendam Equeſtris ordinis virtutem publicè edi ſolita haud alius cupidiùs frequentabat; vtique poſtquam Gervvicum Wolmutſtainium Weſtphalum domo palæſtricarum artium æquè amantem nactus, eidémque ſimilitudine ingenij conciliatus id vnum egit, vt ex omnibus Germaniæ Olympiis palmam ſibi coronámque peteret. Iam iis ſtudiis mutuóque amore vtriuſque nomen inclaruerat; neque aliter quàm veterum Theſeus & Pirithous celebrabâtur; cùm fortè contigit, vt in Cataphractorum commiſſione, qua Andabatarum more cæcóque impetu ſinguli in obuios feruntur, Gervvicus imprudens in Theobaldum inuectus oculum eidem velitari haſta excuteret. Eum errorem non modo mœror ingens, ſed deteſtatio Circenſium in perpetuum ſecuta eſt. & Gervvicus quidem Sigebergæ Monachum induit; Theobaldus ad curam rei familiaris vxorémque Adelhaidem rediit,

GERVVICVS VVOLMVTSTEINIVS LVDIS EQVESTRIBVS NOBILITATVS.

THEOBALDVS FIT LVSCVS.

diit, Luitgarda matre Berengarij Sulzbacenſis ſorore etiamnum ſuperſtite, quæ filio trium Monaſteriorum condendorum auctor fuit; quorum primum Reichenbacenſe ad Regenum amnem loco tam opportuno eſt ſitum, vt de eo occupando Diuos cum hominibus certamen ſuſcepiſſe antiquitas crediderit. Luitgarda certè Vrbis ibidem condendæ conſilia ea potiſſimùm ratione diſcuſſit, quòd Deiparæ montem illum cordi eſſe, edoctam ſe diuinitus, obligatámque recuperatæ valetudinis pignore profiteretur, ne profanis domiciliis, deſtinatam religioni & ſanctioribus colonis inquinari arcam pateretur. quod eius teſtimonium cùm Theobaldus filius propoſiti tenax vtriſque moliendæ certus eleuaret, litem cordata mulier ad Cæſaris tribunal adduxit, obtinuítque ne humana cupiditas cæleſtibus auſpiciis obſtreperet. Alterum eſt Waldſaſſenſe; cuius erigẽdi ea occaſio fuit. Idem ille Gervvicus, quem modò commemoraui, Cunonem Sigebergenſem Abbatem ad Ratiſbonenſem Infulam properantem ſecutus ab eóque

REICHENBACHENSE ET VVALDSASSENSE MONAST. CONDIT. *Ex literis Fundat.*

eóque in loca ſola & vaſtum Tranſdanubianæ Prouinciæ nemus digreſſus ſibi ſociiſque mapalia ſtatuit; in quæ cùm Theobaldus eodem ſaltu venatus incidiſſet, grauiter excanduit ſcilicet, inconſulto ſe peregrinos homines tecta illic moliri auſos. Verùm vbi Gervvicum agnouit, amplexus longè omnium mortalium amiciſſimum & largè omnia pollicitus, nemoris quantum vno die obiri poſſet, ei conceſſit. tranſlata ad Wundrebum amnem piſculentum domicilia à tenuibus initiis in eam cum tempore amplitudinem prouecta ſunt, quæ VValdſaſſenſe Cœnobium nobiliſſimo cuique facilè exæquarunt. Centeſimum id fuiſſe ferunt, quod in D. Bernardi nomen iuráque conceſſit. Tertium Theobaldi opus non procul Vohburgo gentilitia arce Monaſterij nomen ſeruauit, vetus Thaſſilonis monumentum, ſed temporum vitio ad vaſtitatem redactum. Id Theobaldus repurgauit, Othone Babenbergenſi in partem adſcito; cui pro meritorum in eum locum magnitudine Fundatoris titulus conceſſus; quem etiam in Hailsbrun-

COENOB. MONASTERIENSE INSTAVRAT.

S OTHONIS BAMBERG. ERGA LOCA SACRA STVDIVM.

HAILSBRVNNENSE ET ASPACHENSE COENOB.

brunnenſi & Aſpacenſi aliiſque pluribus, quæ in loco nominaturi ſumus, occupauit: cùm illud quidem Rapotto & Conradus Abinbergenſes Comites eiuſdem cum Abenſpergenſib. noſtris ſanguinis; hoc verò Chriſtina nobilis fœmina Geroldi vxor, caſtro ſuo in Ædem conuerſo, ſtruxerint. Sed ea de viri ſanctitate opinio fuit, vt quæ grata Numini æternáque mortales vellent, illius potiùs quàm ſuis moliri manibus & veluti genio imbuere optarent; quanquam neque fortunis Otho parceret, ſuſtineretque nomen ſuum famámque ſine ſymbola alienis admiſceri operibus; ſed cùm diuitias neque quæreret neque admitteret quidem, niſi quas ad Deum remitteret in ſola pietatis ſtudia prodigus, certantibus cum eius liberalitate Superis ſemper habuit, quod Cælo non adnumeraret, ſed admetiretur, priuatim ſibíque pauper, bono publico opulentus. Porrò Abinbergenſium Comitum, quos paulo antè nominaui, ſororem fuiſſe B. Stilla fertur; cuius raras virtutes ſedulò per omnem vitam abſconditas mors prodigiis publicauit.

B. STILLA INCLARESCIT.

Iam

Iam olim manicâ ex paterna arce deiectâ notare ſe locum tumuli ſui dixit. Id velut temerè ei excidiſſet, neglectum, & cadauer mortuæ Hailſbrunnam, vt fratribus contumularetur, deſtinatum eſt. veſpillones ſubituri oneri mouere id loco non potuere. Equi deinde ſine rectore Sandapilæ iuncti templo intulerunt, quod viuens ſtruxerat: vbi & chirothecam comparuiſſe fama eſt indicem ſupremæ voluntatis. Secuta documenta maiora ſunt, quæ familiarem ægris tumulum fecerunt & Diuæ communis ſoſpitatricis nomen conciliarũt. Wilhelmus demum Aichſtetenſis Epiſcopus, vt religioſiùs coleretur, Virginum cœtum Virginis obſequio Anno MCCCLXXII. mancipauit. Nunc in ſemitam regredimur.

Iac. Gretſerus in SS. Aichſtetenſib.

Anno vigeſimo nono Spiræ repetita obſidio eſt, tanto maioribus viribus, quantò apertior fratrum Friderici & Conradi ambitio fuit; quorum hic nulla mediocri gloria contentus regno palàm imminebat; vtque Lothario dubium id redderet, tranſgreſſus in Italiam, conciliatíſque Mediolanenſibus,

A. MCXXIX.

CONRADVS REGNVM AMBIT.

ab Anſelmo vrbis Antiſtite coronatus eſt, hoſtis propterea Reipub. iudicatus & tribu Piorum motus. Fridericus frater Iuditham coniugem Spiræ collocauerat; quòd ad continendos in officio ciuium animos tantundem in eius prudentia ſpei, quantum ad fruſtrandos hoſtium conatus in ſuis vir armis haberet. Conſultò ipſe caſtra extra vrbem locauit, ne prægrauante multitudine annonam incenderet, ſimúlque pluribus in locis, prout res tempúſque poſtularent, ferre opem poſſet. Obſidio Idib. Iulij cœpta ad Cal. vſque Ianuar. continuata eſt. Henricus hoſte domeſtico occupatus ab initio ſocero nō adfuit. Fridericus Ratiſbonenſis Eccleſiæ Aduocatus rebus eius ſecundis æger, & quicquid illi accederet ſibi decedere perſuaſus ira odióque præceps virum fortem ex Eccleſiæ Clientibus, ſed Henrico obnoxium fidúmque imprimis, per amicitiæ ſpeciem ad ſe inuitatum nefariè obtruncauerat. ea in cæde cùm ſuam iniuriam Henricus agnoſceret, Friderici arcem Falkenſteiniam vltra Danubium ſitam obſidione cinxit.

IVDITHÆ BOIÆ PRVDENTIA ET MAGNANIMITAS.

HENR. BOIVS CVM FRID. ADVOC. RATISB. COLLIDITVR.

Mox

Digitized by Google

Mox tamen cùm eius operam Lotharius expoſceret, ſummâ rerum Sophiæ Sorori Ludolphi Styrij viduæ, quæ cum octingentis cataphractis eodem tempore ad fratrem acceſſerat, permiſſâ, cum validis auxiliis ſocero ſuppetias iuit. Sed quòd ſeparatis ab eo caſtris tenderet, Friderico ſpem fecerat, diſtractos inter ſe iniuriæ fore opportuniores. De die tamen nihil auſus ſopitum inuadere ſtatuit, tenebris magis quàm ſua virtute tectus. id quoque conſilium Henrici vigilantia eluſit, militémque paratum in armis multóque antè iuſſum curare corpora, irrumpenti obiecit; vt Friderico noctis beneficio niſi ad cælandum fugæ dedecus vti non licuerit; hominum enim iumentorúmque iacturam ſequens dies detexit. Fugam obſeſſorum conſternatio ſecuta eſt; iactatæ paſſim per vrbem querulæ voces; cui bono ferant arma, fame ſimul vigiliiſque enecandi? tantíne eſſe Ducum fugitiuorum gratiam, vt pro ijs viles animæ objiciendæ videantur iræ victoris? an vt contractam temerè cum Pacis publicæ turbatoribus amicitiam colant,

SPIRAM OBSIDET.

FRIDERICVM CÆDIT.

IVDITHA SEDITIONEM VRBANAM DISIICIT.

lant, violare fas ſit datam Regi fidem? Altero iam anno obſideri vnam vrbem Imperij viribus, & laudem captare conſtantiæ in peſſima cauſa; vt olim Spira aſylum rebellium audiat & patrona fugitiuorum. Talia cùm non vulgus tantùm ſed militares etiam viri in concilio dicerent, iámque omnia ad deditionem ſpectarent, Iuditha Henrici BOIARIÆ Principis ſoror, quàm à Friderico marito in vrbe relictam diximus, ab imbelli ſententia huiuſmodi eos oratione deduxit. Iniquitate temporum & mea priuatim infelicitate eò ventum video, vt animos mutuari viris à fœmina neceſſe ſit; quod vtcunque vel nunc cadet, vel poſteritas olim acceptura eſt, proteſtor de veſtra magis fama quàm de mea ſalute ſolicitam cogi me loqui maſculè. A quibus enim obſidemur? Fratrem meum adequitantem mœnibus, volitantem per caſtra conſpicor; ille ipſe cuius auſpiciis nobiſcum bellum geritur, Fratris ſocer eſt. Inter tam propinquas neceſſitudines quid metuere me etiam victam deditámque neceſſe ſit, non intelligo. vobis metuo, milites, qui-

quibus tot enſes imminent. me ſanguis, me ſexus & hæc ipſa fortuna miſeratione quàm odio faciunt digniorem: & fortaſſe quòd vltima nondum paſſi eſtis, & trahitur verius bellum quàm geritur, imbellià mea non veſtra animoſitate factum eſt. verecundia triumphum ex fœmina petendi obſidentes in languorem dedit. erubuerunt in talem Ducem ſerias iras ſumere & furere viriliter. Hinc vobis quoque nihil ita extimeſcendum fuit, quàm ne ſexus mei affectibus ſuccumberem, & prior vos lacrymis, quæ ſola ferè arma habemus, exarmarem; ne tela ſuſpenderem in fratrem vibrata; ne parci iuberem ciuibus meis, dubitarémque vtros mallem vinci; aut denique muliebri metu magna ſpirantes animos imbuerem; quando verè olim dictum eſt, timidam eſſe Leonum, Ceruâ Imperante, militiam; cúmque Dux pede quàm manu promptior eſt, totas legiones fugaces fieri. Nunc contrà omnia euenere; &, ſi audire poteſtis, quæ facere cogitaréque nullus pudor eſt, neque pro ſexu animos geritis; útque oſtendatis de viris vos deſpe-

 raſſe,

raſſe, ſuſtinetis à fœmina conſtantiâ vinci, profectò indigni quibus viri imperent. Nocturni vnius prælij infelicitate, quæ maritum meum perculit, animi vobis adempti ſunt; quaſi intra, non extra muros pugnatum eſſet; quos quidem ſtare adhuc, vobis quàm hoſtibus moleſtius exiſtimo; quòd per illorum ruinas quàm patentes portas euaſuris honeſtior fuga futura eſſet. At enim fames vrbe nos pellit. Non ſum tam inhumana, Milites, vt ad omnium calamitatum patiétiam occalleſcere fortes viros velim, aut ferro inuictos iugulare inedia. Ignoſco vobis, ſi fractis corporibus etiam animi conciderunt. ſed neſcio quomodo ferè queruli ſunt, qui timent, & omnia malunt quàm formidinem confiteri. Cùm grauis eſſe militia incipit, omnes eſuriunt. quibus fides cordi eſt, in multa ſe ſciunt incommoda auctoratos; inter hoſtes ſuos etiam famem numerant, & tam incœnatas noctes quàm inſomnes agendas ſibi meminerunt. Illi magis ridiculi, qui Religionem ignauiæ obtendunt, & bellum hoc vt impium deteſtantur. nimis ſerò

ad innocentiam reuerſi, ſi biennio obſeſſi nunc demum de cauſa diſputant, in quam ſacramentum dixerunt: nunc arma ſe ferre contra patriam, nullis auſpiciis, irato Numine bellare quiritantur, quod verè denique metuere eſt, Ne cælum ruat. Quid enim vobis ita repentè Lotharij nomen ſanctum facit? an quod debitum Friderico meo regnum rapuit, illiúſque viribus eundem cum fratre oppreſſum iuit, ob nullam aliam noxam, quàm quòd ſperare coronam & petere auſus eſt? ex eo tempore quid præter exilia & bella commemorare habeo? Confugimus deniq; ad monumenta Cæſarum, qui apud vos ſiti ſunt & quorum ille ſanguis eſt. vos veſtrum Ducem, vel ſi nimis ſuperbum nomen hoc exiſtimatis, Clientem agnouiſtis, méq;, vt aliæ cauſæ deeſſent, iure aſyli tutati eſtis. fauit Deus Pietati veſtræ. alterum iam annum hæret circa mœnia Lotharius multo minore ſpe obtinendæ vrbis, quàm vos eius tuendæ ſitis. Illa demum dies eius animos eriget, quâ veſtri ceciderint. Nihil in cauſa noſtra mutatum eſt, niſi quòd ve-

, ſtro auxilio tantò digniores ſumus,
, quantò indigentiores; quóque pertina-
, ciora Lotharij ad delendos Regum ve-
, ſtrorum nepotes odia ſunt, tanto con-
, ſtantiorem veſtram erga eos fidem eſſe
, æquum eſt. huius ego vobis quàm forti-
, tudinis militaris exempla edere clario-
, ra poſſum; ea mihi potiorem fratre feli-
, ci infelicis mariti amorem facit; & quia
, vel hunc deſerere, vel alterum impu-
, gnare neceſſe eſt, patior me belli, quod
, contra meum ſanguinem geritur, Du-
, cem dici. malo veſtro beneficio ſeruari,
, quàm illius; quia ſeruari ſola nolo.
, Dummodo fides ſalua ſit, periclitari de
, ſalute fœmina poſſum: incertam ſalu-
, tem certâ perfidiâ paciſci an velitis, Vi-
, ri conſiderate. Magnum ea oratio pon-
dus ad reprimenda deditionis conſilia
habuit: ſed vbi neque ſumma hyeme ar-
ceri à muris Lotharium poſſe animad-
uerſum eſt, ne ſpem omnem gratiæ per-
A. MCXXX. tinacia auerteret, ſequentis anni initio,
Legati de pace ad Regem ierunt; qui, ſi-
ue clementiæ famam captaret, ſiue Iu-
dithæ virtutem ſuſpiceret, ciuibus co-
miter ignouit; Iuditham inſuper am-
pliſſi-

Digitized by Google

pliſſimis muneribus proſecutus ad maritum remiſit; ipſe III. Non. Ianuar. vrbem eſt ingreſſus. Henricus BOIVS victorem excercitum ad arcem Falkenſtainiam reduxit, eáque per vim potitus præſidium loco impoſuit. Eam iacturam Fridericus mutuis cladibus ſolari inſtitit, Altorffium, Rauenſpurgum, Memmingam auitas Welfonum ſedes flamma ferróque populatus. Viciſſim Henricus ſequenti anno exercitum in eius fines induxit, & vltra Stauffam progreſſus nullo iniuriæ genere abſtinuit. Vlmam intactam reliquit ægrè etiamnum à vaſtitate, quam eò inuexerat, reſpirantem. Fuit tamen cùm haud procul periculo Henricus abfuit. Wernicio amni caſtris locatis aſſidentem improuiſus hoſtilium copiarum aduentus adeò perculit, non modò vt congredi detrectârit, ſed ſumma trepidatione profecto pons ad transportandas copias non ſuffecerit. timidiſſimus quisque, vadum negante flumine eo ipſo tempore ex imbribus intumeſcente, tranſnatauit. Sed fœdior eſt altera perfidiæ nota, quam Henrico Otho Friſingenſis in-

Anſelm.

HENR. BOII BELLA.

Chron. VVeingartt.

A. MCXXXI.

Otho Friſing. l. 1. de rebus geſt. Frid. c. 18. & 19.

HENRICI PERICVLVM.

PERFIDVM HENRICI BOII FACTVM.

urit, ponenda nihilominus in luce publica, etſi parum commendabili colore. Iam Friderici forunas inſigniter attriuerat, cùm ſimulatâ iniuriarum pœnitentiâ eum ad Lotharij amicitiam inuitauit, operam ſuam pollicitus, ſi ſe interprete & conciliatore vti vellet. Neque abhorrebat à mollibus conſiliis Fridericus obſaturatus iam ærumnis ſuis & Germaniæ conſenſu ab intempeſtiua ambitione depulſus. Die ergo locóque conſtitutis in Zvvifaltenſi Cœnobio congrediuntur; Sueuus penè incomitatus; noſter ſtipatorum agmine ſuperbus; nihildum ſuſpectante Friderico, rarioribus adhuc malæ fidei exemplis, neque inquinato Germanico candore. Tanto ergo opportunior inſidiis, quanto ſecurior fuit. Serâ demum nocte armatorum tumultu cubili ſuo aſſultantium excitatus, quantillum ab vltimo exitio abeſſet, agnouit. In ſumma humanæ opis deſperatione præſens ſibi animus preces Superis, qui præbere manum circumuallato ſoli poterant, admouet; cùm ecce inobſeruatum ſibi oſtiolum, velut in hunc rerum articulum

PRECVM VIS.

Digitized by Google

lum diuinitus apertum notat, vſúſque beneficio Numinis rectà ad templum defertur. progreſſus inde per adyta in ſummam turrim euadit, noctémque illam velut inter ſacrum & ſaxum medius hæret. Henriciani emiſſam è manibus prædam ſtrenuè per omnes Cœnobij angulos veſtigant, Monachorum tuguria excutiunt, turbant ſacra clamoribus, vt nihilo lætior, quàm captarum eſſe vrbium ſolet, Monaſterij inter vagantes gladios facies fuerit. Friderici familiares per tumultum elapſi vltimæ perfidiæ exemplum vulgant, & viciniam ſiue prohibendo ſiue vindicando ſceleri armant. Neque fefellere omnia ſpei metúſque ſui argumenta è ſumma ſpecula colligentem Fridericum diuerſi hoſtium amicorúmque conatus; cùm illi iam ignem tectis minarētur, hi manipulatim toto paſſim agro confluerent: quorum numero cùm orta iam luce confidere & componere vires viribus inciperet, ſuâ ſe voce prodidit & Henricum ad colloquium exciuit. Vbi in conſpectu fuit, Viuo, inquit, affinis, & ſicas tuas, etſi id factum nolles, ſcuto Dei

Fridericvs Henrici perfidiam caſtigat.

, Dei tectus euitaui. Ad hæc fœdera vo-
, cabar, quæ vt ſanctiſſimo loco, inter
, aras, ferires, ego victima tibi placui. ſic
, Principes iuuat in cognato ſanguine lu-
, dere, & bellis non ex voto cadentibus,
, ad latrocinia diuertimus. Inermem, ſo-
, pitum, hoſpitem, tuam dextram, tuam
, fidem amplexum præmiatoribus obij-
, cis. ſic me Lothario concilias; quem
, quia ſcis cum viuo in gratiam non redi-
, turum, voluiſti mortuo ignoſcere. Ma-
, cte hac virtute tua eſto; &, ſi lubet, tro-
, phæum ex Friderico ſtatuito. prouidiſti
, æternitati nominis tui; & ne fama tua
, vnquam poſſit obtenebreſcere, vel nox
, iſta effecerit: quam quia vltimam mihi
, voluiſti, caue ſodes, ne te dies iſte oppri-
, mat. id ego ex ſpecula te moneo, quam
, ſalutis meæ, ſed & tuæ cauſâ occupaui.
, vtcunque de me merito denuncio, Niſi
, fugeris, periſti: etiam qui me mortuum
, putant, pro me pugnaturi ſunt: tu vide,
, an ſimiles ſperare latebras poſſis, & ea-
, démne latrociniis parata effugia ſint,
, quæ innocentiæ: vtcunque res ceciderit,
, rit, memento & vitam & mortem te
mihi debere. Henricus magis ſceleris
ſui

ſui pudore quàm vicinitate periculi externatus properè è loco diſceſſit dignus qui iam non Superbus tantùm ſed perfidus etiam & crudelis diceretur: quanquam ne tum quidem defuerunt facundi aſſentatores, qui facto illius ignominiam detraherent; dolo an virtute in hoſtem Reipublicæ graſſaretur, nihil interfuiſſe affirmantes; neque vllum noctis illius peccatum fuiſſe, niſi quòd fortuna conſilium euerterit, ignari iuxta improbíque, qui bellorum artificia furtáque ad fœdera transferunt, & nullo ſagi togæque diſcrimine caſtra foráque fraudibus miſcent peſſimi Principum magiſtri; quales ne Chuno quidem Ratisbonenſis Epiſcopus effugere potuit, qui circa hæc tempora in extrema vitæ meta conſtitutus cùm ab iiſdem de longi in alterum orbem itineris apparatu admoneretur, edito gemitu, ſerò ſapitis, inquit, amici, qui nunc demum profutura loquimini, & Æternitatis curam in vltimum momentum compingitis, parum conſentaneè priſtinis moribus; ſoliti olim quæ ſuauia in præſentia eſſent, prima habere, neque vnquam conſulere

CVNONIS EPIS. RATISB. SVB MORTEM AD AMICOS VERBA.

Dodechinus anno MCXXXII.

Catalog. Epiſc. Ratisb. Anno XXX. defunctum memorat.

nebant, prodiderant Othonianis. vnus proinde inſequentium deſtinatione, voto, curſúque petebatur, & otioſam ſecurámque ſociis fugam reddiderat, quòd pretium operæ in illa ſola præda poneretur. Id animaduerſum comitum fidiſſimo ſolers eidem conſilium ſuggeſſit, quod non niſi in maximum animum cadere potuit & eximiæ virtutis capacem. Equo ſponte delapſus raptim Principem in illum transfert, perſonam eius cum ſagulo induit, diuerſámque affectans viam fugam Domini ſaluti attemperauit, non ſuæ; ſimul illum in tuto ſenſit, perfunctus officio pietatis vltro deuotum caput hoſtium furori obiecit, concidendúmq; vulneribus præbuit animam etiam impēſurus, ſi exigeretur. Princeps vtili ſibi fallacia ſeruatus Februario Menſe copias in Ottonis agrum inducit, Homeraſium caſtrum intra alpes ſitum vi expugnat inflammátque; Wolfratshuſio Cineralium, quæ imminebant, religione contactus abſtinuit. Fratre deinde Welfone in ſocietatem militiæ adſcito, Ratiſbonam regreditur, deductóque ex arce Donaſtauffen-

Fort. Ombraſi *prope Oenipontem inſigni iam tum fama.*

ſtauffenſi præſidio, flammâ in locum graſſatur. Welfo, cuius memoriam prodidi, Vtham Godefridi Kalbenſis filiam domum duxerat cum ingenti dote, ſed longa bella pariturâ. Albertus enim Godefridi patruelis, qui eius bonis ſpe inhiauerat, ea velut per vim erepta ſibi armis vindicabat. Kalbiana primùm arce potitus paulo pòſt ad Sindelfingam Welfonis copias concidit, vicóque incenſo, præda gloriáque onuſtus Wirtenbergam rediit. Ibi cùm à Welfone è veſtigio obſideretur, iámque catapultis muri quaterentur, Friderici & Conradi fratrum, qui cum Welfonum nomine inimicitias gerebant, auxilia magnis promiſſis comparat; quæ Welfo, expugnata interim incenſáque arce, fruſtratus eſt. Eadem tempeſtate Conradus Zäringius Vthæ auunculus Stubenburgum, quod itidem Welfoni parebat, obſidere aggreſſus, Lotharij viribus, quas Welfoni auxilio adduxerat, inde eſt reiectus. Welfo viciſſim caſtrum Levvenſtainium vulgo inexpugnabile creditum ingenio magis quàm manu vſus in poteſtatem adduxit & concremauit.

WELFONIS HENR. FR. OB DOTEM BELLA.

Auent. Schenburgum non improbabiliter nominat.

X Kal-

, ſtro auxilio tantò digniores ſumus ,
, quantò indigentiores; quóque pertina-
, ciora Lotharij ad delendos Regum ve-
, ſtrorum nepotes odia ſunt, tanto con-
, ſtantiorem veſtram erga eos fidem eſſe
, æquum eſt. huius ego vobis quàm forti-
, tudinis militaris exempla edere clario-
, ra poſſum ; ea mihi potiorem fratre feli-
, ci infelicis mariti amorem facit ; & quia
, vel hunc deſerere, vel alterum impu-
, gnare neceſſe eſt, patior me belli, quod
, contra meum ſanguinem geritur , Du-
, cem dici. malo veſtro beneficio ſeruari,
, quàm illius; quia ſeruari ſola nolo.
, Dummodo fides ſalua ſit, periclitari de
, ſalute fœmina poſſum : incertam ſalu-
, tem certâ perfidiâ paciſci an velitis, Viri conſiderate. Magnum ea oratio pondus ad reprimenda deditionis conſilia habuit: ſed vbi neque ſumma hyeme arceri à muris Lotharium poſſe animaduerſum eſt, ne ſpem omnem gratiæ pertinacia auerteret, ſequentis anni initio, Legati de pace ad Regem ierunt; qui, ſiue clementiæ famam captaret , ſiue Iudithæ virtutem ſuſpiceret , ciuibus comiter ignouit ; Iuditham inſuper am-

A. MCXXX.

pliſſi-

pliſſimis muneribus proſecutus ad maritum remiſit; ipſe III. Non. Ianuar. vrbem eſt ingreſſus. Henricus BOIVS victorem exercitum ad arcem Falkenſtainiam reduxit, eáque per vim potitus præſidium loco impoſuit. Eam iacturam Fridericus mutuis cladibus ſolari inſtitit, Altorffium, Rauenſpurgum, Memmingam auitas Welfonum ſedes flamma ferróque populatus. Viciſſim Henricus ſequenti anno exercitum in eius fines induxit, & vltra Stauffam progreſſus nullo iniuriæ genere abſtinuit. Vlmam intactam reliquit ægrè etiamnum à vaſtitate, quam eò inuexerat, reſpirantem. Fuit tamen cùm haud procul periculo Henricus abfuit. Wernicio amni caſtris locatis aſſidentem improuiſus hoſtilium copiarum aduentus adeò perculit, non modò vt congredi detrectârit, ſed ſumma trepidatione profecto pons ad transportandas copias non ſuffecerit. timidiſſimus quiſque, vadum negante flumine eo ipſo tempore ex imbribus intumeſcente, tranſnatauit. Sed fœdior eſt altera perfidiæ nota, quam Henrico Otho Friſingenſis in-

Anſelm.

HENR. BOII BELLA.

Chron. VVeingart.

A. MCXXXI.

Otho Friſing. l. 1. de rebus geſt. Frid. c. 18. & 19.

HENRICI PERICVLVM.

PERFIDVM HENRICI BOII FACTVM.

urit, ponenda nihilominus in luce publica, etſi parum commendabili colore. Iam Friderici forunas inſigniter attriuerat, cùm ſimulatâ iniuriarum pœnitentiâ eum ad Lotharij amicitiam inuitauit, operam ſuam pollicitus, ſi ſe interprete & conciliatore vti vellet. Neque abhorrebat à mollibus conſiliis Fridericus obſaturatus iam ærumnis ſuis & Germaniæ conſenſu ab intempeſtiua ambitione depulſus. Die ergo locóque conſtitutis in Zvvifaltenſi Cœnobio congrediuntur; Sueuus penè incomitatus; noſter ſtipatorum agmine ſuperbus; nihildum ſuſpectante Friderico, rarioribus adhuc malæ fidei exemplis, neque inquinato Germanico candore. Tanto ergo opportunior inſidiis, quanto ſecurior fuit. Serâ demum nocte armatorum tumultu cubili ſuo aſſultantium excitatus, quantillum ab vltimo exitio abeſſet, agnouit. In ſumma humanæ opis deſperatione præſens ſibi animus preces Superis, qui præbere manum circumuallato ſoli poterant, admouet; cùm ecce inobſeruatum ſibi oſtiolum, velut in hunc rerum articulum

PRECVM VIS.

Digitized by Google

lum diuinitus apertum notat, vſúſque beneficio Numinis rectà ad templum defertur. progreſſus inde per adyta in ſummam turrim euadit, noctémque illam velut inter ſacrum & ſaxum medius hæret. Henriciani emiſſam è manibus prædam ſtrenuè per omnes Cœnobij angulos veſtigant, Monachorum tuguria excutiunt, turbant ſacra clamoribus, vt nihilo lætior, quàm captarum eſſe vrbium ſolet, Monaſterij inter vagantes gladios facies fuerit. Friderici familiares per tumultum elapſi vltimæ perfidiæ exemplum vulgant, & viciniam ſiue prohibendo ſiue vindicando ſceleri armant. Neque fefellere omnia ſpei metúſque ſui argumenta è ſumma ſpecula colligentem Fridericum diuerſi hoſtium amicorúmque conatus; cùm illi iam ignem tectis minarētur, hi manipulatim toto paſſim agro confluerent: quorum numero cùm orta iam luce confidere & componere vires viribus inciperet, ſuâ ſe voce prodidit & Henricum ad colloquium exciuit. Vbi in conſpectu fuit, Viuo, inquit, affinis, & ſicas tuas, etſi id factum nolles, ſcuto Dei

Fridericvs Henrici perfidiam caſtigat.

, Dei tectus euitaui. Ad hæc fœdera vo-
, cabar, quæ vt ſanctiſſimo loco, inter
, aras, ferires, ego victima tibi placui. ſic
, Principes iuuat in cognato ſanguine lu-
, dere, & bellis non ex voto cadentibus,
, ad latrocinia diuertimus. Inermem, ſo-
, pitum, hoſpitem, tuam dextram, tuam
, fidem amplexum præmiatoribus obij-
, cis. ſic me Lothario concilias; quem
, quia ſcis cum viuo in gratiam non redi-
, turum, voluiſti mortuo ignoſcere. Ma-
, cte hac virtute tua eſto; &, ſi lubet, tro-
, phæum ex Friderico ſtatuito. prouidiſti
, æternitati nominis tui; & ne fama tua
, vnquam poſſit obtenebreſcere, vel nox
, iſta effecerit: quam quia vltimam mihi
, voluiſti, caue ſodes, ne te dies iſte oppri-
, mat. id ego ex ſpecula te moneo, quam
, ſalutis meæ, ſed & tuæ causâ occupaui.
, vtcunque de me merito denuncio, Niſi
, fugeris, periſti: etiam qui me mortuum
, putant, pro me pugnaturi ſunt: tu vide,
, an ſimiles ſperare latebras poſſis, & ea-
, démne latrociniis parata effugia ſint,
, quæ innocentiæ: vtcunque res ceci de-
, rit, memento & vitam & mortem te
mihi debere. Henricus magis ſceleris

ſui

Digitized by Google

ſui pudore quàm vicinitate periculi externatus properè è loco diſceſſit dignus qui iam non Superbus tantùm ſed perſidus etiam & crudelis diceretur: quanquam ne tum quidem defuerunt facundi aſſentatores, qui facto illius ignominiam detraherent; dolo an virtute in hoſtem Reipublicæ graſſaretur, nihil interfuiſſe affirmantes; neque vllum noctis illius peccatum fuiſſe, niſi quòd fortuna conſilium euerterit, ignari iuxta improbíque, qui bellorum artificia furtáque ad fœdera transferunt, & nullo ſagi togæque diſcrimine caſtra foráque fraudibus miſcent peſſimi Principum magiſtri; quales ne Chuno quidem Ratisbonenſis Epiſcopus effugere potuit, qui circa hæc tempora in extrema vitæ meta conſtitutus cùm ab iiſdem de longi in alterum orbem itineris apparatu admoneretur, edito gemitu, ſerò ſapitis, inquit, amici, qui nunc demum profutura loquimini, & Æternitatis curam in vltimum momentum compingitis, parum conſentaneè priſtinis moribus; ſoliti olim quæ ſuauia in præſentia eſſent, prima habere, neque vnquam conſule-re

CVNONIS EPIS. RATISB. SVB MORTEM AD AMICOS VERBA.

Dodechinus anno MCXXXII.

'Catalog Epiſc. Ratisb. 'Anno XXX. 'defunctum 'memorat.

, re in longitudinem: Eme, vende, con-
, niue, Rem auge; hæc veſtra erant oracu-
Vita S. Altmanni Ep. Paſſau. , la: Fiſco ſemper quàm Chriſto addictio-
, res & ad omnem quæſtum ſagaces bo-
, num lucri è re qualibet odorem dice-
, batis, è ſacris venditis, iure improbè
, dicto, & noxia aduerſum ſcelera indul-
, gentiâ auri exſculpendi mihi ſeduli au-
, tores, haud ſanè credo quò alas addere-
, tis ad cælum ituro. ſed ne nunc quidem
, ſubleuatis, qui moriturum denique
, mori docetis. miſer ſum, ſi tironi cum
, morte luctandum eſt. Stanti diſcendum
, fuit, quomodo honeſtè caderem. Quæ
cùm grauiter & cordatè elocutus eſſet,
breui oppetiit. Opus illius Collegiata S.
Ioannis Eccleſia eſt. tumulum tamen
ſibi ad D. Emmerammi optauit. Mor-
tem eius magni motus excepere, qui-
bus pleraque BOIARIA concuſſa eſt.

V.
Chron. Weingart.
MOTVS BOIARIÆ OB CREATIONEM RATISB. EPISCOPI.

Henricus Wolfratshuſius ſtudiis par-
tium Friderici Aduocati, quem Henri-
ci Superbi æmulum diximus, renuncia-
tus Epiſcopus fuerat. Henricus Prin-
ceps Friderici gratiam præualuiſſe ſuæ
indignatus, creationem illam vt vitio-
ſam apud Lotharium & Innocentium
ſum-

Digitized by Google

ſummum Pontif. traduxit, inſtitítque ne hic ſacra, ille profana ei iura confirmarent. Sed Wolfratshuſius ſummâ celeritate ad Conradum Saliſburgenſem profectus ritè ab eo inauguratus eſt. Henricus eluſa ſua conſilia grauiter ferens ad arma conuertitur, omnéſque Epiſcopij Ratiſbonenſis clientelas devaſtat, ſuburbia incendit, Donaſtauffenſem arcem inopinato aduentu in poteſtatem adducit & præſidio firmat. Eum locum cùm Epiſcopus omni vi recipere laboraret, multa ex occaſione leuia prælia facta, frumentatio præſidiariis intuta reddita, vt fame laborantibus ab ipſo Duce annonam ſubuehi neceſſe fuerit. Non ſtetit illis finibus, quibus ortum eſt, incendium; ſed BOICAM etiam ſubalpinam inuoluit. Wolfratshuſiam arcem, vnde Epiſcopo genus & nomen, Henricus Princeps cum paucis prætereuectus ab Ottone loci dynaſta & Epiſcopi patruo prope circumuentus eſt. Actum erat de ſalute Principis, niſi Pietas fidéſque illius ſeruandi rationem reperiſſent. Henricum equi, quo vehebatur, phaleræ, quæque alia in eo eminebant;

HENRICVS FAMILIARIS SVI FIDE SERVATVR.

nebant, prodiderant Othonianis. vnus proinde inſequentium deſtinationem, voto, curſúque petebatur, & otioſam ſecurámque ſociis fugam reddiderat, quòd pretium operæ in illa ſola præda poneretur. Id animaduerſum comitum fidiſſimo ſolers eidem conſilium ſuggeſſit, quod non niſi in maximum animum cadere potuit & eximiæ virtutis capacem. Equo ſponte delapſus raptim Principem in illum transfert, perſonam eius cum ſagulo induit, diuerſámque affectans viam fugam Domini ſaluti attemperauit, non ſuæ; ſimul illum in tuto ſenſit, perfunctus officio pietatis vltro deuotum caput hoſtium furori obiecit, concidendúmq; vulneribus præbuit animam etiam impẽſurus, ſi exigeretur. Princeps vtili ſibi fallacia ſeruatus Februario Menſe copias in Ottonis agrum inducit, Homeraſium caſtrum intra alpes ſitum vi expugnat inflammátque; Wolfratshuſio Cineralium, quæ imminebant, religione contactus abſtinuit. Fratre deinde Welfone in ſocietatem militiæ adſcito, Ratiſbonam regreditur, deductóque ex arce Donaſtauffen-

Fort. Ombraſs prope Oenipontem inſigni iam tum fama.

ſtauffenſi præſidio, flammâ in locum graſſatur. Welfo, cuius memoriam prodidi, Vtham Godefridi Kalbenſis filiam domum duxerat cum ingenti dote, ſed longa bella pariturâ. Albertus enim Godefridi patruelis, qui eius bonis ſpe inhiauerat, ea velut per vim erepta ſibi armis vindicabat. Kalbiana primùm arce potitus paulo pòſt ad Sindelfingam Welfonis copias concidit, vicóque incenſo, prædâ gloriáque onuſtus Wirtenbergam rediit. Ibi cùm à Welfone è veſtigio obſideretur, iámque catapultis muri quaterentur, Friderici & Conradi fratrum, qui cum Welfonum nomine inimicitias gerebant, auxilia magnis promiſſis comparat; quæ Welfo, expugnata interim incenſáque arce, fruſtratus eſt. Eadem tempeſtate Conradus Zäringius Vthæ auunculus Stubenburgum, quod itidem Welfoni parebat, obſidere aggreſſus, Lotharij viribus, quas Welfoni auxilio adduxerat, inde eſt reiectus. Welfo viciſſim caſtrum Levvenſtainium vulgo inexpugnabile creditum ingenio magis quàm manu vſus in poteſtatem adduxit & concremauit.

WELFONIS HENR. FR. OB DOTEM BELLA.

Auent. Schenburgum non improbabiliter nominat.

X Kal-

Kalbio deinde imminens Albertum in eas anguſtias coniecit, nullam, vt, niſi deditionis, ſpem reliquam faceret. Imparem ergo ſe confeſſus ſua omnia Welfoni permiſit multo lætiore modeſtiæ quàm ferociæ fructu. Victor enim nullo præterquàm humanitatis in ſupplicem iure vſus amiſſa illi reddidit famæ gloriæque militaſſe contentus. Henricus frater, vt ad illum redeamus, actis Paſchalibus, Wolfratshuſio copias admouet: viciſſim Epiſcopus Ratiſbonenſis omnibus opibus viribúſque, externis etiam auxiliis contractis, florem Iuuentutis BOICÆ ſub ſigna cogit. Præter Leopoldum Auſtrium nobiliſſimus quiſque nomina dedere. Vnus omnino Otho Wittelſpachius cognomento Sapiens deteſtatus plus quàm ciuile bellum arma non induit. Inuenit tamen inermis Reipub. tam calamitoſo tempore ſubleuandæ & vtriuſque exercitus ſummo ſibi beneficio obligandi rationem. Ad Iſaram flumen, cui etiam caſtrum incubat, ſtabant aduerſæ acies, ardentibus in mutuam perniciem animis & iam maturo in pugnam furore. VVittelſpa-

WELFONIS IN VICTORIA MODERATIO.

HENRICI DVCIS IN EPISC. RATISB. EXPEDITIO.

OTHO VVITTELSPACHIVS BELLVM DIRIMIT.

Digitized by Google

telſpachius cùm vtrobique amicos plures haberet, & præter priuata nomina affectu patriæ ad ictum expoſitæ grauiter commoueretur, inuocatus arbitrum ſe diſſidentibus ingerit, & vltro citróque commeans omniáque ſpeculatus, quò propiùs abeſſe ab exitio Rempub. animo prouidit, eò ardentiùs ad reconciliandas per æqua per iniqua partes incubuit: eóſque priùs aggreſſus, quorum cauſam minùs probabat, cùm ſatis ſciret Fridericum Aduocatum conſobrinum ſuum facem belli eſſe, huic frigidam affundere ſtatuit, hominémque ſic compellauit. Etſi parum ſatisfacere amicis me intelligo, quòd ex nobilitate Boica ſolus ſagum non ſumpſi, & dum omnibus æquum præbere me cupio, vtriſque iniquus videor; velim tamen tam facilem vobis militiæ, quàm mihi vacationis huius excuſationem ſuppetere, minúſque probroſam amicis meis captatæ in hac cauſa fortitudinis famam, quàm mihi ſuſpicionem ignauiæ accreſcere. Equidem poſſum Fortunæ ignoſcere, ſi ad ſpolia ex ciuibus legenda, &, quales à vobis quæri video, triumphos

Oratio Othonis pacificatoria.

phos me non citat; quin, ſi omnino meum huic bello nomen miſcendum eſt, malim præda fieri victoris, quàm ad victoriam manu quidquam contuliſſe. Egóne committere inter ſe cognatas acies, & in ciuili ſanguine ferrum tingere ſuſtineam? vox mihi ſufficiat ad animandum in hac arena militem, vt ferro parcentem inclamem, Ciuis Ciuem feri? Parces Patria, hîc quidem tam militis quàm Ducis perſonam abnuenti, neque ferrum, quod pro te accepi, vnquam in te verſuro. Tuam vicem doleo Friderice, ſi vel ea infelicitate natus es, vel tam acerba paſſus, vt ad huius crudelitatis adornandæ neceſſitatem tibi fuerit deſcendendum: etſi ne animo quidem concipere vllum tantum nefas poſſum, quod talibus victimis ſit expiandum. Ego magnos viros ſcio, qui ingratam infeſtámque patriam experti ſuas illi iniurias condonarunt. qui priuatum domeſticúmque incendium ruina patriæ obruere cogitarunt, hos ego nunquam ciues, ſed ne terræ quidem filios dixero. Abortus quidam ſunt deficientis rerum naturæ, peſtéſque orbis

peri-

Digitized by Google

perituri: quò minus obſcurum tibi eſſe poteſt, quo te animo vultúque tam arctis mihi neceſſitudinibus obſtrictum aſpiciam huius Lanienæ moderatorem; quàm probem inauſpicata auſpicia, & ſanguinolenta conſilia, quibus tot ciuium millibus vel vitam vel innocentiam paras eripere; alterutra enim, ſiue vincas, ſiue vincare, iactura facienda eſt. Sed nimirum violata Eccleſiæ iura, cuius Aduocatus & Tutor es, & ſacroſanctæ libertatis à profana manu & indigna vi aſſerendæ ſtudium purum hoc piúmque bellum faciunt, quod geris. Ita perſuaſum plebi video. mihi, nequid diſſimulem, nihildum probaſtis. Quid tu, antequam claſſicum caneres, mollium remediorum ad componendam litem vel attuliſti vel admiſiſti? quæ tribunalia, quos Iudices, quos in cauſa arbitros poſtulaſti? Tam iniquus hercle miles eſt, qui ius omne in manu, quàm inſcitus Medicus, qui artem ſuam in ferro portat; Carnificem dicam, ſi vrit ſecatque, nondum deficiente aut certè nihil proficiente oleo: quemadmodum & miles, cùm ferrum ex libidine cæcó-

que furore ſtringit, latro eſt. Multa tulerit fecerítque neceſſe eſt, qui iure videri vult tot hominum millia armaſſe; patria certè & Deo Iudicibus, quibus nec vna gutta humani ſanguinis vilis eſt. Sed de cauſa tu videris. Hoſtem gentis noſtræ Principem habes; cuius vires felicitatémque aliàs expertus tamen fortunam fatigas, & nobilem credo dextram quæris, ſub qua honeſtè occumbas; dignus fortaſſe voto tuo, ſi eo potiri ſolus poſſes. patriam ne admiſce, & innoxios Ciues patere aliter mori. grauabunt te, crede mihi, tot Vmbræ. Quin tu potius hos veluti transfugas reddis ſuo Principi? auſpicatiùs illos ad tentandam eius clementiam, quàm fortitudinem duxeris. Nemo iam horum ſibi ex Patre Patriæ triumphum petit, & ſperare etiam, ſcelus putat. ſupercilium Principis nutúmque adorare ſoliti, fulminantem dextram quomodo ferent?

FRIDERICVS ADVOCATVS CVM HENRICO DVCE IN GRATIAM REDIT.

Milites oratione VVittelſpachij permoti iam in eius auctoritate erant; apparebátque ſponte ad Principem tranſituros, ſi Fridericus ducem ſe offerre detrectaſſet. Ille proinde paratiorem ſibi ve-

bi ve-

bi veniam, ſi cum omnibus ſuis deditionem feciſſet, certus, VVitteſpachio ſe permiſit; eo duce cum pleno agmine ad caſtra Henrici profectus eiúſque amplexus genua momento veniam & nomen amici impetrauit. VVittelſpachius re bene geſta ad altera caſtra regreſſus etiam Othonem VVolfratshuſium generum ſuum eſt adortus; qui vt maximè vellet, contra niti non eſt auſus, nudatus iam validis auxiliis & omnium, quos adhuc pudor retinuerat, animis inclinatis. Socerum ergo etiam ipſe ſecutus ſe ſuáque omnia Principi tradidit. Relatum de eo ad iudicium publicum: vna omnium ſententia fuit, videri eum contra Rempub. feciſſe. Supplici vitæ gratia facta. Rauenſpurgum exul & captiuus deportatus eſt, Caſtro ſpoliato direptóque ignis ſubiectus. Comitis vxor VVittelſpachij filia cum honore patri reddita. VVittelſpachij exinde nomen ingens eſſe; ipſe ad cælum laudibus ferri & ab vtroque exercitu Pater Seruatórque Ciuium ſalutari: iterum Arma Togæ cedere iuſſa & incruentæ victoriæ triumphus decretus.

Otho Wolffratshvsivs. exilio plecitvr.

EPISCOPVS DVCI CONCILIATVS. tus. Acceſſit ad publicæ lætitiæ cumulum etiam Epiſcopi Ratiſbonenſis cum Principe reconciliatio: hic enim rebus ſuis diffiſus Hohenburgenſi dynaſtia eius amicitiam redemit. Ita pace vndique vnius viri opera ſtudióque partâ, BOIARIA omnis quieuit. Tranquillitatis publicæ fructum Religio potiſſimùm tulit inſignibus per hæc tempora domiciliis templiſque aucta. Primæ hic quoque Othonis Wittelſpachij partes; nam & Enſtorffium à S. Othone Babenbergenſi adiutus vel impulſus inſtaurauit; Vndenſtorfenſe verò ad Glonum amnem à fundamentis erexit; illuc D. Benedicti, huc D. Auguſtini ſcita indu-xit. Ad poſteriorem normam etiam Subenenſe Oeno flumini imminens Altmanni Tridentini Epiſcopi ex BOIIS oriundi ſtudio formatum. Beyhartinganum Virginibus primùm conceſſum à Iuditha nobili vidua; ſed ijs haud multo pòſt Altenhohenauiam, Conradi VVaſſerburgenſis operâ, translatis, itidem D. Auguſtini Sodales ſucceſſere. Iiſdem Sigebotho Comes Falkenſtainius etiam Vinariam, quod VVeiarn hodie

COENOBIORVM ORIGINES. ENSTORFENSIS.

VNDENSTORFENSIS.

SVBENENSIS.

BEYHARTINGANI.

WEIARENSIS.

hodie eſt; Gertrudis Bertholdi vidua cum Luitgarde filia Schamhauptum incolendum tradidere; cuius dotem Henricus Ratiſbonenſis Epiſcopus inſigniter auxit: eiuſdêm auſpiciis etiam Rorenſe Collegium creuit, Adalberto viro nobili opes liberaliter ſuppeditante & eandem denique cum collegis illic vitam profeſſo. Paringenſe ad Labarum amnem; S. Magni ad Pontem Ratiſbonenſem Conradus, Henricus & Gebhardus Comites Raningij & Rotenburgij cum Mathilde Matre erexere: Henricus Epiſcopus auctor factus. Conradus Saliſburgenſis D. Zenonis ædem ad Halam Diuitem eiuſdem inſtituti Profeſſoribus tradidit. Iam D. Norberti Magdeburgenſis per hæc tempora Antiſtitis familiam in VVindbergenſe Cœnobium Comites Pogenſes, impulſore D. Othone Babenbergenſi, introduxere. Eiuſdem inſtituti coloniam etiam Oſterhofa, eodem Othone duce, accepit. D. Bernardo Allerſpachium, VValderbachium & Cæſarea ceſſere; ex quibus priora duo Auguſtiniani antea coluerant. VValderbachium ori-

Schamhauptenſis.

Rorenſis.

Parinġenſis.

S. Magni.

S. Zenonis.

Windbergenſis.

Oſterhofenſis.

Allerſpachens.

Walderbach: Cæſareens.

gines ſuas Riettenburgenſib. Comitibus debet; Cæſarienſe Lechgmundianis; quæ tot Boicæ erga Superos liberalitatis monumenta, vt vno eodémque anno caput non extulerint, neque tamen ex magno interuallo ſibi ſuccedentia voluimus ſimul ſub aſpectum dare. Nunc Boicam, velut rebus domi compoſitis, egredimur.

Baron. *Otho Friſing.* Schisma Pontificium.

Honorij Romani Pontificis Anno triceſimo mortui ſucceſſor Innocentius grauem æmulum Petrum Leonis, qui Anacletum ſe appellabat, nactus ex vrbe in Galliam profugerat. Ad Clarum montem Conuentus agenti Lotharij Legati Conradus Saliſburgenſis & Heribertus Monaſterienſis Antiſtites Regiam operam, ſicubi ea vti vellet, obtulere. Paulo poſt Rex ipſe Leodij cum Pontifice congreſſus iam ſopitam de Epiſcoporum

D. Bernardi vtilis Reip. opera.

legendorum iure litem excitare conatus, mellea D. Bernardi eloquentia à mouenda in perniciem orbis Chriſtiani Camarinâ eſt deductus.

D. Gotthardus diuis accenſetur.

Eodem in loco de diuinis honoribus Gotthardo Boio Hildesheimenſi Epiſcopo decernendis relatum; eáque cauſa, pro magnitudine

ſua,

Digitized by Google

ſua, ad Rhemenſem ſynodum reiecta. illic IV. Kal. Nouemb. Pontificis ſententiâ accenſus Diuis & proximo anno IV. Non. Maij è tumulo in Aram translatus eſt. Longiſſima narratio ſit, ſi cæleſtium prodigiorum, quibus orbis de ſe iudicium confirmauit, vel inire numerum, vel explicare ordinem velim. Vnum alterúmue vel hiſtoriæ vniuerſæ, vel rebus Boicis illuſtrandis opportunius velut ſummis labris libaſſe profuerit. Lotharius renouandæ cum Ioanne Comneno Imperatore Orientis amicitiæ causâ, Egilbertum Præpoſitum Goslarienſem Conſtantinopolim amandârat. ex eius comitatu nonnemo triſti caſu de ſumma effuſus puppe præceps in mare ierat, illico deſperatus à ſocijs, quòd nihil illius vſquam emergeret. Profuit perituro D. Gotthardi nomen vltimo ſingultu invocaſſe: mox enim eiuſdem palàm conſpicui manu, morti, quam plenis iam faucibus imbiberat, ereptus & natare doctus ſine periculo curſum tenuit, donec exceptus ſcapha ſociis gratulantibus eſt redditus. Haud diu pòſt Dynaſtæ Vngari filium vnicum

D. Gotthardi admiranda. *Chriſtoph. Brovverus in Sid. Germ.*

magnæ

magnæ domus columen mors euerte-
MORTVVS VITÆ REDITVS. rat. Miſeri parentes luctu obruti tumu-
lum adornabant, quo omnes ſuas ſpes
inferrent. Id agentibus opportunè to-
parcha BOIVS, qui de luſtrico fonte olim
adoleſcentulum leuarat, ſuperuenit, &
reliqua ſolatia omnia reſpuentibus D.
Gotthardi nomen ingerens compertas
illius aduerſus mortis inclementiam vi-
res recentibus documentis aſſerit. Tum
demum parentes, veluti noua luce ob-
orta, reſpirare auſi votum pro exanimi
filio concipiunt & rediuiuum eadem
die amplectuntur. Æquè mira raráque
D. GOTTHARDI SODALITIA. cùm propè quotidiana fierent, certatim
Gotthardum ſibi pij quique patronum
depoſcere, nomen eius populis ſan-
ctum fieri, cœtus ſocietatéſque eius ſe
cultui mancipare, haudquaquam aſper-
nante nouas clientelas Diuo. certè qui
Hildesheimij primus id ſodalitium ſub
eius tutela inſtituit, Theodoricus no-
mine, præſentem mox ſuæ pietatis fru-
ctum collegit. Extabeſcentem & à Me-
dicis depoſitum Gotthardus de cælo re-
ſpexit & viuere fauerèque porrò ſuæ
gloriæ iuſſit; ſuis ſe clientibus imò fra-
tribus

Digitized by Google

tribus nulla in re defuturum. quod eo annotare viſum, ne quis heri demum orta hæc familiaria cum Superis commercia exiſtimet, rideátque mortalium fiduciam ius Fraternitatis apud Beatas illas Mentes ambientium. Lotharius eodem, quo cælitum honores Gotthardus accepit, anno ipſe quoque ad ſummum Imperij decus capeſſendum in Italiam tranſcendit, à copiis, propter bella BOICA, quæ ſuprà enarrauimus, neque pro dignitate ſua, neq; pro rei neceſſitate ſatis inſtructus: vnde non modo Italis fauore Conradi æmuli imbutis irriſui fuit, ſed Auguſtæ etiam factioſorum tumultibus in diſcrimen venit. Seditionis flamma alterâ flammâ extinguenda fuit, qua ciuitas fœdè deformata eſt. Sequenti anno Prid. Non. Iun. Lotharius Auguſti nomen & diadema in Laterano ſumpſit, quòd Vaticano Petrus Leonis potiretur; cuius è munitionibus ſuis extrahendi cùm ſpes non ſuppeteret, in Germaniam eſt reuerſus; & proximis Ieiunij verni feriis, in Comitiis Babenbergenſibus, perorante pro Conrado & Friderico Fratribus Bern-

Append. ad Lamb. Alb. Stadens. Vrſperg.

MCXXXIII. LOTHARIVS IMP. SALVTATVR.

MCXXXIV.

magnæ domus columen, mors euerterat. Miſeri parentes luctu obruti tumulum adornabant, quo omnes ſuas ſpes inferrent. Id agentibus opportunè toparcha Boivs, qui de luſtrico fonte olim adoleſcentulum leuarat, ſuperuenit, & reliqua ſolatia omnia reſpuentibus D. Gotthardi nomen ingerens compertas illius aduerſus mortis inclementiam vires recentibus documentis aſſerit. Tum demum parentes, veluti noua luce oborta, reſpirare auſi votum pro exanimi filio concipiunt & rediuiuum eadem die amplectuntur. Æquè mira raráque cùm propè quotidiana fierent, certatim Gotthardum ſibi pij quique patronum depoſcere, nomen eius populis ſanctum fieri, cœtus ſocietatéſque eius ſe cultui mancipare, haudquaquam aſpernante nouas clientelas Diuo. certè qui Hildesheimij primus id ſodalitium ſub eius tutela inſtituit, Theodoricus nomine, præſentem mox ſuæ pietatis fructum collegit. Extabeſcentem & à Medicis depoſitum Gotthardus de cælo reſpexit & viuere fauerêque porrò ſuæ gloriæ iuſſit; ſuis ſe clientibus imò fratribus

MORTVVS VITÆ REDDITVS.

D. GOTTHARDI SODALITIA.

Digitized by Google

tribus nulla in re defuturum. quod eo annotare viſum, ne quis heri demum orta hæc familiaria cum Superis commercia exiſtimet, rideátque mortalium fiduciam ius Fraternitatis apud Beatas illas Mentes ambientium. Lotharius eodem, quo cælitum honores Gotthardus accepit, anno ipſe quoque ad ſummum Imperij decus capeſſendum in Italiam tranſcendit, à copiis, propter bella BOICA, quæ ſuprà enarrauimus, neque pro dignitate ſua, neq; pro rei neceſſitate ſatis inſtructus: vnde non modo Italis fauore Conradi æmuli imbutis irriſui fuit, ſed Auguſtæ etiam factioſorum tumultibus in diſcrimen venit. Seditionis flamma alterâ flammâ extinguenda fuit, qua ciuitas fœdè deformata eſt. Sequenti anno Prid. Non. Iun. Lotharius Auguſti nomen & diadema in Laterano ſumpſit, quòd Vaticano Petrus Leonis potiretur; cuius è munitionibus ſuis extrahendi cùm ſpes non ſuppeteret, in Germaniam eſt reuerſus;& proximis Ieiunij verni feriis, in Comitiis Babenbergenſibus, perorante pro Conrado & Friderico Fratribus Bern-

Append. ad Lamb.
Alb. Stadens.
Vrſperg.

MCXXXIII.
LOTHARIVS IMP. SALVIATVR.

MCXXXIV.

Bernardo Claravallenſi, non modò iniuriarum eis gratiam fecit, ſed in intimam inſuper amicitiam recepit. *D. NORBERTI MORS.* Idem annus D. Norbertum Magdeburgenſem Antiſtitem Societatis Præmonſtratenſis patrem cælo inuexit, non modo ob deductas in BOICAM colonias nobis memorandum, ſed hoſpitij inſuper iure, quod Romam ad probanda Pontifici conſilia ſua proficiſcenti Hartvvicus *Vita S. Norberti apud Sur:* Ratiſbonenſis Epiſcopus præbuit, & Theobaldo Comiti Bleſenſi, qui coniugij ſui auſpicem alium præter Norbertum eſſe noluit, Fratris ſui Engelberti Marchionis Crayburgenſis Filiam deſpondit. *ITEM S. LEOPOLDI AVSTRII. MCXXXVI.* Norbertum anno trigeſimo ſexto Leopoldus Auſtrius germanum Chriſtiani Principis exemplum ſecutus eſt, Clauſtro-Neoburgenſis & S. Crucis Cœnobiorum auctor, octodecim liberorum Pater, ex quo numero in BOIARIA ternos cum infulis & ipſius adeò Principatus inſignibus in tempore ſpectandos dabimus: quæ decora vt ipſi ſua virtute meruerint, pars tamen etiam hæreditatis cenſeri poſſunt. hoc enim piorum parentum Priuilegium eſt, vt

cùm

Digitized by Google

cùm filiis ſuos mores impreſſerint, fidenter iiſdem felicitatem poſſint promittere morituri, teſtamento nunquam à Superis reſciſſo; quemadmodum etiam ſcelerum ſupplicia ad hæredes tranſeunt, & rarò vno capite exoluuntur. In quam rem cùm hæc tempora documentum illuſtre ſuppeditent, operæ fuerit tam ſecurè peccantibus digitum in illud intendere. Wernherus Reicherſpergenſis Cœnobij Fundator ampli Patrimonij opes Deo Diuóque Michaeli ſacrauerat, in quibus etiam Chrovvatenſis ager fuit apud Carantanos ſitus: huic Albuinus Aribone Wernheri fratre genitus oculum adiecerat, offenſus etiam cætera patrui liberalitate, & exilium religioſæ familiæ minari auſus, ſimul ac VVernherus vitâ ceſſiſſet. agebat animam VVernherus, cùm de Albuini impietate ad eum relatum eſt. nihilominus intermortuis vocibus renunciari nepoti degeneri iuſſit, Iniquam eum D. Michaeli litem intendere, & cum aduerſario nimis potente colli di. ſe quidem cauſæ ſuæ Patronum non quærere: Diuum res ſuas tutaturum. qui cælo

SACRI PECVLATVS VINDICTA. *Chron. Reicherſpergenſe.*

cælo diuini honoris æmulum exturbârit, parata etiam contra vnum homuncionem arma habiturum. Albuinus vatem ſuum paulo pòſt mortuum nihil moratus meditata pergit exequi, vocato in ſocietatem ſacrilegij Adalberone quodam impuro nebulone & in hac palæſtra exercitato. Venitur ad vim. Albuinus agrum occupat; útque oraculi à VVernhero editi fidem impleret, intra diem vndecimum D. Michaeli pœnas capite exoluit. Adalbero tamen perſeuerat furere, & pro iure malè mortui apud Vdalricum Comitem iuſiurandum dicit, eóque pronunciato velut fulminatus ad iudicis collapſus pedes animam euomit. Timor omnes corripit; Vdalricum inprimis haud vanè metuentem, ſi cauſæ inſiſteret, tertiam ſe victimam fore. Succeſſit tamen in ſcelus fœmina, & deſitam à viris pugnam contra Superos redintegrauit. Luitgardis ea fuit Albuino olim deſponſa, nondum tamen domum deducta; quæ cùm duobus ex breui interuallo maritis Nitkiſo & Dieterico nupſiſſet, vtriuſque funus duxit; illo ex vulnere, hoc ele-

PERIVRII SACRILEGI POENA.

phan-

phantiaſi abſumpto. quæ fœditas cùm etiam filios depaſceret, hactenus mota eſt auara & impotens fœmina, vt dimidium agri Cœnobio remitteret, de reliquo cum Superis altercaretur, poſt tot plagas iacturáſque erubeſcens ab iis ſe victam confiteri. Eam tragœdiam, cuius compendium dedi, Gerhohus Reicherſpergenſis Antiſtes referri in tabulas, ſugillandæ auaritiæ causâ, voluit. Cuius viri quia mentio in poſterum frequentabitur, hîc notitiæ publicæ dandus eſt. Pollingæ in BOICA natus, Friſingæ, Moſburgi & Hildeſij ſub doctiſſimis eius ætatis Magiſtris ad omnem elegantiam excultus, ipſe tandem ludum literarium Auguſtæ rexit. Ingenij virtutíſque cauſa ab Hermanno Epiſcopo in Canonicorum Collegium cooptatus in ea tempora incidit, quibus Pontificiæ Regiæque factiones orbem diſtrahebant: quæ cùm Hermannum etiam & ciuitatem omnem inuoluiſſent rapuiſſéntque in præceps, non dubitauit Gerhohus melioris cauſæ patrocinium profiteri, & odiis publicis caput obijcere libertate ſentiendi loquendíque. Se-

GERHOHI VIRI CL. & RELIGIOSISSIMI NATALES ET DOTES.

data illa tempeſtate, noluit alteram op-
periri, ſed ſuccedere in portum ab his
fluctibus liberiorem; quem illi Raitten-
buechenſe Cœnobium præbuit, patre
in eandem ſtationem abducto, matre in
fœminarum cõtubernio, quod celebre
ibidem fuit, collocata. Illic nulla me-
diocri virtute contentus ad omnium
faſtigium euaſit; quò vt certum Ducem
haberet, repudiatis, qui in omnium ma-
nu tunc erant, floribus collectaneis
monitorum ſanctitatis, inſpicere in

D. AVGVSTINI REGVLAM GERMANIÆ INFERT.

ipſum ſpeculum auebat, ad quod com-
poſiturum ſe mores vitámque iurauer-
rat, & germana Auguſtini Legiſlatoris
ſui ſcita cognoſcere. Sed ea, quod mirè-
re, diligenter vndique perquiſita nuſ-
quam reperiebantur, non ſine inſigni
quantumuis candidi ſeculi probro;
quod Gerhohus primus ſuſtulit, dum
Romano Pontifice adito, acceptas ab
eius manu Leges BOICÆ intulit eo no-
mine de poſteritate ad eiuſdem vitæ
amorem exarſurâ optimè meritus: tunc
enim ſtudium eius pauci probarunt, qui
mores ſuos ad aliam normam exigi no-
lebant, turba exlex & Auguſtini nomine
quàm

quàm præceptis libentiùs vſura. Paulo pòſt Cuno Ratiſbonenſis Epiſcopus, cuius res ſupra dedimus, Gerhohi operâ in excolenda prouincia vti voluit, Cambenſi Eccleſiâ ei commiſſâ. quo in loco cùm Collegium inſtituti ſui ponere decreuiſſet, Conradi, quem rebellionis contra Lotharium excitatæ ergo publicè deuouerat, inſidiis & infeſtatione eſt impeditus. Cunone mortuo à Conrado Saliſburgenſi inter familiares adſcitus Romam perſæpe de grauiſſimis cauſis legatus iuit; donec anno trigeſimo ſecundo Reicherſpergenſibus ab eodem eſt præfectus. Nunc quod rerum ordo poſtulat, Lotharium in Italiam ſequamur, quæ Rogerij Siculi tyrannide preſſa Innocentij Pontificis ore regiam opem implorabat. Eum inter primos Henricus Boiariæ Dux ſecutus eſt, prudenti priùs conſilio compoſitis domeſticis turbis, conciliatiſque æmulis; quos inter etiam Otho Wolfratshuſius fuit, quem eouſque in vinculis habitum vltro ad ſocietatem militiæ pellexit. Henricus Ratiſbonenſis Epiſcopus eiuſdem ſanguinis & Otto Wittelſpa-

Lotharii secunda expeditio Italica.

Vrſperg. Chron. VVeingart. Chron. Caßin. Chron. Beneuent.

Boii proceres Loth. secuti.

chius comitatum auxere. tum de reliqua Iuuentute BOICA mille quingenti, cum quibus in Italia res maximas geſſit. Gardam ad Lacum Benacum, ad Padum Gariſtallum primo aſſultu occupauit,& vtrumque locum fiduciario iure tuendum ſuſcepit. Cremonenſes hoſtes Reipublicæ iudicatos latè populatus, Papienſes auro redimere pacem coegit, Othone VVolfratshuſio ad vrbis mœnia amiſſo: Bononienſes & Æmilienſes cum Imperatore in gratiam reduxit, & citeriorem Italiam omnem, terrore armorum circumlato, ſubegit. Rauennæ, vbi hybernatum eſt, de ratione belli aduerſus Rogerium gerendi cum Lothario deliberauit. Ambo deinde Viterbij Menſe Martio Anni trigeſimi ſeptimi cum Pontifice congreſſi prouincias inter ſe partiuntur. Henrico cura tuendi Pontificis & Capuani Principatus Roberto reſtituendi data, aſſignataque tria Equitum millia, quorum paucitatem primi Albani contemnere auſi, inuictâ vim, expugnatâ ciuitate, ſunt experti. Campaniam inde ingreſſus haud procul Caſſino monte caſtra poſuit,

HENR. DVCIS IN ITALIA FACTA.

al. Hariſtallum.

MCXXXVII.

ſuit, quòd eius incolæ Anacleti Spurij Pontif. & Rogerij Siculi partes fouerent; de quibus deſerendis cùm per Henrici Feciales monerētur, Rainaldus Abbas iam inclinatos ad ſaniora conſilia Monachos, Gregorio Atenulphi Filio cum exercitu clàm recepto, à propoſito deterruit, corruptíſque ſegetibus rei frumentariæ inopiâ caſtra afflixit. Henricus præſenti difficultate motus & temporis redimendi ſtudio cum Abbate paciſcitur, aureóque calice & magno argenti pondere delinitus dignitatem illi Imperatoris nomine confirmat, & vexillum prætorium per D. Benedicti Ædem traductum in ſumma arce collocat, motíſque caſtris Capuam verſus contendit. quacunque iret, magni ad eum vndique facti concurſus ſe ſuáque dedentium & præſens in Innocentio Numen adorantium. Beneuentani curſum aliquamdiu ſunt morati, ſciſſi in factiones & quid ſperarent quídue metuerent incerti. Iam de pace vltro citróque commeantibus Legatis, laxatæ excubiæ fuerant remiſerátque obſidionis ardor. Id à factioſis obſeruatum RES AD BENEVENTVM.
 tum

tum penè in exitium noſtrorum vertiſſet. improuiſò effuſi portis caſtra adoriuntur magnam vtique cladem & memorabilem illaturi, niſi Dux pro milite peruigilaſſet. Henricus enim hæc quoque furta belli iam olim præmeditatus, conſilio iuxta manúque præſens nonmodò caſtra tutatus eſt, ſed circumducto procul à conſpectu hoſtium milite, ſuis eos artibus præcipitatos in inſidias euertit. cæſorum captorúmque numerum inde æſtimes, quòd de vrbe tuenda illico ſit deſperatum. quin etiam prodita eſt priuſquam dederetur; iámque ad prædam diſcurrebat miles, niſi Henricus Pontificis autoritate motus auaritiæ frenum inieciſſet. Seruata vrbe Innocentium ad Imperatorem, Arci Barenſi in Apulia aſſidentem abduxit, & longiùs inde progreſſus Troiam, Garganum, Sipontum, Barulum imperata facere coegit. Comitiis deinde Melphitanis interfuit, quibus poſt longam intricatámque diſceptationem Monachi Caſſinenſes cum Pontifice ſunt reconciliati. Tum denique iunctis copiis reliquias belli perſecuti, nullóque loco

Roge-

Digitized by Google

Rogerium paſſi conſiſtere, tota eum Italia exegere. in Siciliam refugientem cùm perſequi Lotharius cogitaret, miles deſiderio patriæ militiam peroſus magnas illius cogitationes incidit. Sed & fata, velut manu iniectâ, breui moriturum vetuerunt gloriæ inſiſtere, ne hoc quidem conceſſo, vt viuum in triumphali curru Germania Cæſarem, ſed exanimem in ſandapila reciperet. Tridenti enim morbo correptus in aſperrimis, qui Lycum & Oenum diuidunt, montibus, in caſa ruſticana vltimum ſpiritum poſuit Viuus Mortuúſque Principibus pro ſpeculo futurus. Eum Otho Friſingenſis cum Carolo Magno ita comparat, vt neminem ex Cæſaribus propiùs exiſtimet illius viri veſtigia preſſiſſe. Iam Petrus Diaconus homo Italus rudibus verbis inſignes in eum laudes congerit, *Cæcorum Baculum*, *Eſurientium Cibum*, *Miſerorum Spem, Conſolationem Lugentium* verè appellitans; idem etiam oculatus pietatis Lotharij teſtis morem perquàm religioſum ne inter caſtrenſes quidem tur-

LOTHARII CÆS. MORS.

In Chron. Caſ ſinenſi.

LOTHARII PIETAS.

bas ab eo omiſſum cōmemorat, ternis quotidie Sacerdotibus ad Aram litantibus aſſiſtendi: vt primi quidem ſacrificij fructum ferre mortuos vellet; altero exercitum luſtraret; tertio præſens ſibi propitiúmque Numen redderet; ſolitus inſuper cum Richiza Auguſta adulolui inopum pedibus, affusâ calidâ ſordes eluere, imprimere oſcula & lautis demum dapes etiam inferre; quæ quò rariùs ſpectantur in purpura, eò propiùs ad orbis miracula accedunt; quibus neque tugurij vilitas, in quo hominem Lotharius exuit, offudiſſe tenebras cenſenda eſt; quin potiùs ita ſtatuendum, viſum Superis eundem virum, qui viuens moderati Imperij & Fortunæ reuerenter habitæ tot exempla ediderat, ſub mortem etiam obijcere mortalibus, quibus nihil æquè profuerit, quàm humanæ felicitatis genium agnoſcere; de cuius fide quid ſibi ſpondeant quantumcunque beati, qui eam vident tam proteruè Cæſaribus illudere? Corpus Lotharij per Auguſtam & Orientalem Franciam in Lutherenſe, quod ipſe condiderat, Cœnobium illatum eſt.

Anna-

Digitized by Google

Annales vitæ eius & illuſtrium factorum ne poſteritati exciderent, in plumbeis deſcripti laminis vnà cum corpore in Mauſoleo depoſiti. additum etiam carmen Epitaphium, cuius vltimi verſus de fatali eius die teſtimonium ferunt:

Exuitur membris heu trina luce Decembris,
Eccleſiæ gemitus illius eſt obitus.

De anno etiam ſcriptores variant, vt tamen plures trigeſimo ſeptimo eum efferant; quibus ſubſcribere viſum. Reſpublica, quæ viuente ipſo, quemadmodum Vrſpergenſis loquitur, titubare non potuit, grauiter, eo mortuo, concuſſa eſt; vt Otho Friſingenſis, qui Henrico eius Vrbis Epiſcopo hoc anno defuncto ſuffectus eſt, non dubitarit ſcribere, timendas orbis terrarum ruinas fuiſſe, niſi ſanctorum virorum humeris, quorum id æuum ferax fuerit, incubuiſſet: inter quos Atlantes ille ipſe Otho, cuius hoc iudicium fuit, optimo iure referendus eſt. ita enim vitam à puero inſtituit & per reliquos deinceps annos, maximè vnum & viginti extremos, quos in Epiſcopatu eius numerabimus,

Otho Friſing. l.7.cap.23.

Dodech. III. Cal. Dec. Auent. VIII. Idus Dec. mortuum tradidere.

Alb. Stadenſ. Dodechinus. Otho Friſing. Auct. Sigeb. Chron. Hirſ. aug. Reicherſperg.

OTHONIS FRISINGENSIS EPIS. NATAL. & VIRTVTES.

 bimus,

bimus, egit, vt non ſui tantùm ſæculi columen, ſed noſtri etiam norma dici poſſit & Magiſter inſuper; cùm eius operâ longè factum ſit eruditius, fruatúrque doctiſſimis ingenij eius monimentis, vnde huic quoque lucubrationi auctoritatem ſæpe accerſimus & fidem. vt omnia in eo ſumma eſſent, genus etiam eminuit. Leopoldo Auſtrio, quem Sanctum appellamus, natus communem cum Conrado, quem mox Imperatorem producemus, matrem Agnetem Henrici V. ſororem ſortitus eſt: Leopoldi verò, qui præter paternum Auſtriæ, etiam BOIARIÆ Principatum mox geret, Henrici item & Conradi, quorum alter primus ex Marchione Auſtriæ Dux, alter Batauenſis & Salisburgenſis Epiſcopus creabitur, germanus frater fuit. Virtus nihilominus longè ſupra nobilitatem eminuit; quam cùm Pater eius optimus cæleſtium opum æſtimator in eo agnoſceret, aris adhuc puerum deſtinauit, & Neoburgenſi à ſe condito Collegio præfecit. ſed quòd parùm ſeueris legibus illic Myſtæ viuerent, probatius ſanctitatis inſti-

MONASTICE OTHONIS.

inſtitutum Orbi à D. Bernardo nuper inuectum in Morimundenſi Cœnobio eſt amplexus, & paulo pòſt alios Abbas rexit, donec Friſingenſis mitra in dignisſimum caput aſcendit. Sed nunc motus, in quos honoris eius initia inciderunt, oratione explicemus.

Lotharius moriens Imperij inſignia apud Henricum Boiariæ Principem depoſuerat, haud dubiè, ſi vota valerent, neminem alium in Imperio ſucceſſorem habiturus; quò vt illi viam muniret, ad paternum Boiariæ Principatum etiam Saxoniam adiecerat; Hetruriâ inſuper magnâque parte Italiæ fidei illius commiſsâ. quo factum eſt, vt à mari infero ſuperóque, vſque ad Oceanum Germanicum ſinúmque Codanum continenti omnia imperio complexus gloriari verè quidem, non tamen ſine inſolentiæ nota, ſolitus ſit, *Dominari ſe à mari vſque ad mare*, diuinis laudibus compoſitum carmen potentiæ ſuæ accommodans. Inflabat viri ſpiritus etiam perpetua in armis felicitas Italicis maximè bellis ſpectata; quibus tantundem ei gloriæ, quantum

VI. Henrici Boiar. dvcis potentia.

Otho Friſing. Trith Chron. Hirſ. Vrſperg.

Lothario, cuius auſpiciis pugnauerat, partum eſt; cùm multa ipſe ſine Cæſare proſperè, Cæſar ſine ipſo nihil ferè magnæ rei egiſſet. Proinde Coronæ Germanicæ ita imminebat, vt ne ſolicitè quidem ambiendam ſibi, ſubmouendóſque ab ea æmulos putaret, quos dignatione tam longè anteiret. Eo tam ſecuro Henrici faſtu proceres reliqui vehementer offenſi negarunt Regem ſe lecturos, qui iam ante comitia imperaret, & nefas crederet aliquid ſibi ab omnibus negari, pro quo ipſe ſupplicare erubuiſſet; & nimirum iam olim fatale Romano Imperio fuiſſe, Regem Superbum habere. Igitur quanquam Comitiis in Pentecoſten Moguntiæ habendis dies dicta erat, ne tamen eorum libertatem Henrici potentia opprimeret, Principum nonnulli Confluentiæ mediis Eſurialibus congreſſi tempus anteuerterunt; nulláque Henrici ratione habita Conradum Friderici ex Agnete Henrici V. ſorore Filium, cuius hucuſque multa mentio facta eſt, Regem crearunt. Non potuit Henrico non indigniſſimum videri, abſente ſe, cui duplicis

FASTVS INVISVS, ET CAVSA REPVLSÆ.

CONRADVS IMP. ELECTVS.

Digitized by Google

cis ſuffragij ius, BOIARIÆ Saxoniæque nomine debebatur, tantam rem peractam: proinde non modò Regem vitio lectum proclamauit, ſed proxima Pentecoſte Babenbergæ adeſſe iuſſus imperium contempſit; idque tanto confidentiùs, ſi verè Trithemius ſcripſit, vltro Regium ei nomen à nonnullis Principibus oblatum. Propridie nihilominus Kal. Iulias Ratiſbonæ ampliſſimis oneratus promiſſis, quæ poſtea variis ludificationibus in ventos abierunt, regia inſignia reddidit. paulo pòſt à Conrado Auguſtam inuitatus cùm caſtris ad Lycum poſitis eum officij ſui fideíque commonefaceret, nihil æqui impetrauit, cauſante Rege, nō poſſe ad eius magnitudinem quidquam accedere, niſi nouis honoribus abdicatione veterum locum feciſſet. Henrico non placebat incertas ſpes certis iacturis emere, & fortunarum facere verſuram; quanto ſimpliciùs Conradum facturum, ſi, omiſſis ambagibus, bellum, cuius cauſas quærat, apertè denunciet, quæque innoxio detrahere ſpolia geſtiat, armata manu inuadat; ſe quidem, ſi pugnandum dum

HENRICI DVCIS ET CONR. CÆS. SIMVLTATES.

dum ſit, neruos ſibi ipſi non inciſurum. Rex ad belli nomen conſternatus vrbe clanculum exceſſit, paucíſque comitantibus Herbipolim delatus Henricum proſcripſit; mox Goslariæ feriis Natalitiis vtriuſque eum Principatûs titulis exuit: & Saxoniam quidem Alberto Conſobrino illius; BOIARIAM Leopoldo Leopoldi S. Filio ſuo ex Matre fratri conceſſit.

HENR. DVX BOIAR. PROSCRIBITVR ET VTROQ: PRINCIPATV EXVITVR.

LEOPOLDVS LEOPOLDI S. F. MARCHIO AVSTRIÆ ADVERSVS HENRICVM SVPERBVM ET WELFONEM FR. DVX BOIARIÆ.

Iuſtas exauthorationis cauſas ne Otho quidem Friſingenſis ſuffecti Principis Leopoldi frater reperit, eámque in diuinitatis arcana conſilia reijcit, cui humanæ gloriæ faſtigia huiuſmodi fulminibus deijcere familiare eſt. & ſanè ſi Henricus Superbi cognomentum ex merito tulit, nihil neceſſe eſt alium nos ad ruinam quærere impulſorem. ſtat ipſa in præcipiti ambitio, neque facilè de culmine votorum ſuorum deſcendit,

Digitized by Google

dit, ſed delabitur, aliis magis quàm ſibi vtili caſu, ſi alienis exemplis ſapere mortales vellent. Inductum nihilominus inuidiâ Conradum ad Henrici euerſionem & ſuperioris temporis ſimultates & diffidentia tuendi honoris, florentibus æmuli integriſque fortunis, clarè arguunt. neque Otho noſter diffitetur, Henricum omnes apud Regem gratiæ aditus occupaſſe, irrito vbique labore & caſſis precibus, quarum rudis & inſueta eſt ſuperbia, vt ea hîc quidem Henrico impingi non poſſit. Verùm quocunque iure vel iniuria redactum in ordinem BOII mox deſeruerunt, vt diſcedentem in Saxoniam haud plures quaternis ſint comitati. Saxonum fides illuſtrior fuit. cùm prouinciam concionabundus obiret, & paruulum iis filium exquiſitiſſimis verbis commendaret, tantos vbique motus excitauit, vt operam ei ſuam in vltimos caſus addicerent. Subinde etiam BOII miſerati exilium Ducis, ad eum certatim peregrinantium habitu confluebant; itémque Sueui veteres Welfonum Clientes; ex quibus cùm exercitum confeciſſet, rectà

l. 7. c. 25.

BOII HENRICVM DESERVNT. CIↃCXXXIX.

SAXONVM ADVERSVS EVM CONSTANTIA.

HENR. ALBERTVM INFESTAT.

rectâ in Albertum cōſobrinum mouit, & Lunæburgo vi capto, totâ illum Saxoniâ eiecit. Conradum ipſum, qui ad ſe confugientem proximâ æſtate Bohemicis auxiliis, quæ gentis Princeps adduxerat, reſtituere parabat, tanta virtute prope Hamburgum excepit, vt cum eo paciſci quàm bellare Rex maluerit. Recuperatâ in hunc modum Saxoniâ, in BOIARIAM curas & iter vertit ſecurus de ſucceſſu, niſi maior vis armatâ interueniſſet. Quedlinburgi iuris ſui apud Regem diſceptandi causâ ſubſiſtentem mors in veneno, vti creditum eſt, propinata oppreſſit, XIII. Kal. Octob. Humatus eſt in Lutherenſi Cœnobio iuxta ſocerum *omnium ſui æui mortalium audaciſſimus*, quod elogium minimè erubeſcendum hominum maledicentia in Superbiam detorſit. Filium reliquit Henricum Leonem, non ſine præſagio virtutis eius, à fortiſſimo animali nomen mutuatum, vt ſequens hiſtoria demonſtrabit. Interim dum adoleſcit, Welfonis patrui ipſius res exequemur. Leopoldus Principatu BOIARIÆ adito

Trithem. *Alb. Stad.*

VENENO EXTINGVITVR.

Trithem.

LEOPOLDI

adito, Proceribus partim ſponte, partim metu ad ſe confluentibus, Ratiſbonam in poteſtatem adduxerat; inde ad Lyeum vſque progreſſus haud æquè pronam eam prouinciæ partem expertus vexatúſque à Clientelis Welfonum, inultus domum rediit. Morte Henrici nunciatâ, arma in germanos fratres Ottonem & Conradum Phaleiæ Comites, qui Henrici partes acerrimè tutati fuerant, ſumpſit, eóſque in ſua arce obſedit. Welfo eorum periculo motus auxilia amicis adduxit, factóque in obſidentes impetu, ſibi gloriam, obſeſſis libertatem peperit. Toti deinde Principatui imminens Conradi in ſe Regis arma concitauit. Non procul Neresheimio primùm, iterúmque Ellenhofij cum Friderico Regis fratre congreſſum & damnis magnis vtrinque acceptis illatíſque inferiorem acie exceſſiſſe comperio. Ne animos ſubmitteret, & ſi minus Regi, at certè tempori Fortunæque cederet, ſtimuli ab Innocentio Pontifice Welfoni admoti effecere; quòd is à cogitationibus inuadendæ Siciliæ, niſi excitato potenti æmulo, dimoueri

IN BOIOARIA RES GESTÆ. *Chrō. VVeingartt. Vrſperg.*

WELFO PHALEIÆ COMITES BELLO IVVAT.

CÆSAREIS ARMIS APPETITVR. *Trithem. Ioan. Faber in Sueuicis.*

Trithem.

bimus, egit, vt non ſui tantùm ſæculi columen, ſed noſtri etiam norma dici poſſit & Magiſter inſuper; cùm eius operâ longè factum ſit eruditius, fruatúrque doctiſſimis ingenij eius monimentis, vnde huic quoque lucubrationi auctoritatem ſæpe acceſſimus & fidem. vt omnia in eo ſumma eſſent, genus etiam eminuit. Leopoldo Auſtrio, quem Sanctum appellamus, natus communem cum Conrado, quem mox Imperatorem producemus, matrem Agnetem Henrici V. ſororem ſortitus eſt: Leopoldi verò, qui præter paternum Auſtriæ, etiam BOIARIÆ Principatum mox geret, Henrici item & Conradi, quorum alter primus ex Marchione Auſtriæ Dux, alter Bataueñſis & Saliſburgenſis Epiſcopus creabitur, germanus frater fuit. Virtus nihilominus longè ſupra nobilitatem eminuit; quam cùm Pater eius optimus cæleſtium opum æſtimator in eo agnoſceret, aris adhuc puerum deſtinauit, & Neoburgenſi à ſe condito Collegio præfecit. ſed quòd parùm ſeueris legibus illic Myſtæ viuerent, probatius ſanctitatis

MONASTICE OTHONIS.

inſti-

Digitized by Google

inſtitutum Orbi à D. Bernardo nuper inuectum in Morimundenſi Cœnobio eſt amplexus, & paulo pôſt alios Abbas rexit, donec Friſingenſis mitra in dignißimum caput aſcendit. Sed nunc motus, in quos honoris eius initia inciderunt, oratione explicemus.

Lotharius moriens Imperij inſignia apud Henricum BOIARIÆ Principem depoſuerat, haud dubiè, ſi vota valerent, neminem alium in Imperio ſucceſſorem habiturus; quò vt illi viam muniret, ad paternum BOIARIÆ Principatum etiam Saxoniam adiecerat; Hetruriâ inſuper magnáque parte Italiæ fidei illius commiſsâ. quo factum eſt, vt à mari infero ſuperóque, vſque ad Oceanum Germanicum ſinúmque Codanum continenti omnia imperio complexus gloriari verè quidem, non tamen ſine inſolentiæ nota, ſolitus ſit, *Dominari ſe à mari vſque ad mare*, diuinis laudibus compoſitum carmen potentiæ ſuæ accommodans. Inflabat viri ſpiritus etiam perpetua in armis felicitas Italicis maximè bellis ſpectata; quibus tantundem ei gloriæ, quantum Lotha-

VI. HENRICI BOIAR. DVCIS POTENTIA.

Otho Friſing. Trith Chron. Hirſ. Vrſperg.

Lothario, cuius auſpiciis pugnauerat, partum eſt; cùm multa ipſe ſine Cæſare proſperè, Cæſar ſine ipſo nihil ferè magnæ rei egiſſet. Proinde Coronæ Germanicæ ita imminebat, vt ne ſolicitè quidem ambiendam ſibi, ſubmouendóſque ab ea æmulos putaret, quos dignatione tam longè anteiret. Eo tam ſecuro Henrici faſtu proceres reliqui vehementer offenſi negarunt Regem ſe lecturos, qui iam ante comitia imperaret, & nefas crederet aliquid ſibi ab omnibus negari, pro quo ipſe ſupplicare erubuiſſet; & nimirum iam olim fatale Romano Imperio fuiſſe, Regem Superbum habere. Igitur quanquam Comitiis in Pentecoſten Moguntiæ habendis dies dicta erat, ne tamen eorum libertatem Henrici potentia opprimeret, Principum nonnulli Confluentiæ mediis Eſurialibus congreſſi tempus anteuerterunt; nullâque Henrici ratione habita Conradum Friderici ex Agnete Henrici V. ſorore Filium, cuius hucuſque multa mentio facta eſt, Regem crearunt. Non potuit Henrico non indigniſſimum videri, abſente ſe, cui dupli-

FASTVS INVISVS, ET CAVSA REPVLSÆ.

CONRADVS IMP. LECTVS.

cis

cis ſuffragij ius, BOIARIÆ Saxoniæque nomine debebatur, tantam rem peractam: proinde non modò Regem vitio lectum proclamauit, ſed proxima Pentecoſte Babenbergæ adeſſe iuſſus imperium contempſit; idque tanto confidentiùs, ſi verè Trithemius ſcripſit, vltro Regium ei nomen à nonnullis Principibus oblatum. Propridie nihilominus Kal. Iulias Ratiſbonæ ampliſſimis oneratus promiſſis, quæ poſtea variis ludificationibus in ventos abierunt, regia inſignia reddidit. paulo pòſt à Conrado Auguſtam inuitatus cùm caſtris ad Lycum poſitis eum officij ſui fideique commonefaceret, nihil æqui impetrauit, cauſante Rege, nõ poſſe ad eius magnitudinem quidquam accedere, niſi nouis honoribus abdicatione veterum locum feciſſet. Henrico non placebat incertas ſpes certis iacturis emere, & fortunarum facere verſuram; quanto ſimpliciùs Conradum facturum, ſi, omiſſis ambagibus, bellum, cuius cauſas quærat, apertè denunciet, quæque innoxio detrahere ſpolia geſtiat, armata manu inuadat; ſe quidem, ſi pugnandum

HENRICI DVCIS ET CONR. CÆS. SIMVLTATES.

dum ſit, neruos ſibi ipſi non inciſurum. Rex ad belli nomen conſternatus vrbe clanculum exceſſit, paucíſque comitantibus Herbipolim delatus Henricum proſcripſit; mox Goslariæ feriis Natalitiis vtriuſque eum Principatûs titulis exuit: & Saxoniam quidem Alberto Conſobrino illius; BOIARIAM Leopoldo Leopoldi S. Filio ſuo ex Matre fratri conceſſit.

HENR. DVX BOIAR. PROSCRIBITVR ET VTROQ: PRINCIPATV EXVITVR.

LEOPOLDVS LEOPOLDI S. F. MARCHIO AVSTRIÆ ADVERSVS HENRICVM SVPERBVM ET WELFONEM FR. DVX BOIARIÆ.

Iuſtas exauthorationis cauſas ne Otho quidem Friſingenſis ſuffecti Principis Leopoldi frater reperit, eámque in diuinitatis arcana conſilia reijcit, cui humanæ gloriæ faſtigia huiuſmodi fulminibus deijcere familiare eſt. & ſanè ſi Henricus Superbi cognomentum ex merito tulit, nihil neceſſe eſt alium nos ad ruinam quærere impulſorem. ſtat ipſa in præcipiti ambitio, neque facilè de culmine votorum ſuorum deſcendit,

Digitized by Google

dit, ſed delabitur, aliis magis quàm ſibi vtili caſu, ſi alienis exemplis ſapere mortales vellent. Inductum nihilominus inuidiâ Conradum ad Henrici euerſionem & ſuperioris temporis ſimultates & diffidentia tuendi honoris, florentibus æmuli integriſque fortunis, clarè arguunt. neque Otho noſter diffitetur, Henricum omnes apud Regem gratiæ aditus occupaſſe, irrito vbique labore & caſſis precibus, quarum rudis & inſueta eſt ſuperbia, vt ea hîc quidem Henrico impingi non poſſit. Verùm quocunque iure vel iniuria redactum in ordinem BOII mox deſeruerunt, vt diſcedentem in Saxoniam haud plures quaternis ſint comitati. Saxonũm fides illuſtrior fuit. cùm prouinciam concionabundus obiret, & paruulum iis filium exquiſitiſſimis verbis commendaret, tantos vbique motus excitauit, vt operam ei ſuam in vltimos caſus addicerent. Subinde etiam BOII miſerati exilium Ducis, ad eum certatim peregrinantium habitu confluebant; itémque Sueui veteres Welfonum Clientes; ex quibus cùm exercitum confeciſſet, rectà

l. 7. c. 23.

BOII HENRICVM DESERVNT. CIↃCXXXIX.

SAXONVM ADVERSVS EVM CONSTANTIA.

HENR. ALBERTVM INFESTAT.

rectâ in Albertum cõſobrinum mouit, & Lunæburgo vi capto, totâ illum Saxoniâ eiecit. Conradum ipſum, qui ad ſe confugientem proximâ æſtate Bohemicis auxiliis, quæ gentis Princeps adduxerat, reſtituere parabat, tanta virtute prope Hamburgum excepit, vt cum eo paciſci quàm bellare Rex maluerit. Recuperatâ in hunc modum Saxoniâ, in BOIARIAM curas & iter vertit ſecurus de ſucceſſu, niſi maior vis armatâ interueniſſet. Quedlinburgi iuris ſui apud Regem diſceptandi cauſâ ſubſiſtentem mors in veneno, vti creditum eſt, propinata oppreſſit, XIII. Kal. Octob. Humatus eſt in Lutherenſi Cœnobio iuxta ſocerum *omnium ſui æui mortalium audaciſſimus*, quod elogium minimè erubeſcendum hominum maledicentia in Superbiam detorſit. Filium reliquit Henricum Leonem, non ſine præſagio virtutis eius, à fortiſſimo animali nomen mutuatum, vt ſequens hiſtoria demonſtrabit. Interim dum adoleſcit, Welfonis patrui ipſius res exequemur. Leopoldus Principatu BOIARIÆ adito

Trithem.
Alb. Stad.

VENENO EXTINGVITVR.

Trithem.

LEOPOLDI

adito, Proceribus partim ſponte, partim metu ad ſe confluentibus, Ratiſbonam in poteſtatem adduxerat; inde ad Lycum vſque progreſſus haud æquè pronam eam prouinciæ partem expertus vexatúſque à Clienteiis Welfonum, inultus domum rediit. Morte Henrici nunciatâ, arma in germanos fratres Ottonem & Conradum Phaleiæ Comites, qui Henrici partes acerrimè tutati fuerant, ſumpſit, eóſque in ſua arce obſedit. Welfo eorum periculo motus auxilia amicis adduxit, factóque in obſidentes impetu, ſibi gloriam, obſeſſis libertatem peperit. Toti deinde Principatui imminens Conradi in ſe Regis arma concitauit. Non procul Neresheimio primùm, iterúmque Ellenhofij cum Friderico Regis fratre congreſſum & damnis magnis vtrinque acceptis illatíſque inferiorem acie exceſſiſſe comperio. Ne animos ſubmitteret, & ſi minus Regi, at certè tempori Fortunæque cederet, ſtimuli ab Innocentio Pontifice Welfoni admoti effecere; quòd is à cogitationibus inuadendæ Siciliæ, niſi excitato potenti æmulo, dimoueri

IN BOIARIA RES GESTÆ. *Chrō. VVeingart. Vrſperg.*

WELFO PHALEIÆ COMITES BELLO IVVAT.

CÆSAREIS ARMIS APPETITVR. *Trithem. Ioan. Faber in Sueuicis.*

Trithem.

Conradum poſſe deſperaret. Illuſtris inter alterna odia rerum Winsbergæ geſtarum memoria eſt; quo ex loco cùm Welfo vltimo anni menſe, qui quadrageſimus fuit, in caſtra regia eruptionem maiore audacia quàm ſucceſſu feciſſet, locus virtuti muliebri datus eſt; cuius haud facilè illuſtrius documentum in vllis annalibus reperias. Iam dedendæ arcis leges ferebantur, & matronæ à victore impetrârant, vt quantum ſuarum rerum efferre humeris poſſent, eo onuſtis abire liceret. arbitrantibus cunctis, mundum muliebrem, cuius prima illi ſexui cura, totam ſarcinam fore; repente maritis ſingulæ ſuis ſuccollantes, & quoquomodo hærentium pendulorúmque baiulæ pulcherrimum fidei coniugalis ſpectaculum totis caſtris præbuere. Vnus omnino Fridericus Regis frater, qui ſævire in viros deſtinauerat, hanc piam fraudem accuſare auſus eſt, per quam deuota iam morti capita ſupplicio eriperentur. Sed Conradus ferocientem compeſcuit, & interpres factus ſuæ liberalitatis negauit, ſe, qui Auaritiæ qualecunq; ſpolium conceſſurus

A.MCXL.

NOBILE PIETATIS CONIVGALIS IN FOEMINIS EXEMPLVM.

ſurus fuerit, Pietati hanc tam raram & laudabilem prædam extorturum: non debere fœminis fraudi eſſe, quòd maritos auro chariores habuerint; & intereſſe non modò fidei ſuæ, ſed totius generis humani, vt eiuſmodi exempla in luce publica ponantur; quæ qui exſcindere velit, cum non cum hominibus, ſed ipſa humanitate pugnaturum. Welfonem aduerſis caſibus fractum Leopoldi mors, ſequenti anno, qui quadrageſimus primus fuit, obita iterum erexit. Leopoldum Ratiſbonæ Iuri dicundo & ordinandæ prouinciæ intentum, Otto Wittelſpachius Welfonum partibus addictior interpellauerat, & excitato populari tumultu in magnum diſcrimen adduxerat; quo ne opprimeretur, ſparſis per vrbem incendiis ciuibúſque ad ſua tutanda dilapſis, viam ſibi ad fugam aperuit. Sed mox cum exercitu reuerſus, caſtríſque in conſpectu vrbis poſitis, omnem latè agrum populatus & ciuibus vltima minitans ſalutem eos redimere auro coëgit. Recrudeſcente deinde dedecoris ad Phaleiam accepti memoriâ, ad Lycum vſque progreſſus

LEOPOLDI BOIAR. D. MORS. MCXLI. *Otho Friſing. l. 7. c. 25.* VLTIMA EIVS ACTA.

munimenta factioſorum ſolo æquauit, agreſtium opes igne corrupit: cúmque per Othonis Friſingenſis Epiſcopi germani fratris prouinciam exercitum reduceret, ne illic quidem à maleficio abſtinuit, ineſcato iam prædarum dulcedine milite & haud facilè poſt acceptam rapiendi licentiam ad modeſtiam reuerſuro. Ratiſbonam vbi attigit, tentatus morbo in patriam iter intendit; ſed Altaichii coactus ſubſiſtere XII. Kal. Nouembr. finem viuendi fecit. Cadauer Monaſterio S. Crucis, quod à Patre fundatum egregiè locupletarat, illatum eſt. Hinc nouæ Welfoni ſpes ortæ recuperandi Principatus. ſed eas Conradi in ſuum ſanguinem propenſio incidit. Sequenti mox anno Ratiſbonæ in publicis Comitiis Henricum Leopoldi ſuúmque fratrem Ducem ſalutauit, eíque Gertrudem Henrici Superbi viduam, Lotharij Filiam matrimonio copulauit, cùm ea prius Henricum Leonem F. induxiſſet, vti vitrico de iure ſuo, quo BOIARIAM repetebat, concederet. Nihilominus illo quieſcente, Welfo patruus nouas turbas dedit, raptóque

Auent.

MCXLII.
Othol. 7. c. 26.
Henricus Joſamer Gott (*Ita me Deus*) *à familiari ſuo dicto appellatus.*
WELFO TVMVLTVATVR.

ptóque in BOIARIAM milite, nullo genere cladis temperauit.

HENRICVS XI. LEOPOLDI FR. DVX BOIARIÆ.

Recedentem Henricus Dux inſecutus eſt; cúmque per Friſingenſem agrum copias duceret, lugenda vbique incolis veſtigia reliquit, non ſine inſigni Sacrorum Cenſuum diminutione. Friſinga adeò quòd Welfonis clientes recepiſſet, hoſtiliter vexata ſuíſque munitionibus nudata eſt. Welfo ad opem ferendam reuocatus, audito Conradi Regis aduentu, imparem duobus ſe profeſſus retro, vnde venerat, abiit. Ita vtriuſque impetum arx Dachouia magno ſuo malo excepit tulítque tamdiu, donec Conradus loci dominus vaſtitate magis agri quàm obſidionis ærumnis deditionem facere compulſus eſt. Arci à victoribus faces ſubditæ. Victus ad Henricum Wolfratshuſium cognatum ſe contulit; vbi illum paulo pòſt captiuum, & denique Dalmatiæ Ducem videbimus. Batauenſes interim & Brixinenſes alios Pontifices accepere. Prio-

FRISINGA CLADEM PASSA.

DACHOVIA EXVSTA.

ris triſtes exitus, poſterioris læta initia, commemorabimus. Regimarus Batauenſibus ſeptendecim annos ita præfuerat, vt priuatis eius vrbis Annalibus Eccleſiæ deſertor vocetur; etſi cauſæ proditæ non ſunt tam probroſæ appellationis; niſi quòd diuini cultus amplificandi negligentiorem fuiſſe, ex Commentario rerum à D. Altmanno geſtarum intelligitur; quod mirabili oſtento palàm facere mortalibus, eodem, quo Regimarus obiit, anno (quadrageſimus primus fuit) Numini placuit. Quidam conſortio cælitum clarus poſtulari eum velut in iudicio à B. Altmanno, à quo hic tertius Epiſcopatum geſſit, videre ſibi viſus eſt, iuſſúmque Reipub. malè geſtæ rationem reddere; quam cùm florentiſſimam accepiſſet, ignauiâ ſuâ peſſundederit. Regimarum cùm neque obiecta diluere, neque incuriæ cauſam dicere poſſet, iudicum ſententiis eſſe damnatum. Fidem viſo & hominis mores & ſubſecuta breui mors adſtruxere. Ei Reginbertus Comes Peilſtainius ſucceſſit; cuius opus eſt Pons Oeno impoſitus, quo Boiodurum, ſiue, vt hodie appel-

REGIMARI EP. PASSAV: INFELIX MORS.

Digitized by Google

appellant, Oeni Ciuitatem Batauis coniunxit. Proximo poſt Regimari mortem anno Reinbertus Brixinenſis diſceſſit, Monaſteriorum Montis S. Georgij, vti alibi dictum eſt, & Wilthinenſis fundator; etſi hoc multo maius ſibi ſenium & Gigantem auctorem arrogat. Reinberto Hartmannus ſuffectus eſt in Batauenſi agro natus, & ad D. Nicolai in ſuburbio eius ciuitatis olim Canonicus, vir vndequaque maximus & multò maius patriæ ſuæ, imò BOIARIÆ vniuerſæ fidus futurus, quàm Regimarus næuus fuerit. E Neoburgenſi Auſtriæ Cœnobio ad Inſulam vocatus cùm ſimilem Brixinæ ſeceſſum non inueniret, Reinbertum Dynaſtam nobilem ad domicilium Religioni condendum inuitauit: à quo cùm eum tenerior in filium affectus, cui deſtinatas opes nolebat accidere, retraheret, paulo pòſt mutata mente Deum auſus eſt precari, ne Filium prouiuere pateretur in noxiam ſibi ſenectam, ſed repeteret tempeſtiuè illibatum ſpiritum, ſi vlla vnquam labe deflorandum præſciret. Deus votum ratum habuit, & innocente filio morti

B. HARTMANNI EP. INITIA.

PIVM PATRIS PRO FILIO VOTVM.

addicto, hæreditatem eius occupauit; quam Reinbertus haud grauatè ex conſilio Hartmanni expendit, & Monaſterio Nouæ Cellæ nomen indidit tot Hartmanni virtutibus implendæ, vt neque produci hîc omnes poſſint, quæ vltro in publicum prodiere, ſuis locis ſpectabuntur. Porro etiam Othonis Friſingenſis ſumptu, hoc tempore in agro ſuburbano Noua Cella ſurrexit, Præmonſtratenſium ſedes, D D. Marini Scoti Epiſcopi & Teclani Diaconi Diui Virgilij in excolendâ BOICA collegarum, tumulo, qui idem ægris vitæ fons eſt, nobilis: quemadmodum in vicina quoque Æde, quæ ſub Nouæ Cellæ tutela eſt, Eberhardus opilio votis frequentatur, vbi bonus hîc olim pecoris cuſtos nunc quoque antiquum ſuum obtinet, & glebæ, qua tegitur, ſalutarem aduerſus noxia animantibus venena vim inſpirat, expetitam propterea ab agreſtibus vt certiſſimum amuletum. Idem Otho Schefftlarienſe vetus & ſub Thaſſilone ortum Monaſterium è ruinis extraxit & iiſdem D. Norberti Aſſeclis tradidit. In Schlechdorffenſe & Schlierſ-

ORIGO MONAST. NOVÆ CELLÆ.

B. EBERHARDI OPILIONIS MEMORIA.

SCHEFFTLARIENS. MON. REPARATVM. ITEM SCHLIERS-

Schlierſſenſe pari ſtudio repurgata D. Auguſtini leges induxit. quibus omnibus monumentis etiam Henrici Fratris Boiariæ Ducis nomen inſerendum eſt, qui altera Othonis in his piis conatibus manus fuit. Eodem tempore Wolfherus Tegernbachius cum vxore Hemma D. Bernardi Sodales in gentilitio fundo ſuo collocauit. eos paulo pòſt Conradus Saliſburgenſis Raittenhaslachium transtulit, quòd opportunior ea colendæ pietati ſedes videretur. Ductæ inſuper è Boiaria, effloreſcente Piorum multitudine, etiam in vicinas prouincias coloniæ, Scoti, quos Ratiſbonæ receptos diximus, nominis ſui famâ Germaniam impleuerant. Miro animorum candore & antiquis moribus proximi primis ſeueræ ſanctitatis magiſtris & habebantur & erant, dicere facereque ſoliti nunquam niſi in illuſtri virtute ſpectata. hinc eorum deſiderium paſſim natum & optata præſentia. Primus illos ad ſe Embrico VVürceburgenſis Epiſcopus accerſiit, eáque occaſione Macario potitus eſt viro ſancto; qui cùm ſibi vini vſu in perpetuum inter-

Se: et Schlechdorff:

Monast: Raittenhaslach:

Chron. Ratisb. Trithem in Chron. Franciſc. Grienevvald.

Scotorvm coloniæ.

B. Macarii Scoti ſanctitas.

interdixiſſet, pocillũ, quod moris eius neſcij vel negligentes mero impleuerant, cruce ſignatum coëgit ſibi fontanam propinare, à ſummis viris miraculi affirmandi cauſâ libatam. Poſt ſeptennium Romæ Pontif. Eugenij conuiua, ruinam turris, quam templo ſuo adiunxerat, velut præſens aſſiſteret, ſuper menſam vulgauit; aliáque his conſentientia viuus mortuúſque patrauit, quibus Diui nomen meruit. Poſt decimum quintum huius coloniæ annum, alteram Sanctinus cum viginti quatuor ſociis Viennam duxit Henrici Auſtrij auſpiciis vocatus. Aichſtadium Gerardus migrauit, publico omnes commodo, neque ſine BOIARIÆ gloria, quæ prima talibus viris hoſpitium præbuit. Sed illud fortaſſe in vulgus plauſibilius, quòd Imperatori Conſtantinopolitano hac tempeſtate Reginam & Auguſtam ſubmiſit, Ioanne Comneno eam affinitatem, & Manueli filio ſponſam expetente. Conradus Gertrudis coniugis ſuæ ſororem Bertham cum honeſtiſſima legatione, cuius princeps Embrico VVürceburgius Antiſtes fuit, eò deducendam

VVilh. Tyrius l. 16. Otho Friſing. Hund. lib. 1. Stemm: Boiariæ.

DVO CÆSARES BERENG. SVLEBACH. SOCERVM ADSCISCVNT.

cendam curauit. Gertrudem & Bertham Berengarij Sulzbachij nobiliſſimi Boiorvm Dynaſtæ filias fuiſſe, extra dubitationem eſt; cui raro felicitatis exemplo contigit, duas ex ſe natas filias in ſupremo rerum culmine iura dantes Orienti pariter & Occidenti aſpicere; vt eum pietatis ſuæ, quam aliquot Monaſteriis illius operâ conditis prædicauimus, non potuerit pœnitere. Sponſa Conſtantinopolim, Ioanne Comneno iam mortuo, & Manuele, cui deſtinabatur, rerum potiente, attigit. Nuptiç Ianuar. Menſe anni quadrageſimi quarti, proximâ poſt Regalia Dominicâ, regio apparatu celebratæ: Berthæ nomen, vt Græcis auribus inſolens, in Irenes mutatum. Dignam ea fortuna fuiſſe probati toti Græciæ mores oſtenderunt; alienus maximè ab omni faſtu animus & oſor adſcititij cultûs, quo eas duntaxat egere dicebat, quæ formam ſuam in ſcrinio circumferunt, & extra gemmas nihil habent, quod placere cuiquam poſſit: Modeſtiam, pudicitiam, conſtantiam & fidem Germanarum Heroidum mundum muliebrem Berchtæ sive Irenes Avg. mores.

eſſe,

eſſe, neque prætereà verecundiam alio eas purpuriſſo pingi. His nihilominus virtutibus, quas Nicetas Græcus ſcriptor eximiè laudat, mariti extinguere libidines non potuit: nam honorem vt Auguſtæ habere contentus amorem ſparſit in plures. Fato tamen ſibi ereptæ & ſublatæ ex oculis iacturam grauiſſimè tulit, & in paterno Pantocratoris Monaſterio magnificentiſſimè condidit. quo noſtrorum ſcriptorum error refellitur, qui eam marito ſuperſtitem rediiſſe in patriam tradidere.

Ex vita S. Othon. Babenberg. & S. Gebhardi Salisburg.

Conradus viciſſim, ante ſex, quàm hæc gererentur, annos, Henrico Filio Sophiam Belæ Vngarorum Regis Filiam expetierat; quæ cùm in Germaniam gentis imbuenda moribus migraret, in Admontenſi Cœnobio tantiſper iuſſa eſt ſubſiſtere, donec comitatu, qui regiam deceret nurum & filiam, addito, pro dignitate traduceretur. In eo apparatu, dum multa ex tranſuerſo incidunt, anni abiere; & patri mortuo Geiſa Filius in Regnum ſucceſſit. Henricus denique ipſe, quod ſuo loco dicetur, in primo ætatis flore præreptus patris &

ſpon-

Digitized by Google

ſponſæ vota fruſtratus eſt. Ibi regia virgo dedignata transferre amores ſuos in obnoxium iiſdem caſibus hominem, Luitgardis Ratiſbonenſis Matronæ, quę etiam ipſa Comitum ſanguis fuit, oratione impulſa res ſibi ſuas habere Mundum iuſſit, nullum alium præter Deum ſponſum habitura. Geiſa frater ſiue inuitam aſſeruari in Cœnobij anguſtiis credidit, ſiue aliam illi conditionem quæſiturus, ſæpe per literas, denique per legatos repetiit; ad quos iuſſa egredi, vt ſuæ ſpontis eſſe ſe etiamnum profiteretur, irritamenta omnia & expoſitas ad conuellendam eius conſtantiam illecebras Chriſtiano ſupercilio deſpiciens Sodalibus ſuis ſe reddidit, illud ſibi triumphale carmen modulata, *Regnum mundi & omnem ornatum ſeculi contempſi.*

VII. BELLVM BOIO-VNGARICVM. *Otho Friſ. l. 1. de Geſt Frid. c. 30. Benfin. Dec. 2. l. 6.*

Sed hæc poſtea contigere. nunc grauiſſimum bellum, quod Henricus BOIARIÆ Princeps cum Geiſa huius Sophiæ fratre geſſit, perſequamur. Intercedebant Henrico Duci cum Ratiſbonenſi Epiſcopo Henrico nihilo leuiores

Chron. Reicherſp. uiores lites, quàm quæ Henricum Superbum nuper & Leopoldum cum eo colliſerant. Eæ cùm in apertum denique bellum erupiſſent, Princeps Bohemos in partem, Epiſcopus Ottocarum Stirorum Marchionem acciuit; vt BOIARIA & ſuo & peregrino inundata milite bis miſera eſſet; cùm ob infelicem eius anni meſſem ne altâ quidem pace ſpes ſuppeteret euitandæ famis.

FAMES INVSITATA. Igitur neceſſitas omnia in cibum vertit. radices adeò corticéſque arborum commolebantur in aliquam panis ſimilitudinem. Nonnulli veterum Sarmatarum barbariem æmulati certis diebus venas iumentorum incidebant, de illorum ſanguine epulaturi. Fundebatur nihilominus etiam humanus ſtrenuè, & quaſi vno bello & publica fame nimis pauci perirent, dum ad Ratiſbonæ mœnia hæret Princeps, nonnulli ex Inferioris BOIARIÆ confinio priuatis auſpiciis Vngariam ingreſſi Poſonium, quod Preſburgum hodie eſt, primo impetu ceperunt. Id factum Iuliano neſcio cui Comiti Bonfinius attribuit, qui præmiſſo Rapoldo cum equitum cohorte

ad

Digitized by Google

ad occupandam portam, nullo deinde negotio vrbe ſit potitus. Geiſa re comperta per fecialem quærit ex Germanis, quo iure vel adeò more, contra antiqua fœdera, amicam vrbem, abſque denunciatione belli vel inimicitiarum, inuaſiſſent? Ad hæc illi, Borithij clientes eſſe ſe, ad quem regnum pertineat. nihil Cæſari, nihil BOIO Duci, ſed Borithio coronam quæri. Borithius hic Colomanni, qui quarto ante Geiſam loco imperauerat, ſe filium ferebat; qui quòd à patre non agnoſceretur, ab Vngaris quoque præteritus repudiatúſque, peregrinis auxiliis diu fruſtra ſolicitatis, tandem hanc tumultuariam manum ſolâ armatam audaciâ ad vrgendas cupiditates ſuas excitauerat. Geiſa furori quamprimum obuiam eundum ratus, delectu vndique habito, Poſonio circumfunditur, tormenta opportunis locis diſponit & vltimi exitij metu Germanos percellit. qui cùm & vires ſuas circumſpicerent, neque Borithij cauſam tanti facerent, vt pro eo in mortem ſibi ruendum putarent, de vrbis deditione cum Rege collocuti, pactique

GERMANI AB VNGARIS OBSESSI.

tria librarum millia excēdunt. ſuppreſſum magis quàm extinctum Geiſa incendiū exiſtimans, regerere illud in eius autorem Henricum BOIARIÆ Principem ſtatuit, quem minimè dubitabat primam facem ſubdidiſſe. Eum ergò cùm hoſtem iudicaſſet, ſeptuaginta armatorum ſtipatus millibus flumen Litham, qui ab Auſtrali Danubij latere Auſtriam Vngariámque diſpeſcit, inſidet. Henricus caſtris ad Viſcam poſitis, hoc iam ab initio peccauit, quòd exploratoribus imperitis ad hoſtium res cognoſcendas vſus eorum ignauiá proditus eſt: cùm viciſſim Geiſa, vixdum ex Ephebis egreſſus & eo primùm bello cum ſollenni Epiſcoporum apprecatione armatus nullam veterani Ducis partem omitteret. Ipſe ante ſigna volare, ordinare aciem, addere omnibus animos, & adoleſcens viris monſtrare artes bellandi; inueſtigare vadum, eóque reperto inobſeruatus hoſti tranſire, ignibus etiam fallendi cauſa excitatis. qui dolus ei adeo ex ſententiá proceſſit, vt noſtri diffugiſſe hoſtem crematis caſtris ſuſpicarentur. Vbi denique in conſpectu

GEISÆ PRÆMATVRA VIRTVS.

ſpectu fuit, Henricus nulla re ſatis præuiſa, neque præmonitis, qui ad diuerſa ſigna curabant, quid vel factum vellet, vel facto opus eſſet, ſignum dat inuadendi. Nihil ex diſciplina militari geſtum. miles temerè procurrere, & omnia in celeritate ſita arbitrari. Accendebat ferociam contemptio hoſtis neque armati ad morem noſtrum, neque ad molem exereſcentis. Equi hominéſque paululi & graciles ex Beſſis & Scythis collecti cornua prætexebant; qui primo noſtrorum incurſu protriti terrorem etiam in bipertitum agmen intulerunt, cui Rex eiúſque auunculus præſidebant: vnde cùm ſe nemo moueret, neque adeò telum mitteret, tanto ardentiùs noſtri ſigna inferebant; vt dubium nullum fuerit, poſterioribus turmis adnitentibus luculentam victoriam reportari potuiſſe. Sed cùm concitati pulueris vis omne oculis arbitrium eripuiſſet, & de primi agminis fortuna metus maior quàm ſpes eſſet, nec hoſte nec ſociis viſis, qui vltimi ſtabant ipſi ſeſe in fugam concitarunt. Id iam Vngari facturi erant, niſi noſtri præoccupaſſent, HENR. BOII TEMERITAS.

digni qui ad illos victoriam tranſmitterent, quos, cùm poſſent, vincere noluerunt. Henricus non antè à Fortuna quàm à ſuis deſertus, de illorum ignauia ex hoſtis demum alacritate cognouit; indignatúſque non modò ad pugnam ſed etiam ad victoriam ſibi militem deeſſe, elangueſcentibus etiam illis, quibuſcum fortiter fecerat, inter vltimos acie exceſſit, plus periculi metúſque in fuga quàm in prælio expertus, vt veriſſimè ab antiquis dictum ſit, fortiſſimum quemque eſſe tutiſſimum. Cæſa ex noſtris ſeptem millia, tria ex Vngaris, Bonfinius ſcripſit. Otho noſter, niſi fratri gratificatum improbè ſuſpicamur, victis plus ignominiæ, victoribus plura funera attribuit. Sub idem ferè tempus Fridericus, is qui poſtea Imperauit & Ahenobarbi nomen tulit, Friderico Conradi fratre genitus, ingentibus bellis, quæ ſubinde geſſit, in BOIARIA præluſit, Henrico Wolfratshuſio eiuſdem cum Epiſcopo Ratiſbonenſi ſanguinis nominiſque colliſus; qui quòd Welfonis & Epiſcopi cognati partibus operam nauârat, erátque inter princi-

HENRICVS SVORVM IGNAVIA VINCITVR.

FRID. AHENOBARBI PRIMA TIROCINIA. *Otho Friſ. l. 1. de reb. geſtis Friderici c. 25.*

pes eius factionis, quam Friderici pater fratréſque bello perſequebantur, cauſæ ſatis apparet, cur hunc ſibi potiſſimùm hoſtem auidus militaris gloriæ depoſceret. Sed nimirum eius ætas tunc primùm ex vmbra prodeuntis in ſolem BOIIS irriſui fuit; neque aliter quàm ad ludicrum certamen animoſiſſimus quiſque Wolfratshuſium confluebat. Stabant pro Caſtelli mœnibus decori armis iuuenes, ne tum quidem, cùm Fridericus in conſpectu eſſet, hoſtilem vultum ſumpturi, vt honoris eius cauſâ effuſos obuiam crederes. vbi ad manus ventum eſt, facilè imbelliæ opinionem Fridericus refutauit; eáque primo illo belli rudimento exempla edidit, vt veterani milites non erubeſcerent ab hoc ſe tirone victos. Vnus omnino Conradus Dachouienſis, cuius arcem nuper exuſtam diximus, cæteris intra portas refugientibus, locum tenuit dubiam Friderico palmam facturus, ſi eripere non poſſet. ſed auxit adoleſcentis triumphum captiuus ab eodem abductus. Suadentibus deinde amicis, ne ſummi generis viro libertatem niſi magno em-

FEROCIA MILITARIS VERA VIRTVTE OPPRESSA.

FRIDERICI HEROICA MENS.

HENR[…] SVO IGN[…] VI[…]

ptam redderet, negauit Fridericus inſti-
torem ſe eſſe, aut gloriam auro venditu-
rum. in acie fortitudinis, in pace cle-
mentiæ famam captanti vltimam eſſe
de opibus curam: malle fortem virum
vitam ſibi, quàm pecuniam debere. ſi-
mulque cum dicto liberum ad ſuos re-
miſit ex hoſte amicum. Proximum illi
bellum cum Conrado Zäringenſi Ber-
tholdi filio fuit; cuius vrbe Tiguro cùm
eſſet potitus, BOICA nobilitas admira-
tione virtutum capta ſponte ſub eius ſi-
gna confluxit; cuius fideli fortíque opera
ad vltimas Conradum anguſtias re-
degit, & penè inacceſſis arcibus eiecto
ſuffugium nullum niſi in tentanda Cæ-
ſaris clementia reliquit. Ad maiora de-
cora graſſantem maius bellum ſub ſan-
ctiora ſigna vocauit. Eugenius ex S.
Bernardi diſcipulo Summus Pontifex
miſeratus Chriſtiani Imperij Franco-
rum virtute nuper in Syria fundati iam
velut ad occaſum ſpectantis obtene-
breſcentem gloriam, & haud vanè me-
tuens Edeſſâ captâ nihil aduerſus bar-
baros munitum ſatis firmúmque fore,
& ipſe per ſe validiſſimis litteris, & diui-
no

Boii Friderico militant.

BELLVM SACRVM SVB EVGENIO.

no Bernardi ore claſſicum cecinit; quo cùm Ludouicus Rex Franciæ excitatus eſſet, Bernardus inde in Germaniam digreſſus cæleſti facundia, quæque dictis pondus conciliabat & fidem, prodigiorum mirandorúmque operum multitudine Conradum Cæſarem impulit, ſuum vti in ſacram militiam nomen daret. exemplum patrui Fridericus ſecutus eſt, quantumuis indignante patre fatis iam proximo, transmarina bella pace domeſtica & patriæ charitate filio eſſe potiora.

Sequentis anni quadrageſimi ſeptimi Februario menſe, Conradus in BOICAM abiit. D. Bernardum optantem ſequi negotia à Rege auulſerunt. literas tamen, quique eas publicè recitaret, eximium oratorem Adamum Ebracenſem Abbatem eodem miſit. Illæ in manibus ſunt, & hodie quoque valere poſſint ad armandam in hoſtes Crucis patriam, qui, vt Bernardus illic loquitur, *officinas noſtræ redemptionis euertunt; loca ſancta Agni Immaculati purpurata cruore polluunt, & lectum ipſum in-* MCXLVII. S. BERNARDI AD BOIOS EPISTOLA.

Chron. Reicherſp.

uiores lites, quàm quæ Henricum Superbum nuper & Leopoldum cum eo colliſerant. Eæ cùm in apertum denique bellum erupiſſent, Princeps Bohemos in partem, Epiſcopus Ottocarum Stirorum Marchionem acciuit; vt BOIARIA & ſuo & peregrino inundata milite bis miſera eſſet; cùm ob infelicem eius anni meſſem nè altâ quidem pace ſpes ſuppeteret euitandæ famis. Igitur neceſſitas omnia in cibum vertit. radices adeò corticéſque arborum commolebantur in aliquam panis ſimilitudinem. Nonnulli veterum Sarmatarum barbariem æmulati certis diebus venas iumentorum incidebant, de illorum ſanguine epulaturi. Fundebatur nihilominus etiam humanus ſtrenuè, & quaſi vno bello & publica fame nimis pauci perirent, dum ad Ratiſbonæ mœnia hæret Princeps, nonnulli ex Inferioris BOIARIÆ confinio priuatis auſpiciis Vngariam ingreſſi Poſonium, quod Presburgum hodie eſt, primo impetu ceperunt. Id factum Iuliano neſcio cui Comiti Bonfinius attribuit, qui præmiſſo Rapoldo cum equitum cohorte

FAMES INVSITATA.

ad

ad occupandam portam, nullo deinde negotio vrbe ſit potitus. Geiſa re comperta per fecialem quærit ex Germanis, quo iure vel adeò more, contra antiqua fœdera, amicam vrbem, abſque denunciatione belli vel inimicitiarum, inuaſiſſent? Ad hæc illi, Borithij clientes eſſe ſe, ad quem regnum pertineat. nihil Cæſari, nihil BOIO Duci, ſed Borithio coronam quæri. Borithius hic Colomanni, qui quarto ante Geiſam loco imperauerat, ſe filium ferebat; qui quòd à patre non agnoſceretur, ab Vngaris quoque præteritus repudiatúſque, peregrinis auxiliis diu fruſtra ſolicitatis, tandem hanc tumultuariam manum ſolâ armatam audaciâ ad vrgendas cupiditates ſuas excitauerat. Geiſa furori quamprimum obuiam eundum ratus, delectu vndique habito, Poſonio circumfunditur, tormenta opportunis locis diſponit, & vltimi exitij metu Germanos percellit. qui cùm & vires ſuas circumſpicerent, neque Borithij cauſam tanti facerent, vt pro eo in mortem ſibi ruendum putarent, de vrbis deditione cum Rege collocuti, pactique

GERMANI AB VNGARIS OBSESSI.

tria

tria librarum millia excedunt. ſuppreſſum magis quàm extinctum Geiſa incendiũ exiſtimans, regerere illud in eius autorem Henricum BOIARIÆ Principem ſtatuit, quem minimè dubitabat primam facem ſubdidiſſe. Eum ergò cùm hoſtem iudicaſſet, ſeptuaginta armatorum ſtipatus millibus flumen Litham, qui ab Auſtrali Danubij latere Auſtriam Vngariámque diſpeſcit, inſidet. Henricus caſtris ad Viſcam poſitis, hoc iam ab initio peccauit, quòd exploratoribus imperitis ad hoſtium res cognoſcendas vſus eorum ignauiâ proditus eſt: cùm viciſſim Geiſa, vixdum ex Ephebis egreſſus & eo primùm bello cum ſollenni Epiſcoporum apprecatione armatus nullam veterani Ducis partem omitteret. Ipſe ante ſigna volare, ordinare aciem, addere omnibus animos, & adoleſcens viris monſtrare artes bellandi; inueſtigare vadum, eóque reperto inobſeruatus hoſti tranſire, ignibus etiam fallendi cauſa excitatis: qui dolus ei adeo ex ſententiâ proceſſit, vt noſtri diffugiſſe hoſtem crematis caſtris ſuſpicarentur. Vbi denique in conſpectu

GEISÆ PRÆMATVRA VIRTVS.

Digitized by Google

ſpectu fuit, Henricus nulla re ſatis præuiſa, neque præmonitis, qui ad diuerſa ſigna curabant, quid vel factum vellet, vel facto opus eſſet, ſignum dat inuadendi. Nihil ex diſciplina militari geſtum. miles temerè procurrere, & omnia in celeritate ſita arbitrari. Accendebat ferociam contemptio hoſtis neque armati ad morem noſtrum, neque ad molem excreſcentis. Equi hominéſque paululi & graciles ex Beſſis & Scythis collecti cornua prætexebant; qui primo noſtrorum incurſu protriti terrorem etiam in bipertitum agmen intulerunt, cui Rex eiúſque auunculus præſidebant: vnde cùm ſe nemo moueret, neque adeò telum mitteret, tanto ardentiùs noſtri ſigna inferebant; vt dubium nullum fuerit, poſterioribus turmis adnitentibus luculentam victoriam reportari potuiſſe. Sed cùm concitati pulueris vis omne oculis arbitrium eripuiſſet, & de primi agminis fortuna metus maior quàm ſpes eſſet, nec hoſte nec ſociis viſis, qui vltimi ſtabant ipſi ſeſe in fugam concitarunt. Id iam Vngari facturi erant, niſi noſtri præoccupaſſent, HENR. BOII TEMERITAS.

digni qui ad illos victoriam tranſmitterent, quos, cùm poſſent, vincere noluerunt. Henricus non ante à Fortuna quàm à ſuis deſertus, de illorum ignauia ex hoſtis demum alacritate cognouit; indignatúſque non modò ad pugnam, ſed etiam ad victoriam ſibi militem deeſſe, elangueſcentibus etiam illis, quibuſcum fortiter fecerat, inter vltimos aciei exceſſit, plus periculi metúſque in fuga quàm in prælio expertus, vt veriſſimè ab antiquis dictum ſit, fortiſſimum quemque eſſe tutiſſimum. Cæſa ex noſtris ſeptem millia, tria ex Vngaris, Bonfinius ſcripſit. Otho noſter, niſi fratri gratificatum improbè ſuſpicamur, victis plus ignominiæ, victoribus plura funera attribuit. Sub idem ferè tempus Fridericus, is qui poſtea Imperauit & Ahenobarbi nomen tulit, Friderico Conradi fratre genitus, ingentibus bellis, quæ ſubinde geſſit, in Boiaria prælusit, Henrico Wolfratshuſio eiuſdem cum Epiſcopo Ratiſbonenſi ſanguinis nominíſque colliſus; qui quòd Welfonis & Epiſcopi cognati partibus operam nauârat, erátque inter principes

Henricvs ſvorvm ignavia vincitvr.

Frid. Ahenobarbi prima tirocinia. *Otho Friſ. l. 1. de reb. geſtis Friderici c. 25.*

pes eius factionis, quam Friderici pater fratréſque bello perſequebantur, cauſæ ſatis apparet, cur hunc ſibi potiſſimùm hoſtem auidus militaris gloriæ depoſceret. Sed nimirum eius ætas tunc primùm ex vmbra prodeuntis in ſolem Boiis irriſui fuit; neque aliter quàm ad ludicrum certamen animoſiſſimus quiſque Wolfratshuſium confluebat. Stabant pro Caſtelli mœnibus decori armis iuuenes, ne tum quidem, cùm Fridericus in conſpectu eſſet, hoſtilem vultum ſumpturi, vt honoris eius causâ effuſos obuiam crederes. vbi ad manus ventum eſt, facilè imbelliæ opinionem Fridericus refutauit; eáque primo illo belli rudimento exempla edidit, vt veterani milites non erubeſcerent ab hoc ſe tirone victos. Vnus omnino Conradus Dachouienſis, cuius arcem nuper exuſtam diximus, cæteris intra portas refugientibus, locum tenuit dubiam Friderico palmam facturus, ſi eripere non poſſet. ſed auxit adoleſcentis triumphum captiuus ab eodem abductus. Suadentibus deinde amicis, ne ſummi generis viro libertatem niſi magno em-

FEROCIA MILITARIS VERA VIRTVTE OPPRESSA.

FRIDERICI HEROICA MENS.

ptam redderet, negauit Fridericus inſti-
torem ſe eſſe, aut gloriam auro venditu-
rum. in acie fortitudinis, in pace cle-
mentiæ famam captanti vltimam eſſe
de opibus curam: malle fortem virum
vitam ſibi, quàm pecuniam debere. ſi-
múlque cum dicto liberum ad ſuos re-
miſit ex hoſte amicum. Proximum illi
bellum cum Conrado Zäringenſi Ber-
tholdi filio fuit; cuius vrbe Tiguro cùm

Boii Friderico militant.

eſſet potitus, Boica nobilitas admira-
tione virtutum capta ſponte ſub eius ſi-
gna confluxit; cuius fideli fortíque ope-
ra ad vltimas Conradum anguſtias re-
degit, & penè inacceſſis arcibus eiecto
ſuffugium nullum niſi in tentanda Cæ-
ſaris clementia reliquit. Ad maiora de-
cora graſſantem maius bellum ſub ſan-
ctiora ſigna vocauit. Eugenius ex S.
Bernardi diſcipulo Summus Pontifex

Bellum sacrum sub Eugenio.

miſeratus Chriſtiani Imperij Franco-
rum virtute nuper in Syria fundati iam
velut ad occaſum ſpectantis obtene-
breſcentem gloriam, & haud vanè me-
tuens Edeſsâ captâ nihil aduerſus bar-
baros munitum ſatis firmúmque fore,
& ipſe per ſe validiſſimis litteris, & diui-

no

no Bernardi ore claſſicum cecinit; quo cùm Ludouicus Rex Franciæ excitatus eſſet, Bernardus inde in Germaniam digreſſus cæleſti facundia, quâque dictis pondus conciliabat & fidem, prodigiorum mirandorúmque operum multitudine Conradum Cæſarem impulit, ſuum vti in ſacram militiam nomen daret. exemplum patrui Fridericus ſecutus eſt, quantumuis indignante patre fatis iam proximo, transmarina bella pace domeſtica & patriæ charitate filio eſſe potiora.

Sequentis anni quadrageſimi ſeptimi Februario menſe, Conradus in BOICAM abiit. D. Bernardum optantem ſequi negotia à Rege auulſerunt. literas tamen, quíque eas publicè recitaret, eximium oratorem Adamum Ebracenſem Abbatem eodem miſit. Illæ in manibus ſunt, & hodie quoque valere poſſint ad armandam in hoſtes Crucis patriam, qui, vt Bernardus illic loquitur, *officinas noſtræ redemptionis euertunt; loca ſancta Agni Immaculati purpurata cruore polluunt, & lectum ipſum in-*

MCXLVII.

S. BERNARDI AD BOIOS EPISTOLA.

uadunt & conculcant, in quo propter nos vita noſtra obdormiuit. certè ſi laudes illas adhuc agnoſcimus ſeri nepotes, quas Bernardus qualis Præco! in maiores noſtros congeſſit, factis oſtendendum eſt, nihil nos ab iis degeneraſſe. *Quia*, inquit, *fœcunda eſt terra veſtra virorum fortium, & robuſta noſcitur Iuuentute referta, ſicut laus eſt veſtra in vniuerſo mundo, & virtutis veſtræ fama repleuit orbem, accingimini & vos viriliter & felicia arma corripite.* Tum profectò monenti paruere, nec paſſi ſunt Bernardum in tam illuſtri de ſe iudicio falli. Illâ ipsâ horâ, qua eius epiſtola audita eſt, tres Epiſcopi, Henricus Ratiſbonenſis, Otho Friſingẽſis, Reginbertus Batauenſis, & ſummus BOIARIÆ Princeps Henricus inſignia ſacræ militiæ accepere. Comitum, nobiliúmq; numerus iniri non potuit. Atque vt diuinam vim pertentantem animos nemo non agnoſceret, ſicarij etiam graſſatoréſq; publici è ſuis egreſſi luſtris cum Cruce Pietatem induerunt:

BOII AVCTORATI IN MILITIAM SACRAM.

runt: Inueterata odia, maximâ vbique conſenſione poſita, & à Chriſtianis in barbaros verſa. Ita Welfo quoque Conrado Regi ſua ſponte iniquus, & Vngarico inſuper Siculóque auro eidem hoſtis comparatus, inducta præteritorum obliuione, in villa Bitengouienſi militem ſe Crucis profeſſus cum nobiliſſima cohorte Cæſari ſacramentum dixit. Ladislaus Bohemiæ Dux, Stiriæ Marchio Ottocarus & Carinthiæ Comes Bernardus, ſinguli è prouinciis ſuis penè iuſtos exercitus adduxere. Conradus ne regnum abitu ſuo orbum relinqueret, Francofurti, conſentientibus Germaniæ Proceribus, regium nomen cum filio communicauit. Francofurtenſibus Comitiis Henricus Leo BOIARIÆ Principatum velut patri ſuo iniuſtè ereptum repetiit. Tantam rem cùm Conradus neque negari, neque concedi ſine nouo bello poſſe videret, ne ſuſceptæ expeditioni mora vlla intercederet, Henricum benignè appellatum induxit, vti diſceptatione in præſens deſiſteret; reducem ex Oriente haud grauatè actionem illi daturum. Ita compoſitis

HENR. LEO BOICAM REPETIT.

latè per Germaniam omnem motibus, Norimbergâ Ratiſbonam profectus, ingentem exercitum, cui nauigaturo flumina, ituro æqua camporum ſpatia defutura putabantur, in Orientem abduxit. Excitam ſedibus ſuis Germaniam diceres. vix pro viro habitus, quem patriæ amor aut qualeſcunque curæ domi detinuiſſent. Fœminas quoque puduit relinqui. multæ maſculis animis & veſte quoque ſexus ſui imbelliam diſſimulantes veterem Amazonum gloriam orbi repræſentarunt. Earum Princeps ob prætextos veſtium laciniis auri limbos Chryſopus, quaſi dicas Auripes, Græco dicterio appellata. Omnibus omnia auſis fauor Numinis, occultum quibus ex cauſis, ſed magnis ſine dubio & ſonticis, non aſpirauit; ſi quidem rebus lætis tantùm, quod ferè mortales faciunt, metiri illius beneuolentiam volumus; quarum quia commemorari nihil poteſt, triſtium compendium dabimus, quæ Græcorum Imperium ingreſſis nunquam defuerunt. Ei Manuel, vti dicebamus, præerat Conradi Regis affinis, verba dare pro more gentis doctus

APPARATVS EXPEDIT. HIEROSOLYM.

Choniata l. 1.

MANVELIS GRÆCI IMP. INGENIVM VAFRVM.

Digitized by Google

ctus vultúque longè quàm animo melior. Is legatis innoxium tranſitum flagitantibus prolixè omnia pollicitus, iuſtum nihilominus, vt aduerſus hoſtem, exercitum parauit non magis armis quàm odiis in Germanos inſtructum; quorum, vti immanium belluarum, ſcintillantes oculos & inexpletam humani ſanguinis ſitim, militaribus concionibus acerbiſſimè traducebat; neſcire eos alias thermas dictitans, quàm cruentas, & puluerem ſudorémque ſanguine libentiùs quàm aquâ abſtergere. Ita imbutos obſeruare aduenarum iter iuſſit; quod tamen Philippopolim vſque, ſiue noſtrorum modeſtiâ, ſiue mutuo metu minimè turbulentum fuit. Illic cùm vltimum agmen indigniùs haberetur, ventum ad manus eſt; magnóque ſtatura Græcis perfidia fuerat, niſi vrbis Pontifex Michael homo vafer blanditiis fucatæ orationis, quæ apud Regem plurimum poterat, manum illius inhibuiſſet. Improbiùs etiam Adrianopoli irritata noſtrorum eſt patientia. è proceribus quempiam ſanguine ſibi annexum Conradus in vrbe reli-

ÆRVMNÆ CHRISTIANI EXERCITVS.

ADRIANOPOLITANOR. IMMANITAS.

reliquerat, quoad vires perditas reciperet. Eum nefarij latrones omniſque humanitatis expertes cum hoſpitio concremarunt. crudelitatis vltionem Conradus Friderico fratris filio commendauit; qui Monaſterio, in quo ſcelus admiſſum fuerat, inflammato, in affines culpæ ſententiam capitis tulit; prædâ ditatos repetundis poſtulauit. Ciuibus ob eam peregrini hominis libertatem tumultuantibus, collatis ſignis concurſum fuiſſet, niſi Pruſuchus quidam vir primarius tribus fluuiis, quibus pontes lapidei impoſiti ſunt, equo ſuperatis, ad Fridericum mitigandum in tempore aduolaſſet. Superatâ hominum iniquitate, etiam cum Elementis luctandum fuit, dimicatione multò calamitoſiore. Caſtris haud procul Conſtantinopoli VII. Id. Septembr. in amœniſſima Cherobacchorum valle, poſitis, ſub noctis luciſque proximæ confinium fœda tempeſtas cum inſolito ventorum turbine, diſiectis tentoriis, tumultu omnia trepidationeque miſcuit. Amnis etiam Melas mediam vallem interlabens, ſiue reciproco maris æſtu, ſiue ſolutis nubibus

Nicet. Choniat. Othol. 1. c. 45. Chron. Reicherſp. Alb. Stadenſ.

MISERABILIS TEMPESTAS.

bus inflatus totis ſe caſtris ſuperfudit. ſola Friderici Ducis Welfoníſque, qui iuxta tetenderat, immunia mali huius ſtabant tabernacula. ea cùm natatu alii, alij equis ſubuecti peterent, qui his adminiculis carebant, ſociorum inclamantes opem & obuiis quibuſque impliciti, neque ipſi ſeruabantur & euaſuros alioqui ſecum in perniciem trahebant. Multi ſcopulis, plauſtriſque, quæque alia ſecum aquarum rapacitas voluebat, obruti inter ineluctabiles vortices in vicinum mare raptabantur. Inter tot cladium formas feliciſſimi viſi, quibus, erepto commeatu omnibúſque vitæ ſubſidiis, vita ipſa relicta eſt. Conſtantinopoli nulla refocillandis viribus mora conceſſa. commeatus Aſiam ingreſſis malignè præbiti, neque niſi pretio, quantum auari propolæ exigiſſent, repræſentato: tum denique non quæ pacti erant, ſed quæ dare collibitum eſt, ſtantes pro mœnibus demittebant, ſæpius refugere ſoliti, deluſis emptoribus, ſimul ac pretium accepiſſent. Sed illorum execranda barbaries fuit, qui calcem gypſúmue tritum farinæ miſcuerant,

ASIATICA INIQVITAS.

rant, cuius vſu eroſis viſceribus noſtri contabuere. quod Manuele conſcio vel auctore factum neque Græci conſtanter negarunt. Illud certum, argentum adulterinum ab eo ſignatum, quod noſtris obtruderetur, rerum ſuarum aliquid vendituris. Idem Turcas quoque concitauit, datíſque viæ ducibus, per inuia & longiſſimas ambages circumactum Germanorum exercitum illorum furori obiecit; qui cùm viribus integri fame ærumníſque confectos iniquiſſimis locis adorirentur, ſtragem ingentem edidere; vt de ſeptuaginta cataphractorum millibus & peditum innumerabili multitudine vix decimus quiſque ſuperfuerit. Eas reliquias Conradus Nicæam ſubduxit. eò cùm Ludouicus Francorum Rex, qui ſeriùs in viam ſe dederat, acceſſiſſet, Friderico Duce acceptarum cladium nuncio præmiſſo, tandem ipſe quoque cum eo congreſſus, comitatúſq; Epheſum vſque, inde, ſiue minorem ſe gerere Rege non ſuſtinens, cui cum laceris copiis velut vmbra hærebat; ſiue Francorum ſupercilium vitans, quibus ob aduerſam fortunam

TVRCÆ CHRISTIANIS INFESTI.

CÆSAR. & REGIS FRANC. CONGRESSVS.

nam deſpicatui erat, retro Conſtantinopolim abiit. Nonnulli tamen iter proſecuti ſunt; quos inter Otho Friſingenſis & Bernardus Comes Carinthius fuere; quorum prior, cùm haud procul Mæandro flumine in Francos montem ſubituros Turcæ impetum facerent, inter tumultum elapſus, calceis pedibúſque per aſpreta attritis, aliíſque incommodis confectus hoſpitalitate ciuium in proxima vrbe perniciem euitauit; mutuatúſque neceſſaria itineri Hieroſolymam denique peruenit: Bernardus prælio occubuit. Domi eodem tempore Conradus Saliſburgenſis veteris Sanctitatis exemplar ad cælum abiit. Succeſſit Eberhardus Hiltpoltſtainius Biburgenſis Abbas æquè magnum nomen, quódque Epponi vicino Abbati in familiari cum Deo congreſſu oſtenſum eſt, magno munere conceſſus rebus humanis, & BOIARIÆ potiſſimùm, ne fluctus Schiſmatis paulo pòſt orituri eam penitus obruerent. *Chron. Reicherſp.* OTH. FRISINGENSIS INFORTVNIVM. EBERHARD. SALISB. ARCH. SANCTITAS DIVINITVS OSTENSA.

Sub ver ſequentis anni (Tyrio quadrageſimus ſeptimus, nobis octauus eſt) Feriis Paſchalibus Conradus Ptolemaidem MCXLVIII. *Otho Friſ. l. 1. c. 58. Vvilh. Tyr. l. 17.*

GESTA IN ORIENTE. dem Græcis nauibus vectus, indéque Hieroſolymam profectus pietati religioníque, adoratis Chriſti veſtigiis, operatus eſt, & Fridericum Ratiſbonenſem Aduocatum, qui paulo antè deceſſerat, in Templariorum Militum cœmiterio tumulauit. Opportuno inde Tyrum inter & Ptolemaidem loco, cui à Palma nomen, cum Ludouico Franco & vtriuſque Gentis Proceribus de ſumma rerum conſultauit; vbi præter eos, quos ſæpe nominaui, etiam Bertholdus Andecenſis ſententiam dixit. Placuit Damaſcum minoris Syriæ Metropolim tripartito agmine peti; primum Balduino III. Hieroſolymorum Rege, medium Ludouico Franco, poſtremum Conrado Cæſare ducentibus. Regio omnis, quæ vrbi adiacet pomifera, hortis velut ſaltibus incincta difficiles habet acceſſus, eóſque caſtellis toto itinere ſparſis oppidò munitos. Peruaſit tamen Chriſtiani exercitus virtus, hoſtémque ſuis ſtationibus deiectum refugere ad flumen, quod mœnia præterlabitur, coëgit. Ibi graue certamen ortum, ægrè ſuſtinente vim Barbarorum Hieroſolymitano

Digitized by Google

mitano Rege: donec Conradus cognito periculo, ſuis in pedes deſcendere iuſſis, Gallorum ordines prætergreſſus in fronte ſeſe irruentibus obiecit, pauorem, fugam, mortémque præ ſe agere viſus; cùm non modò vocem & oculos commodaret militibus ſuis, ſed forti manu memoranda poſteris facinora ederet: vt cùm barbaro ferociùs ſeſe inferenti & loricâ egregiè munito, Herculano ictu, caput cum ſiniſtro humero & coſtarum crate auulſit, reliquis velut à fulminante dextera refugientibus. neque obſidio futura longior erat, ſi cum hoſtibus tantùm metu conſternatis, non etiam cum ſociorum perfidia pugnandum fuiſſet; quorum fraudulentis conſiliis cùm plus damni quàm obſeſſorum telis acceptum eſſet, iterum inuictum bello robur, velut propinato veneno, extabuit; frementibus bonis omnibus, tot fortium virorum millibus multiplici mortis genere abſumptis, & flore Germanicæ nobilitatis in Oriente ſucciſo proculcatóque, non modò nullam barbaris prouinciam ereptam, ſed ne vrbem quidem eſſe, in qua Chri-

CONRADI & GERMANORVM VIRTVS.

FRAVDES VIRTVTEM OPPRIMVNT.

IRRITI SACRÆ MILITIÆ CONATVS.

Chriſtianæ victoriæ trophæum à ſe erectum memorare reduces poſſent. Summos duos Chriſtiani orbis Reges, totius Europæ viribus in Aſia tumulatis, relecturos nobilitatum ſuis funeribus iter, eâ tantùm gratiâ ſuperſtites, ne magnarum cladium nuncij deſint. Nuper Regum Clientes & Satellites cum multo minore manu, rebus barbarorum integris, quantum gloriæ Chriſto, quantum ſibi peperiſſe? Ex Comitibus Reges factos, gentilitia caſtella & patrimonij anguſtias regnis dynaſtiiſque permutaſſe: nunc regiis conatibus opibúſque ne tantum quidem terræ partum, quantum Romanis Aquilis & Galliæ Liliis ferendis ſit ſatis. Et Conradus quidem æger animi eo adhuc anno Ptolemaide ſoluit. in Theſſalia corpore etiam fractus eſt, nullum humanitatis genus omittente Manuele; qui ſi eadem fide res illius ſecundas, quâ aduerſas, fouiſſet, dubium nullum eſt Turcarum potentiæ expeditionem illam fatalem fuiſſe futuram. Sed nimirum Deo viſum, noſtra quoque ſecula eodem flagro compeſcere, & cuiuſcunque tandem Regis,

aut

Digitized by Google

aut Principis Pietati, quem vtinam deſignare non irrito nobis voto liceat, triumphum reſeruare fruſtra ſolis armis tentatum. Dum in Græcia curam corporis agit Conradus, Reginbertum Batauenſem Epiſcopum itineris comitem fato præreptum amiſit. Suffectus eſt in eius locum Conradus, ipſe quoque D. Leopoldi Auſtrij filius & Henrici BOIARIÆ Ducis, Othoníſque Friſingenſis frater germanus. Fridericus interim patrui iuſſu iter in Germaniam accelerauit; ipſe Illyricum & Dalmatiam mari circumuectus Polæ Iſtriæ Vrbe equum conſcēdit iam patiens iactationis; & Saliſburgi Pentecoſten, Ratiſbonæ Principum Comitia celebrauit. Henricus BOIARIÆ Dux nunquam ab eius latere diſceſſerat, in reditu Theodoræ regij ſanguinis viragini coniugio ſociatus. Welfo ante Damaſcenam obſidionem tentatus morbo ad Rogerium Siciliæ Regem naui deportatus, magnificentiſſimè ab eo ſuſceptus, & ad reſumenda contra Conradum arma ſollicitatus eſt. Diſtineri Cæſarem Germanicis tumultibus optabat Rogerius, eripi-

MCXLIX.

CONR. AVSTRIVS PASS. EPIS.

WELFO IN CÆS. CONCITATVR. *Chrō. VVeingart.*

que ei ſpatium de Italia cogitandi, primum ſe fore haud vanè auguratus, cui de Siciliæ Apuliæque poſſeſſione litem cruentam eſſet moturus. Welfo gratificatus Rogerio, acceptis ab eo ſtipendiis, Februario menſe in Germaniam rediit, rectàque ad obſidionem Flochpergenſis arcis contendit; à cuius irrita oppugnatione cùm militem reuocaret, Cæſariani eruptione facta temerè ſe confusíſque ordinibus recipientes circumueniunt, captiuos magno numero abducunt, reliquos in fugam vertunt. ibi Fridericus arbitrum ſe litis inter vtrumque patruum offerens conditiones ambobus æquas ferendo & præteritorum obliuionem inducendo, inueteratum & identidem recrudeſcens odium extinxit. Captiui Welfoni redditi; æs etiam ex regio ærario numeratum, cum Mardingenſis villæ dominio, quod tamen diuturnum non fuit, & paulo pòſt ab eodem Friderico in Conradum Batauenſem Epiſcopum eſt translatum. Multus per id tempus, toto terrarum orbe, de infelici expeditionis Hieroſolymitanæ ſucceſſu ſermo fuit. Diuus ad-

WELFO PACATVR.

Hund: in Epiſc. Paſſau.

SENSVS D. BERNARDI DE LÆVO

eò Bernardus, qui claſſicum cecinerat, ſiniſtris rumoribus vapulabat, vt neceſſe ei fuerit ſcutum obijcere, ſcriptâ ad Pontif. Eugenium Apologiâ, & publicis diuinitatis teſtimoniis ſibi patrocinari; ex quibus illud illuſtre fuit, cùm ad aperiendos cœci oculos vocatus non aliter voti ſe compotem à Deo fieri poſtulauit, quàm ſi eo auctore & auſpice ad ſigna quemquam vocaſſet: ad eam vocem cœco lux oborta eſt, & inuidia obmutuit. Perſuaſum deinde mortalibus fuit, ſanctæ militiæ conſilium neque temerarium cœptu, neque euentu infelix fuiſſe; aliorſum tamen, quàm humanæ ambitioni viſum, omnia recidiſſe. Deum in optimâ cauſa mortuis triumphum alibi conceſſiſſe; cælo gregatim receptos factóſque immortales non conqueri de ſtipendio, neque ſuperſtitibus inuidere, quibus redire in patriam licuerit. In quam ſententiam tanto pronioribus animis itum, cùm Ioannes quidam Caſæmarij (quod in Hernicis prope Verulas Monaſterium eſt) Abbas, epiſtolâ ad Bernardum Abbatem ſcriptâ perſanctè affirmaret, Beatos Cælites

EXPEDITIONIS SACRÆ SVCCESSV.

lites Ioannem & Paulum ampliſſimæ Coloniæ è ſacris illis legionibus in Piorum ſedes ductæ ſibi indicium feciſſe.

HENR. CONR. F. MORITVR.

Verùm mitigato his delinimentis & in ſuam ſedem repoſito Conradi animo mox alter obrepſit dolor, ex morte Henrici Filij, quę Regem nuper ſalutatum in maximas ſpes eduxerat. Secutæ paulo pòſt Traiectenſium Myſtarum factiones in Epiſcopo Iſgerdo diſſentientium, quos cùm, Othone Friſingenſi præſente, Nouiomagi reducere in concordiam vellet, fruſtra fuit. Arma in eos parantem BOICI motus Ratiſbonam retraxerunt.

Otho Friſ. l. 1. c. 63. Ioan. Staindel. MS. Hund. in Metrop.

BELLVM ADVERSVS WITTELSPACHIOS MOTVM.

Wittelſpachij Comites tumultuabantur feroces iuuentâ & gloriæ ſtudio iuris ſubinde obliti. Ergo parenti eorum Ottoni bellum indictum, & Kelhaimium ad Danubij & Altmylæ Confluentes obſeſſum, quo tempore fama eſt ad recens S. Magni Cœnobium Regem deſcendiſſe, eiúſque ſibi poſſeſſiones vendicaſſe, magno argenti pondere incolis imperato: exoratum tamen paulò pòſt à Gebhardo fundatore loci, Diepoldo Vohburgio & Bertholdo Andecenſi, ablata

cum

Digitized by Google

cum fœnore reſtituiſſe. Neque obſidio diuturnior fuit. Otto in Cæſaris ſe poteſtate futurum pollicitus, filio obſide data clades anteuertit. Grauior deinde cura inceſſit ob Henrici Leonis cum exercitu in Sueuiam transgreſſi motiones. BOIARIAM iterum repetebat, oſtentabátque è vicino arma, &, niſi iure ageretur, paratam vim. Conradus nihilominus in ſententia perſiſtebat, negabátque è Repub. eſſe, duos Principatus vnius hominis arbitrio regi. Interim Albertus Leonis æmulus relictam ſub imbelli vxoris tutela (ea Clementia fuit Conradi Zäringenſis Filia) Saxoniam conſiderans, ad eam inuadendam Conradum euocauit, bellam occaſionem affirmans plectendæ ambitionis, ſi qui duabus ſellis ſedere geſtiiſſet, vtraque excuteretur. Conradus conſilium amplexus, opportunis per Sueuiam præſidiis diſpoſitis, properè Goslariam abiit Brunſuico imminens; quo in poteſtatem adducto, reliqua ſponte ſecutura erant. Ea re comperta Leo amicos paſſim diſperſos in vnam vrbem edicto contrahit, velut de ſumma rerum in

Helmold Chron. ſlau. l 1. Alb. Stad

HENR. LEO BOIAR. REPETIT.

BELLVM IN SAXONIAM TRANSLATVM.

 medium

medium conſulturus; quod cùm percrebuiſſet, elanguit ſcilicet apud hoſtes eius obſeruandi cura, vtpote alia omnia meditantis quàm fugam. Ita priuati habitu tribus non amplius ſociis comitato expeditum per medias excubitorum ſtationes iter fuit, quinto die incredibili ſuorum gaudio Brunſuicum ingreſſus ſuis Conradum artibus eluſit. A vi confeſtim & armis diſceſſum, ne reſumerentur, Conradi mors fecit anno quinquageſimo ſecundo XV. Kal. Martij Babenbergæ obita, nôn ſine ſuſpicione veneni à Medicis Italis, quos Rogerius Siculus corrupiſſe ferebatur, propinati, eo ipſo tempore, quo Italiæ petendæ conſilium iuratus aperuit. Oſſa illius Babenberga ſibi vindicauit, & proximè Henrici Sancti Mauſoleum condidit; quem hoc nomine Eugenius Pontifex nuper appellandum pro poteſtate iuſſerat, Ioanne quodam Cardinali improbâ peruicaciâ obnitente, donec amiſſo lucis vſu modeſtiùs loqui coecus didicit: Præco denique ex cauillatore factus, pro receptis eiuſdem ope oculis linguam in ſoſpitatoris ſui laudes emãcipa-

H. LEO HOSTIVM STVDIA ELVDIT. MCLII. CONR. C. MORS.

Bulla Canoniz. apud Baron. HENRICVS S. CÆSAR ACCENSVS CŒLITIBVS.

cipauit. Interregnum nouendecim non amplius dierum fuit, Friderico Sueuorum Duce, magno Imperij Procerum conſenſu, III. Non. Mart. Francofurti ſuffecto. Suffragatores eam potiſſimùm rationem ſecutos comperio, quòd nobiliſſimas Germaniæ gentes ſanguine complexus paterna origine Gibellinos, maternâ Welfones reſpiceret. Mater enim illius Iuditha Welfonis, quem identidem producimus, ſoror fuit; vnde ſpes ea Patribus affulſit, odia quæ familias duas Principes colliſerant, neceſſariò in eo, qui pari ad vtramque iure pertineret, extinguenda. Legati confeſtim Romam ad Eugenium Pontif. miſſi Hillinus Treuirenſis & Eberhardus Babenbergius Antiſtites; ex quibus hunc eius Epiſcopatus Annales Principem BOIARIÆ appellant, dynaſtam fortaſſe rectiùs dicturi; qualis etiam Guicmannus fuit, illuſtris Degenbergenſium Comitum in BOICA ſanguis, qui hoc itidem anno ex Cicenſi Epiſcopo Magdeburgenſis Metropolita fauore Friderici factus graues motus excitauit, vti ex Epiſtola intelligitur, quam Eugenius

FRID. AHENOBARBVS CÆS. SALVTATVR. *Otho Friſ. l. 2. c. 2. Guntherus Ligur. l. 1.*

Tritheim. in Chron. Hirſ.

nius Pontifex ad plures Germaniæ Epiſcopos dedit; inter quos noſtri quoque Eberhardus Saliſburgenſis, Henricus Ratiſbonenſis, Otho Friſingenſis, Conradus Bataucnſis recenſentur. Iunio Menſe Fridericus BOIOÆ inſignem honorem habuit; cùm Natali Principum Apoſtolorum Ratiſbonæ in D. Emmerammi templo coronationem ſuam repeti voluit. ne in Æde principe ea celebritas peragcretur, incendium quo XV. Kal. Mart. cum aliquot Vrbis vicis & quinque templis deformata fuerat, prohibuit. Magno deinde ſtudio ad componendam litem inter Henricum Leonem & Henricum Auſtrium agitatam, incubuit. BOIARIAM Leo perſeueranter repetebat, nefas exiſtimante Auſtrio, quocunque modo partum ſibi ius conuelli reddique controuerſum. proinde ad dicendam Herbipoli cauſam vocatus non paruit, tribunal velut ſcopulum refugiens, quod Leo pro aſylo eſt amplexus; nam *cauſa ſemper in omni*, inquit Guntherus noſter hanc ipſam rem verſu executus

FRID. IN BOICA CORONATVS. *Othol.2.c.6.*

LIS DE PRINCIPATV BOIARIÆ AGITATVR.

Iudi-

Digitized by Google

Iudicium ſpoliatus amat; qui poſſidet, odit.

Neque proximo anno, comitiis Wormatienſibus, feriis Pentecoſtes, agi quidquam potuit, cauſante Auſtrio diem ſibi legitimè dictam non eſſe. Ratiſbonæ etiam Septembri menſe, Decembri Spiræ iudicio elapſus, Goslariæ denique ſententiâ latâ dignitate excidiſſe iudicatus eſt. ſed vltra verba promiſſáque tum quidem itum non eſt; quibus tamen Leo in præſens delinitus operam Friderico in Italiam profecturo volens lubénſque addixit. Copiis vniuerſis in Campis Lycatibus luſtratis, Rex Octobri menſe, anni quinquageſimi quarti iter eſt ingreſſus. Luctantem per Alpium anguſtias, quæ Italiæ frontem mœnium vice præcingunt, commeatus defecit. Miles ad prædas verſus neque aris abſtinuit. eum vt Fridericus religione exſolueret, viritim conferre ſymbolam iuſſit, quæ per Hartmannum Brixinenſem & Albertum Tridentinum in ſpoliata ſacraria reponeretur. Nouembri menſe ad Roncalias ſolem-

MCLIII.

HENRICUS AUSTR. EXAUTHORATUR.

ITER ITALICUM. MCLIV.

SACRILEGII EXPIATIO.

RECOGNITIO FEVDORVM.

nem agendis conuentibus locum ventum, vbi clientes beneficiarios Germaniæ Regibus recognoſcere in more eſt. Perticæ bene altæ mediiſque depactæ caſtris ſcutum ſuſpenditur, & præconis voce excubiæ imperantur omnino omnibus, qui à Principe fortunis opibúſque aucti præfecturas & precarium Imperium acceperant, quæque alia fiduciario iure Cæſarum beneficio poſſidentur. Ea profeſſio clientelæ fuit & obſequij patrono debiti: quiſquis id detrectaſſet, excidebat iure ſuo omnibúſque regiæ liberalitatis ornamentis, ſiue ſacer is, ſiue profanus eſſet. Ita tum Hartvvicus Bremenſis & Vdalricus Halberſtadenſis, quòd officio defuiſſent, neque detrectatæ militiæ cauſam Friderico probaſſent, inter ærarios relati emolumentis priſtinis caruerunt. Bremenſis, quem nominaui, Antiſtes etiam cum Henrico Leone ſimultates exercuit; cúmque hoc ipſo tempore Saxoniæ Orientalis Principes cum nonnullis BOIARIÆ Proceribus in ſaltu Bohemico parum probatos in publicum conuentus agerent, hic quoque caput

Helm. Chro. Slau. l. 1. c. 80.

cum

cum iis contulit. Redire parantem ad ſuos Leonis copiæ, inſeſſis itineribus, patriâ excluſerunt. Gemina propè Epiſcopi Ratiſbonenſis, qui itidem Hartvvicus dictus proximo anno quinquageſimo quinto Henrico Wolfratshuſio ſucceſſerat, fortuna fuit. cùm vſu receptum eſſet, ne quis Antiſtes vel clientelas veteres Eccleſiæ ſuæ confirmaret, vel nouas inſtitueret, priuſquam iura, quæ vocantur Regalia, de manu Cæſaris accepiſſet; ille moris negligens, velut nemini obnoxius rempublicam pro libitu priuatis auſpiciis adminiſtrauit. quæ inſolentia illi poſtea aſſeclíſque eius magno ſtetit. Interim Fridericus producto ex hybernis milite, Derthonem in gratiam Papienſium obſedit. quo in loco Othonis Wittelſpachij qui poſtea Magnus dictus BOIIS imperauit, eandémque gloriam ad poſteros etiamnum rerum Dominos tranſmiſit, exercere ſe virtus cœpit. Regiam Aquilam ferre ſolitus cum Conrado Friderici fratre, Bertholdo Zäringio Burgundionum Duce & expeditis cohortibus ad explorandum vrbis ſitum præmiſſus,

MCLV. *Othol. 2. c. 28.* HARTVVICI RAT. EP. INSOLENTIA.

OTHONIS WITTELSPACHII EGREGIA FACINORA. *c. 16. Gunth. l. 2.*

ſus,

ſus, traiecto Tanaro, caſtra ſuper flumine locauit. Tertio die reliquæ copiæ ſuperuenere, fluuio iam tumidiore. ſimul, ac iungi potuere, rectà ad vrbem itum; & ſuburbiis vi captis, hoſtis in arcem reiectus eſt; cui, quà Occidentem ſpectat, Fridericus ſuas copias oppoſuit; Henricum Leonem curare ad meridiem iuſſit; reliqua Papienſibus permiſſa. Admotæ inſuper machinæ, & ex catapultis ſaxa in vrbem iacta, cum pernicie mœnium hominúmque: crebris etiam excurſionibus vtrinque fortuna tentata, nobiliſſimo quoque ex noſtris ſuam Regi operam iactante: quod dum Kadolus illuſtris BOIVS impenſiùs facit, fortiter pugnãs occubuit. Sed nulla res grauiùs opidanos affligebat quàm ſitis; quòd amniculus, qui ſuburbium interluebat, Henrici Leonis operâ iis ereptus eſſet; puteum verò, ex quo ſubinde aquabantur, inacceſſum Papienſium irremiſſæ excubiæ redderent; cadauera denique hominum pecorúmque iniecta & mixtum pice ſulphur, tabo odoríſque, peſtilentiâ aquas corrupiſſent. Ne noſtri quoque militis vigor aſſiden-

DERTHONENSIS OBSIDIO.

Digitized by Google

do mœnibus elangueſceret, vicinum caſtrum de nocte tentatum, Wittelſpachio & Zäringio ducibus. ſublatus præproperè clamor ſopitos incolas periculi admonuit prius cæteroqui perituros, quàm ſe periclitari ſentirent. Derthonenſes tandem vltimis malis feſſi Idib. April, deditionem fecerunt. vitæ iis gratia facta; vrbs direpta inflammatáque eſt. Fridericus reliquâ Italiâ, nemine iter morante, percursâ, Viterbij Adrianum Pont. Max. obuium habuit, & cum eò Romam progreſſus in Vaticano Imperij coronam accepit. Tantam rem Romani abſque auctoritate ſua peractam indignati, impetu in vrbem Leoninam facto, quotquot de Friderici exercitu illic offendêre, obtruncant. Cæſar clamore excitatus, metuens ne qua vis Pontifici inferretur, ſumptis extemplo armis aduerſus tumultuantes contendit. Atrox pugna oritur, quæ ab hora diei decima in noctem protracta multis exitium attulit. Præter captiuos ducentos & innumeram ſauciorum turbam, mille non minus Tibri hauſti vel ferro necati ſunt. Ex Germanis vnus duntaxat

FRID. IMPERATOR CORONATVR.

TVMVLTVS ROMANVS.

xat

Helmold.l.1. c.81

HENR. LEO FORTITER DIMICAT.

xat cecidit, alter in manus hoſtium venit. Henricum Leonem ea potiſſimùm dies nobilitauit. in prima frõte pugnans ciens ipſi Romano Pontifici admirationi fuit; qui egregiè collaudatum amplis etiam muneribus affecit. Nihil deinde præter Spoletanæ vrbis excidium, & Veronenſium Pylarum expugnationem memorabile in Italia geſtum. prioris facti communis & indiſcreta gloria eſt: poſterioris laudem Wittelſpachius vt propriam BOIARIÆ intulit. Veronæ iam olim fauore Cæſarum datum fuerat, ne patére exercitibus cogeretur inuita, quos propterea nauali ponte ſupra vrbem Atheſi impoſito tranſportat. Eum tunc malè compactum reuinctúmque negligenter & ponderi facilè ceſſurum in perniciem Germanicarum cohortium Veronenſes ſtruxerant, vaſtis etiam trabibus per littus diſpoſitis, quæ in medium propulſæ flumen impactæque nauibus infidam compagem improbéque concinnatam nullo negotio ſoluerent. Id maleficium in auctores recidit: Miles noſter ſine noxa tranſgreſſus; Fraudis architecti, qui ſciſſo

Oth. c. 25. Helmold. c. 82.

VERONENSIVM FRAVS.

Digitized by Google

ſponte poſtremum agmen lanienæ deſtinauerant, partim intercepti ſunt, tunc demum vitium faciente ponte, cùm ſui illum fabri premerent; partim à noſtris cæſi perfidiæ pœnas dedere. Eo periculo defunctis penetrandæ fauces ſupererant, quas in arctum hinc lapſus per confragoſa Atheſis, inde imminentes fluuio rupes cogunt. relinquitur anguſta ſemita; quam ſi ex alto vel pauculi infeſtent, totos impune exercitus obruent. Id iugum Albericus equeſtri familia apud Veronenſes ortus cum latronum globo occupauerat. ij aliquammultis ſine noxa tranſmiſſis in proximè ſubeuntes ſaxa prouoluere cœperunt. Ad eos Cæſar Garzabanum & Iſaacium Veronæ magno loco natos miſit, qui ciuibus ſuis auctores eſſent maleficio temperandi: ij ad colloquium non admiſſi lapidibus eminus ſalutabantur. eadem iniuria etiam in alios repetita, additæque minæ, niſi qui ſuo illis equo ceſſiſſet aut loricâ, tranſitu rum illac neminem; Cæſari ipſi iter auro aperiendum. Ille perditiſſimorum hominum execratus impudentiam, cõſilium

PERICVLVM AD PYLAS VERONENS. ADITVM.

ſilium à virtute, cui nihil inuium eſt, petit; hortatúſque Wittelſpachium, ne latronibus ludibrio eſſe ſineret Cæſarem, quíque ferro Italiam ſubegerit, pro capite nuper coronato aurum paciſci; ducentos expertæ animoſitatis iuuenes & quiduis pro gloria auſuros ei aſſociat, rimarique ferentes ad cacumen aditus iubet. Illi gladiis haſtíſque armati iter ingrediuntur. ad prærupta vbi ventum eſt, quadrupedes reptare, extantia prenſare virgulta, fido veſtigio nixi vacillantibus manum tendere, vel adminiculari humeris; audaciſſimi prætentare ignotos calles, & inſolentiâ dubii itineris timidos audaciâ exempli confirmare, quærere compendia, inter ſaxorum hiatus haſtas defigere, aut componere in ſcalarum gradus, atque his denique artibus in cacumen eniti. Hîc Otto quod inuolutum geſtauerat vexillum prætorium explicuit, eóque ſigno captum verticem oſtendit. ſimul totis caſtris clamor tollitur, & inter ſonantes lituos rectâ aduerſus latrunculorum latibulum acies erigitur. Id velut inane terriculamentum primùm irriſui fuit, donec à ter-

GLORIOSVM OTTON. WITTELSPACHII FACINVS.

à tergo exultabunda ſe cohors oſtendit, quam, niſi pinnata foret, eò euaſuram ne ſuſpicio quidem fuerat. Illico deſperatum eſt, cum iis, qui naturam vicißent, poſſe certamen ſuſcipi; útque ferè mala mens eadem etiam timida eſt, nihil fugâ potius viſum. ſed id quoque conſilium locus irritum reddidit iniquior fugientibus quàm aſcenſuris. Paſſim ergo præcipites voluebantur, lacerísque inter cotes artubus multati parte membrorum, aut exanimes etiam contingebant ſolum. Reliquis ab Ottoniana cohorte cæſis, duodecim ex quingentis (tot enim fuere) cum Alberico prædonum primipilo viui in conſpectum Cæſaris adducti ſunt. Acti in furcam omnes, præter Gallum equitem, qui ſe in illud ſpoliarium fraude pellectum teſtatus, miſero miniſterio, ſociorum carnifex factus vitam redemit. Reliquorum corpora aceruatim congeſta luctuoſum viatoribus, ſed ſceleratis vtile ſpectaculum præbuerunt. Ottoni ſummæ gloriæ fuit, illum feralium coruorum Cæſareas laceſſentium Aquilas nidum repurgaſſe, petitumque inde fe-

Digitized by Google

lix augurium potentiæ illius ad ſummum aliquando faſtigium eluctaturæ; in quo tum quidem Henricum Leonem Fridericus in BOICAM reuerſus collocare omni ope ſtuduit, iterum tergiuerſante Henrico Auſtrio, & aduerſus quantamcunque auctoritatem Cæſaris conſiliáque Principum, quos inter Otho Friſingenſis germanus eius frater fuit, obfirmato. Ergo cùm appareret voluntate nunquam ceſſurum, Cæſar Idib. Octob. Comitiis Ratiſbonæ habitis, eum palàm exauthorauit & BOIARIAM Leoni reſtituit. Proceres ſacramento adacti obſides fidei pignus tradidere. Ibidem etiam Hartvvico Ratiſbonenſi Epiſcopo, ob cauſam, quam ſupra explicaui, multa irrogata eſt. Arnaldus Moguntinus Antiſtes & Hermannus Comes Palatinus, quòd per abſentiam Cæſaris Rem Pacémque publicam Germaniæ inteſtinis bellis laceraſſent, de vi poſtulati, & proximis Chriſti Natalitiis Wormatiæ rei peracti ſunt. Arnaldum ſacri ordinis reuerentia ſupplicio exemit. Hermannus cum denis factionis ſuæ principibus inſigni ignominia

BOIARIA HEN. LEONI REDDITVR.

SVPPLICIVM FACTIOSORVM. MCLVI.

Digitized by Google

minia notatus eſt: Singuli, repetito veteri more, canem ceruicibus impoſitum per aliquot paſſuum millia palàm prætulere, memorabili ad omnem poſteritatem exemplo, in quo imaginem videas priſcæ ſeueritatis nobiliſque cenſuræ etiam in Principes exercitæ, quibus multi hodie neque leges ſcriptas volunt, eorúmque potentiam licentiâ peccandi definiunt. Rebus ad Rhenum compoſitis, Imperator in Boiariam rediit, & Pentecoſte apud Ottonem Wittelſpachium Kelhaimij, vt Auentinus opinatur, actâ, Henricum Auſtrium ad cedendum Henrico Leoni Principatum induxit, negans omnibus retro annis meliùs ſe de Repub. meritum, quàm quo die illa duo Imperij columina magno malo publico inter ſe diſſidentia in concordiam reduxiſſet. Mox Herbipoli alteras cum Beatrice Burgunda Nuptias celebrauit; cùm nuper ab Adelhaide Vohburgia ſanguinis propinquitatem cauſatus diuertiſſet. Menſe Septembri Ratiſbonam reuerſus, celeberrimo Conuentu, feriis Natalitiis Marianis, pacem inter

Otho Friſ. l. 2. c. 28.
Gunther.

Henr. Leo & Henr. Avstrivs conciliati.

Quidam Agnetem vocant.

Ex diplomate publico. INAVGVRATIO PRINCIPVM.

AVSTRIÆ MARCHIA IN DVCATVM EVEHITVR.

duos Henricos Leonem & Auſtriũ ſanxit. Auſtrius ſeptem vexillis, Leo duobus Imperatori traditis, ille BOIARIÂ, hic Auſtriâ ſe abdicârunt. Leo extemplo in poſſeſſionem BOIARIÆ immiſſus; Marchia Auſtriæ à BOIARIÆ Ducũ Imperio auulſa, adiectáque prouincia omni, quæ ab Oeni oſtiis vſque ad Anaſſum porrigitur, liberi Ducatus titulo aucta Henrico Auſtrio eiuſque vxori Theodoræ permiſſa; ex eóque tempore Marchiones Auſtriæ, Duces, demum etiam Archiduces ſalutati. Vladiſlaus Bohemiæ Dux ſententiam promulgauit. Proceres, quotquot aderant, approbarunt. Ex iis facile principes fuerunt Pilegrinus Aquileienſis, Eberhardus Saliſburgenſis, Otho Friſingenſis, Conradus Batauenſis, Eberhardus Bambergenſis, Hartmannus Brixinenſis, Hartvvicus Ratiſbonenſis, Albertus Tridentinus, Pontifices. Welfo Hetruriæ, Spoleti & Sardiniæ, Cæſaris beneficio, Regulus, Conradus frater Imperatoris, Fridericus Conradi Regis Filius, Henricus Dux Carinthiæ, Engelbertus Marchio Iſtriæ. Albertus Badenſis,

ſis, Diepoldus Vohburgius, Henricus Rheni Palatinus, Otho Palatinus BOIARIÆ Wittelſpachius, & frater eius Fridericus. Principatui recens inſtituto ius ampliſſimum conceſſum, vti eius capeſſendi maribus iuxta fœminíſque, ſicubi ij defeciſſent, poteſtas æqua eſſet: qui ſi hæredem ſui ſanguinis ſortiti non eſſent, aliunde pro arbitrio adlegerent. Iuriſdictio in Auſtria nulli, inuito Duce, eſſet. ipſe immunis nullíque obnoxius viueret; Comitiis duntaxat, quæ Cæſar in BOIARIA acturus eſſet, euocatus intereſſet. Vacationem inſuper militiæ haberet, niſi quando Cæſar proxima Auſtriæ bello peteret. Quibus rebus quanquam honor & potentia Ducum BOIARIÆ, vt vetus Chronicon loquitur, multum minuta ſunt; pacem tamen rebus reddi vel ſic, tanti fuit; eáque velut nobili gemma res Friderici Otho noſter obſignauit, proſequendáſque Radeuico Friſingenſi Canonico reliquit, cuius Commentariis in poſterum frequenter vtemur. *Chron. Auguſt.*

Imperium, Romani Pontificis Clienti & Beneficiario obiectaretur; quod ne ſuſpicari temerè viderentur, exaggerata ad inuidiam. Innocentij Pontificis pictura eſt, qua Lotharij Cæſaris inaugurationem in Laterano factam prodidit cum hac epigraphe:

Rex venit ante fores, iurans priùs Vrbis honores;
Poſt HOMO fit Papæ, ſumit quo dante Coronam.

eam cùm induci Fridericus olim poſtulaſſet, Pontifex in eam vſque diem promiſſis non ſteterat. id cùm vſurpandi firmandíque iuris causâ factum traduceretur, paſsímque liberæ voces velut ſeruitutem abominantium iactarentur, Legatorum alter etiam, ipſe commotior palàm rogauit, vndenam tandem allapſum in caput Cæſaris diadema exiſtimarent, ſi in eo *Beneficium* Pontificis agnoſcere verecundarentur? cuius dicti acerbitatem Otto Wittelſpachius, qui proximus aſtabat, vlturus ferro fuerat, niſi Fridericus iam ceruici imminentem

OTTO WITTELSPACHIVS IN LEG.

nentem repreſſiſſet. Idem tamen ſub motis legatis & in Vrbem reiectis, plenam triſtium querelarum Epiſtolam per omnem Germaniam ſparſit, qua hoſtes Reipub. declarauit, quicunque Imperij Inſignia *Beneficium* Pontificum appellaſſent. Pont. insvrgit.

Anni ſequentis initio Ratiſbonenſib. Comitiis Geiſæ Vngarorum Regis Stephaniq; fratris cauſa agitata. Hic ad Cæſarem profugus fratrem iniuriarum poſtulauit, cuius violentiâ extorris patriâ, vitam fugæ beneficio ægre ſit tutatus. Geiſa viciſſim maximis patronis defenſus omnem à ſe inuidiam in fratrem retorquebat; qui cùm peſſimis ſe conſultorib. corrumpendum dediſſet, nihil ſibi reliqui fecerit, quo minus patriæ ſuæ fax & peſtis publicè audiret, omnium eum odia priùs, quàm fratris incurriſſe; qui illum hoſtem non antè cenſuerit, quàm armatum in perniciem ſuam videret. Bellum vltro inferentem, poſtquam ſuperatus ſit, queri quòd iniuriam facere nequîſſet, & de exilio expoſtulare, quaſi patria vnquam cordi fuerit MCLVIII. Cavsa regvm Vngarorvm.

Digitized by Google

ſilium à virtute, cui nihil inuium eſt, pe- tit; hortatúſque Wittelſpachium, ne latronibus ludibrio eſſe ſineret Cæſarem, quíque ferro Italiam ſubegerit, pro capite nuper coronato aurum paciſci; ducentos expertæ animoſitatis iuuenes & quiduis pro gloria auſuros ei aſſociat, rimarique ferentes ad cacumen aditus iubet. Illi gladiis haſtíſque armati iter ingrediuntur. ad prærupta vbi ventum eſt, quadrupedes reptare, extantia prenſare virgulta, fido veſtigio nixi vacillantibus manum tendere, vel adminiculari humeris; audaciſſimi prætentare ignotos calles, & inſolentiâ dubii itineris timidos audaciâ exempli confirmare, quærere compendia, inter ſaxorum hiatus haſtas defigere, aut componere in ſcalarum gradus, atque his denique artibus in cacumen eniti. Hîc Otto quod inuolutum geſtauerat vexillum prætorium explicuit, eóque ſigno captum verticem oſtendit. ſimul totis caſtris clamor tollitur, & inter ſonantes lituos rectà aduerſus latrunculorum latibulum acies erigitur. Id velut inane terriculamentum primùm irriſui fuit, donec

GLORIOSUM OTTON. WITTELSPACHII FACINUS.

à ter-

à tergo exultabunda ſe cohors oſtendit, quam, niſi pinnata foret, eò euaſuram ne ſuſpicio quidem fuerat. Illico deſperatum eſt, cum iis, qui naturam viciſſent, poſſe certamen ſuſcipi; útque ferè mala mens eadem etiam timida eſt, nihil fugâ potius viſum. ſed id quoque conſilium locus irritum reddidit iniquior fugientibus quàm aſcenſuris. Paſſim ergo præcipites voluebantur, laceriſque inter cotes artubus multati parte membrorum, aut exanimes etiam contingebant ſolum. Reliquis ab Ottoniana cohorte cæſis, duodecim ex quingentis (tot enim fuere) cum Alberico prædonum primipilo viui in conſpectum Cæſaris adducti ſunt. Acti in furcam omnes, præter Gallum equitem, qui ſe in illud ſpoliarium fraude pellectum teſtatus, miſero miniſterio, ſociorum carnifex factus vitam redemit. Reliquorum corpora aceruatim congeſta luctuoſum viatoribus, ſed ſceleratis vtile ſpectaculum præbuerunt. Ottoni ſummæ gloriæ fuit, illum feralium coruorum Cæſareas laceſſentium Aquilas nidum repurgaſſe, petitumque inde fe-

Digitized by Google

lix augurium potentiæ illius ad ſummum aliquando faſtigium eluctaturæ; in quo tum quidem Henricum Leonem Fridericus in BOICAM reuerſus collocare omni ope ſtuduit, iterum tergiuerſante Henrico Auſtrio, & aduerſus quantamcunque auctoritatem Cæſaris conſiliáque Principum, quos inter Otho Friſingenſis germanus eius frater fuit, obfirmato. Ergo cùm appareret voluntate nunquam ceſſurum, Cæſar Idib. Octob. Comitiis Ratiſbonæ habitis, eum palàm exauthorauit & BOIARIAM Leoni reſtituit. Proceres ſacramento adacti obſides fidei pignus tradidere. Ibidem etiam Hartvvico Ratiſbonenſi Epiſcopo, ob cauſam, quam ſupra explicaui, multa irrogata eſt. Arnaldus Moguntinus Antiſtes & Hermannus Comes Palatinus, quòd per abſentiam Cæſaris Rem Pacémque publicam Germaniæ inteſtinis bellis laceraſſent, de vi poſtulati, & proximis Chriſti Natalitiis Wormatiæ rei peracti ſunt. Arnaldum ſacri ordinis reuerentia ſupplicio exemit. Hermannus cum denis factionis ſuæ principibus inſigni ignominia

BOIARIA HEN. LEONI REDDITVR.

SVPPLICIVM FACTIOSORVM. MCLVI.

minia notatus eſt: Singuli, repetito veteri more, canem ceruicibus impoſitum per aliquot paſſuum millia palàm prætulere, memorabili ad omnem poſteritatem exemplo, in quo imaginem videas priſcæ ſeueritatis nobiliſque cenſuræ etiam in Principes exercitæ, quibus multi hodie neque leges ſcriptas volunt, eorúmque potentiam licentiâ peccandi definiunt. Rebus ad Rhenum compoſitis, Imperator in BOIARIAM rediit, & Pentecoſte apud Ottonem Wittelſpachium Kelhaimij, vt Auentinus opinatur, actâ, Henricum Auſtrium ad cedendum Henrico Leoni Principatum induxit, negans omnibus retro annis meliùs ſe de Repub. meritum, quàm quo die illa duo Imperij columina magno malo publico inter ſe diſſidentia in concordiam reduxiſſet. Mox Herbipoli alteras cum Beatrice Burgunda Nuptias celebrauit; cùm nuper ab Adelhaide Vohburgia ſanguinis propinquitatem cauſatus diuertiſſet. Menſe Septembri Ratiſbonam reuerſus, celeberrimo Conuentu, feriis Natalitiis Marianis, pacem inter

Otho Friſ. l. 2. c. 28.
Gunther.

HENR. LEO & HENR. AVSTRIVS CONCILIATI.

Quidam Agnetem vocant.

Digitized by Google

Ex diplomate publico.

INAVGVRATIO PRINCIPVM.

AVSTRIÆ MARCHIA IN DVCATVM EVEHITVR.

duos Henricos Leonem & Auſtrium ſanxit. Auſtrius ſeptem vexillis, Leo duobus Imperatori traditis, ille BOIARIÂ, hic Auſtriâ ſe abdicârunt. Leo extemplo in poſſeſſionem BOIARIÆ immiſſus; Marchia Auſtriæ à BOIARIÆ Ducum Imperio auulſa, adiectáque prouincia omni, quæ ab Oeni oſtiis vſque ad Anaſſum porrigitur, liberi Ducatus titulo aucta Henrico Auſtrio eiuſque vxori Theodoræ permiſſa; ex eóque tempore Marchiones Auſtriæ, Duces, demum etiam Archiduces ſalutati. Vladislaus Bohemiæ Dux ſententiam promulgauit. Proceres, quotquot aderant, approbarunt. Ex iis facile principes fuerunt Pilegrinus Aquileienſis, Eberhardus Saliſburgenſis, Otho Friſingenſis, Conradus Batauenſis, Eberhardus Bambergenſis, Hartmannus Brixinenſis, Hartvvicus Ratiſbonenſis, Albertus Tridentinus, Pontifices. Welfo Hetruriæ, Spoleti & Sardiniæ, Cæſaris beneficio, Regulus, Conradus frater Imperatoris, Fridericus Conradi Regis Filius, Henricus Dux Carinthiæ, Engelbertus Marchio Iſtriæ. Albertus Badenſis,

ſis, Diepoldus Vohburgius, Henricus Rheni Palatinus, Otho Palatinus BOIARIÆ Wittelſpachius, & frater eius Fridericus. Principatui recens inſtituto ius ampliſſimum conceſſum, vti eius capeſſendi maribus iuxta fœminiſque, ſicubi ij defeciſſent, poteſtas æqua eſſet: qui ſi hæredem ſui ſanguinis ſortiti non eſſent, aliunde pro arbitrio adlegerent. Iuriſdictio in Auſtria nulli, inuito Duce, eſſet. ipſe immunis nullíque obnoxius viueret; Comitiis duntaxat, quæ Cæſar in BOIARIA acturus eſſet, euocatus intereſſet. Vacationem inſuper militiæ haberet, niſi quando Cæſar proxima Auſtriæ bello peteret. Quibus rebus quanquam honor & potentia Ducum BOIARIÆ, vt vetus Chronicon loquitur, multum minuta ſunt; pacem tamen rebus reddi vel ſic, tanti fuit; eáque velut nobili gemma res Friderici Otho noſter obſignauit, proſequendáſque Radeuico Friſingenſi Canonico reliquit, cuius Commentariis in poſterum frequenter vtemur. *Chron. Auguſt.*

Digitized by Google

HENRICVS XI. COGNOMENTO LEO HENRICI SVPERBI F. DVX BOIARIÆ.

VIII. MCLVII. *Chron. Reicherſp.* COMITIA RATISB.

Anno quinquageſimo ſeptimo Henricus Leo Ratiſbonæ ordinandæ prouinciæ causâ comitia habuit. eo in loco Bertholdus Andecenſis auctoritate Eberhardi Babenbergenſis Epiſcopi & Ottocari Stririæ Marchionis permotus prædium Mynſterianum Bertholdo Pogio Comiti ea lege tranſcripſit, vt Richerſpergenſi Præpoſito id de manu in manum traderet. qua in re cùm fidem ſuam ad plures annos non exolueret, turpis auaritiæ nota non caruit. Leo è BOICA in Saxoniam regreſſus Suenonem exulem in Daniæ Regnum reducere conatus propè operam perdidit. Nouam deinde molitus vrbem, illam de ſuo nomine Leonſtadium dixit. Lubecam incendio deformatam luculentè reparauit, primúſque eius amplitudinis fundamenta iecit, qua hodie inter reliquas vrbes eminet. Fridericus interim in Polonia multa ad memoriam inſignia geſſit, quæ quia à rebus noſtris alieniora

HENR. LEONIS MOLITIONES.

niora

niora ſunt, parcimus prodere. Herbipoli deinde Manuelis Conſtantinopolitani Imperatoris Legatos audijt; qui cùm Irenes Auguſtæ, quam BOIAM domo alibi oſtendimus, regia ad Fridericum Conradi Regis F. munera expoſuiſſent, id quoque poſtulantibus datum eſt, vt iis auſpicibus Adoleſcentulus vixdum ex Ephebis egreſſus armis accingeretur; quod haud minore pompa illo æuo factum, quàm quâ Romanos prætextâ poſitâ ſumptâque togâ in forum deductos accepimus. Octobri Menſe Veſontione in Burgundionib. Adriani Pontif. Legatos Rolandum & Bernardum ambos Cardinales obuios habuit; qui Pontificiis literis in publico procerum conſeſſu recitatis, ſcintillas ſcilicet ſparſerunt illius incendij, quo paulo pòſt Reſpub. Chriſtiana conflagrauit. Aurem eâ epiſtolâ peruellebat Imperatori Adrianus, vti meminiſſet, Imperij Inſigne *Beneficium* Summi Pontificis eſſe. Ad eam vocem vt arrogantiorem Cæſar Senatúſque Procerum omnis cohorruit, quaſi precarium

Baron. Sigo-nius.

CAVSÆ IRARVM FRID. ADVERSVS PONTIF.

Digitized by Google

Imperium Romani Pontificis Clienti & Beneficiario obiectaretur; quod ne ſuſpicari temerè viderentur, exaggerata ad inuidiam Innocentij Pontificis pictura eſt, qua Lotharij Cæſaris inaugurationem in Laterano factam prodidit cum hac epigraphe:

Rex venit ante fores, iurans priùs Vrbis honores;
Poſt HOMO fit Papæ, ſumit quo dante Coronam.

eam cùm induci Fridericus olim poſtulaſſet, Pontifex in eam vſque diem promiſſis non ſteterat. id cùm vſurpandi firmandíque iuris causâ factum traduceretur, paſsímque liberæ voces velut ſeruitutem abominantium iactarentur, Legatorum alter etiam ipſe commotior palàm rogauit, vndenam tandem allapſum in caput Cæſaris diadema exiſtimarent, ſi in eo *Beneficium* Pontificis agnoſcere verecundarentur? cuius dicti acerbitatem Otto Wittelſpachius, qui proximus aſtabat, vlturus ferro fuerat, niſi Fridericus iam ceruici imminentem

OTTO WITTELSPACHIVS IN LEG.

nentem repreſſiſſet. Idem tamen ſub motis legatis & in Vrbem reiectis, plenam triſtium querelarum Epiſtolam per omnem Germaniam ſparſit, qua hoſtes Reipub. declarauit, quicunque Imperij Inſignia *Beneficium* Pontificum appellaſſent. PONT. INSVRGIT.

Anni ſequentis initio Ratiſbonenſib. Comitiis Geiſæ Vngarorum Regis Stephaniq; fratris cauſa agitata. Hic ad Cæſarem profugus fratrem iniuriarum poſtulauit, cuius violentiâ extorris patriâ, vitam fugæ beneficio ægre ſit tutatus. Geiſa viciſſim maximis patronis defenſus omnem à ſe inuidiam in fratrem retorquebat; qui cùm peſſimis ſe conſultorib. corrumpendum dediſſet, nihil ſibi reliqui fecerit, quo minus patriæ ſuæ fax & peſtis publicè audiret. omnium eum odia priùs, quàm fratris incurriſſe; qui illum hoſtem non antè cenſuerit, quàm armatum in perniciem ſuam videret. Bellum vltro inferentem, poſtquam ſuperatus ſit, queri quòd iniuriam facere nequîſſet, & de exilio expoſtulare, quaſi patria vnquam cordi fuerit MCLVIII. CAVSA REGVM VNGARORVM.

 rit

Digitized by Google

rit aſpicere ruentem illam quàm florentem præoptanti. Imperator ambiguam litem, rebus aliò eum vocantibus, ampliauit, & Stephanum procul à conſpectu Patriæ in Græciam, Geiſæ dignitate inuiolata, ſepoſuit. Alterum etiam fratrum par æquè nobile, Othonem Friſingenſem & Henricum Auſtrium bona fide in concordiam reduxit Auſtrij cupiditate abruptam; quæ cùm illum ad Friſingenſis Eccleſiæ opes carpendas impuliſſet, confeſtim expertus eſt, religionis nomen quàm ſanguinis Othoni antiquius eſſe, neque fratrem eum niſi vſque ad aras futurum. Vladiſlao denique Bohemo egregiæ operæ bello Polonico nuper nauatæ pretium redditurus, nouóque authoramento fortem virum in Italicam expeditionem tracturus, regium diadema impoſuit. Mox toto in bellum Mediolanenſe animo verſus, ne illud irato aut inconſulto Numine ſuſcepiſſe videretur, eorum, quos ei familiares nôrat, ſententiam ſtudioſè inquiſiuit; in Hartmanni potiſſimùm Brixinenſis Pontificis oraculo acquieſcens, quem, vt Radeuici

AVSTRIORVM FRATRIS COMPOSITA.

alij Labeſlaum vocant. BOHEMVS REGIA DIGNITATE AVCTVS.

BELLI MEDIOLANENSIS INITIA.

deuici verbis vtar, *in negotiis ſpecialem habebat præceptorem, & ſalutis animæ ſuæ fidum Secretarium*; cui cùm belli cauſas approbaſſet, negauit liquidioribus auſpiciis ad ſpem certæ victoriæ opus ſibi eſſe. Aculeata interim à Pontifice Romano epiſtola in Germaniam allata, non ſine graui cum Ottone Wittelſpachio & Reinaldo Cancellario expoſtulatione, qui concitaſſe Friderici animum & atroci ſententiæ Pontificiæ interpretatione exaſperaſſe eius manſuetudinem ferebantur. Epiſcopi Germaniæ, dilutis moderato reſponſo accuſationis capitibus, rogarunt Pontificem, ne, quod dicitur, ignem ſcrutari gladio, aut alere oleo perſeueraret. leni maieſtatis temperamento flexúque rigoris plus à volentib. deuotíſque ſibi impetraturum, quàm vi decretoria & cenſura fulminatrice. nominatim poſtularunt, vt totum Lotharianæ Coronationis emblema cum infelicis Poëtæ malè natis verſibus aboleretur; ne propter putidam ſtolidi hominis aſſentatiunculam & verba paucula eáque ſemipa-

B. HARTMANNI APVD CÆS. AVCTORITAS.

mipagana & barbara velut in pomo Eridis deſcripta duo ſumma orbis Chriſtiani capita inter ſe colliderentur. Porrò Otto Wittelſpachius & Reinaldus, qui vni maximè petebantur, iam in Italiam penetrauerant, ad muniendum ſecuturo exercitui iter, quòd in illorum virtute & egregia rerum gerendarum peritia primæ ea tempeſtate Friderici ſpes eſſent ſitæ. Idem ambobus in vtraque fortuna animus, ſed in aduerſâ fortior, ad pericula, vt ad certiſſimam ſegetem gloriæ, proruebant primi: laudis duntaxat auari, opum ne cupidine quidem contingebantur, nullius ſibi delicti, nullius libidinis gratiam faciebant; mites in alios id pro ſe cauerant, ne quid admitterent, quod ſibi à quoquam ignoſci vellent. Iiſdem ſtudiis chari ſuis, hoſtibus formidoloſi euaſerant; ſatiſque conſtat, eo bello magnæ rei ſine his nihil geſtum; cúmque ſibimet ſufficerent, alios iis omnia, eos nemini quidquam debuiſſe. Primum eorum in Italia opus fuit, Riuola faucium Veronenſium inexpugnabile caſtellum ſolâ

OTTONIS WITTELSPACH. GLORIA MILITARIS. *Radeuic. l. 1. c. 18.*

EIVSDEM GENIVS.

FACINORA IN ITALIA.

ſolâ nominis famâ expugnatum, & cætera exemplo inuitaturum; cùm vtique poſt Riuolam nulli loco voluntaria deditio eſſet erubeſcenda. Certatim deinde aduentantibus vrbes patuere, velut occupantibus ſingulis maturati obſequii gloriam, iuratâ fide & capite pro ſalute Imperatoris deuoto. Benigna felicium initiorum fama etiam Romam peruaſit, & molliores Adriano Pontifici in Cæſarem animos dedit. Proinde cùm ad eum reſcriberet, exempta eſt priſtina literis acrimonia, & quicquid antea teneras aures raſerat, velut ſpongiâ abſterſum; legati etiam delecti, quales res tempúſque requirebat, eximia ambo moderatione & impetrabili Suada ſufflatum à nuperis cauſidicis veriùs quàm Legatis incendium ſopituri, Henricus S S. Nerei & Achillei, & Hyacinthus S. Mariæ in Schola Græca Cardinales. Hi cùm per Italiam iter facerent, Wittelſpachius noſter cum Legationis ſocio Reinaldo Cremonæ celeberrimos conuentus agebat, tanta apud ſummos vtriuſque Ordinis Proceres dignatione, vt ampliorem ne Cæſaribus qui-

Gloriosa comitia.

Digitized by Google

quidem ſua Maieſtas conciliare poſſe videretur. Oram Adriatici Maris legentibus Græcorum fraudes maritimas ciuitates ſolicitantium aperiuntur; neque deerant, quos magnitudo pecuniæ iam labefactârat. ipſe adeò Otto Rauennâ digreſſus eius Regionis primores obuios habuit, qui cum Græcis contuliſſe capita & auro fidem vendidiſſe arguebantur. In hos quanquam ſtipatoribus abundarent & numero longè vincerent, Otto exerto gladio & minacibus dictis inuectus tanto omnes pauore perculit, nemo vt contra hiſcere ſit auſus, ne tum quidem, cùm longè nobiliſſimum ex eo comitatu Guilielmum nomine rapi in vincula vt proditorem patriæ iuberet: tanta eſt magnæ virtutis ex vno etiam homine promicantis reuerentia; vt fruſtra ſperent Principes ornatius aut tutius aliunde ſe ſatellitium petituros. Ipſi deinde Græci Anconæ latitantes neque increpantis vultum, neque arma oſtentantis vim tulere. Iuſſi Italia omni faceſſere, ſine cunctatione in naues coniecere ſeſe, etiam vitæ ſibi gratiam factam inter beneficia nume-

FIDVCIA ET ANIMI ROBVR.

GRÆCOS ITALIA PELLIT.

Digitized by Google

numerantes. Noſtri cùm inde Mutinam conceſſiſſent, Legati Pontificij vltro eorum colloquium expetiere, & illa modeſtia pluribúſque eo congreſſu documentis editis teſtati, attemperata Germanico candori ingenia ad munus legationis aſſumpta. Neque ſic tamen odia, quæ priores collegerant, euitare potuerunt. Tridentinam vallem Alberto vrbis eius Epiſcopo comite & duce peragrantes à Friderico & Henrico loci dynaſtis fœdè exſpoliati & in vincula conie&ti ſunt, libertate non antè conceſſa, quàm alter Legatorum Hyacinthus fratrem obſidem dediſſet. Id ſcelus Henricus Leo, ad quem omnis illa regio, nondum acciſis, Auſtrum verſùs, Boiariæ limitibus, pertinebat, in au&ores ſuos vindicauit; quos & reddere obſidem compulit & dignis atrocitate flagitij ſuppliciis ma&auit, tanto impenſiùs id ſibi faciendum exiſtimans, quòd illius potiſſimùm au&oritate motus Pontifex hanc alteram legationem adornârat; quæ tandem in campis Lycatibus in conſpe&um addu&a Cæſaris verbis literiſque humaniſſimis, quarum Otho

Henr. Leo legatorvm violatores plectit.

Digitized by Google

OTHO FRIS. PRISCAM SANCTITATEM CANONICORVM COLLEGIO INVEHIT.

Otho Friſingenſis interpres fuit, omnes prioris tempeſtatis reliquias ſerenauit. Otho Legatorum familiari vſu captus, ex eorum ſententia Friſingenſe Canonicorum Collegium iiſdem tunc ædibus & communi foco vtentium, innouato veteri iure & aliquot capitibus aucto, ad religioſæ diſciplinæ cultum velut noua face accendit. Idque operum egregij Antiſtitis ultimum fuit. illo ipſo anno rebus humanis exceſſit. à Friderico Cæſare in Italicam expeditionem deſcriptus, fati ſui præſcius miſſionem impetrauit; iuſſúſque ab amicis vaſa colligere, quibus eius mortem Superi nuuciarant, ad Morimundenſe Monaſterium, quod olim Abbatis nomine rexerat, ſeceſſit. Illic cùm vltima familiaribus mandata daret, Commentarios ſuos, monumenta nobilis ingenij afferri in medium iuſſit, profeſſúſque indicta inductáque ſe velle, quæcunque imprudenti, contra ſcita Maiorum, excidiſſent, tum maximè ſi Gilberti Porretani opinationibus impenſiùs fauiſſet, nullius æqui arbitri cenſuram vel lituram adeò ſubterfugere, valere humana iuſſit,

MORS OTHON. EP. FRIS.

ſit, x. Kal. Octobr. cælo receptus; quod vnicum deerat mortalia omnia decora complexo & inter æui ſui Epiſcopos haud dubiè nobiliſſimo doctiſſimóq;. Ei Albertus ſuffectus eſt Canonicis Præpoſitus. Sed Fridericus, omnibus Imperij viribus in Italiam tranſportatis, Brixiam primo impetu cepit. Abduam amnem tranſituro Mediolanenſes in altera ſeſe ripa obiecere, moram rebus allaturi, niſi Conradus Dachauienſis Comes, idémque Croatiæ & Dalmatiæ Dux, cuius ſuprà quoque meminimus, cum Rege Bohemiæ, contempto aquarum hoſtiúmque furore, vadum ducentorum non minus capitum impendio aperuiſſent. cæteris, qui eluctati ſunt, Mediolanenſes congredi veriti, turpi fuga ceſſerunt. BOII Dynaſtæ & Bohemi Regis factum cùm totis caſtris deprædicaretur, plures alios in periculorum mortíſque contemptum adduxit. In his Ecbertus Butinenſis idémque Schärdingenſis & Neoburgenſis Toparcha famæ juxtà opúmque in BOIARIA ingens cum millenaria cohorte, iniuſſu Cæſaris, I X. Kal. Augu-

CONR. DACHAVIENSIS VIRTVS.

ECBERTI SCHARDINGENS. DYNASTÆ TEMERITAS.

ſti ad ipſa Mediolani mœnia acceſſit. Mox copia pugnæ ab Inſubribus facta; conſumptíſque velitaribus haſtis, ad gladios ventum. equus equo, viro vir hærebat; neque magis à fronte hoſtes, quàm à tergo commilitones vrgebant; vt quo quiſque veſtigio prælium iniſſet, eo vel vincendum vel moriendum eſſet, nullo ne per amicos quidem ad recipiendum ſeſe feſſis ſpatio relicto. Pulueris ſublati vis oculis caliginem offuderat, & obtuſis promiſcuo clamore auribus graſſabatur cœcus furor, nullo diſcrimine, quem ſaluum quiſque, quem perditum vellet. Vnius Ecberti tam clara facinora fuere, vt velut ipſa ſibi lucem diémque gignerent, nulla rerum confuſione obſcuritatéque abſcondi poſſent. Iam pedem noſtri referebãt loci iniquitate & hoſtium numero pulſi, cùm Ecbertus quendam è ſuis proturbatum equo abripi captiuum aduertit: eius liberandi ſtudio infeſtus in hoſtem redit, totúmque in ſe agmen concitat ſolus; & velut tum demum locum nactus oſtentandæ virtutis, victoribus non modò militem ſuum, ſed

GERMANICA VIRTVS.

certam

Digitized by Google

certam etiam victoriam eripit, auerſóſque in fugam, pecorum more, ad vallum vſque agit; donec receptis ex pauore animis reſpicere ſeſe & eum vno homine ſuas componere copias auſi exultantem increpantémque ignauos coronã cinxere, & equo deiectum detractáque cum thorace galeâ patentem ad vulnus in veſtigio oppreſſere; vel, quod aliis viſum, raptum in vrbem tortúmque occiderunt. Annalibus Bohemicis annotatum reperio, eum, qui pro Ecberto in vrbem abreptus ſit, proceritate corporis oríſque dignitate hoſtibus impoſuiſſe, vt totius agminis princeps habitus ad ludibrium ſeruaretur, Ecberto citata morte tormentis ſubducto: quem ille errorem ſi vel ſimulando, vel etiam ſilẽdo tántùm adiuuit, dignus profectò fuit, qui tam illuſtri fide maius beneficium domino, quàm celerem Mortem, aut certè ſibi mitiorem cõciliaret, ne membratim cæſus inter manus carnificis nobilem animam poneret. Indignam Ecberti mortem BOIARIA omnis, Reicherſpergenſes præcipuè Canonici magnis ab eo opibus au- MORS EIVSDEM.

cti, vti & Monachi Varnbachenſes, qui Ecberto eiuſque Maioribus Cœnobij ſui initia incrementáque debent, luxere, & Iuſtã patrono cum Eberhardo Witterunio eiuſdem beneficiario vnà cæſo perſoluére. Extinctum pariter eius morte ampliſſimæ familiæ nomen, de poſſeſſionibus longa & cruenta diſceptatio fuit, vti alibi memorabitur. Ecberti commilitones, amiſſo in hunc modum duce, in caſtra regreſſos auerſatus Cæſar vltimã meritos pronunciauit, quòd rem militarem priuata libidine, quàm iuſtis ducum imperiis rectiùs geri cenſuiſſent; quaſi maius eſſe ſcelus militis poſſit, diſciplinæ caſtrenſis, cuius vnicum vinculum obedientia eſt, contemptu; quæ vna iactura nullis felicis temeritatis victoriis compenſetur. Iámque in eo erat, vt ſupplicio in turbatores auſpiciorum & peſſimi auctores exempli animaduerteret; niſi circumfuſæ legiones iram mitigaſſent, Ducem ipſum erroris ſui ſatis graues pœnas morte pependiſſe dictitantes; ſuperſtitibus nihil triſtius poſſe accidere, quàm Imperatorem ſibi vidiſſe iratum. Obſidio

FRID: CÆS. DISCIPLINÆ MILITARIS CVSTOS, ET VINDEX.

dio deinde, centum armatorum millibus ad ciuitatem adductis, cœpta & magnis virtutum documentis vtrinque nobilitata eſt; è quibus nos non niſi patria memorabimus. Curabat ad vnam è ciuitatis portis Otto Wittelſpachius cum fratribus duobus Friderico & Ottone Minore; quibus in omnem rei bene gerendæ occaſionem intentis rarę ſcere commodùm deſertis ſtationibus hoſtis, & laxatis vigiliis opportunus fieri inſidiis viſus. Ergo armari extemplo militem, ſarmentorum faſces aptámque igni concipiendo materiam comportari per calones iubent; & primis ſe tenebris intendentibus, pontem citato agmine petunt, eúmque iactis faſcibus cum ipſis propugnaculis inflammant. Ciues & iacturæ præſentis dolore, & niſi ſtaret, vbi cœperat, malum, periclitantis etiam vrbis metu amentes, qua maximè parte ſubſidium ferrent, cum flammíſne an cum hoſtibus certamen inirent, incerti hærere; diſſoni vndique clamores diuerſa imperantium exequentiúmque oriri; noſtri non faces modò ſed & tela iacere, & hoſtem ab in-

OBSIDIO MEDIOLANENS.

WITTELSPACHIORVM FACINVS.

Digitized by Google

cendio in ſe auertere. Wittelſpachij potiſſimùm fratres factis ſemper quàm dictis glorioſiores quos imperio antè excitauerant, nunc exemplo accendere, ne ſopitâ flammâ virtutem nox abſconderet; vti tempore, omníque ſtudio eniti, ne minus ferrum ſuum quàm ignes hoſtis ſentiret timerétque. ſerâ demum nocte & extinctis ignibus obſcurâ, receptui cantatum & ab armis diſceſſum eſt. Etiam ex prouocatione viritim pugnantibus quæſita laus; Alberto præcipuè Tirolio Comiti, ſiue Andechſia familia prognatus, quod ſtemmatum concinnatoribus viſum, ſiue alterius ſanguinis fuit. Thraſo quidam Inſuber equo in caſtra aduectus, vnde videri audiríque poterat, equitandi imperitiam Germanis obiectabat; id ſi conuitium cuiquam videretur, ferro ſecum decerneret, vindicarétque gloriam ſuæ gentis. ſimul haſtam coruſcans, & docilem toto campo circumagens equum, oſtentatis omnibus equiſonum artificiis, pro plauſu riſum collegit: ſuâ nihilominus ſententiâ victor, quòd de palma ſibi omnes concederent, multo

NOBILE DVELLVM.

fero-

ferociùs in noſtros probra congerebat: quibus excitatus Albertus, vt erat inermis & nudo vertice, velitari duntaxat haſta & Clypeo arrepto in equum inſilit, & vaniſſimo geſticulatori infeſtus ſe offert, oſtenſurus ludificatio aduerſus veram virtutem quid poſſet. Nihil arma Langobardum, nihil, quibus tam impotenter triumphabat, volubiles in omnem partem flexus iuuere, quò minus eum Albertus excuſſum equo arietaret in terram: ſpolia tamen vitámque, quæ in arbitrio erant victoris, victo remiſit, vt ad gloriam parum momenti allatura. quin etiam ſociis ſibi applaudentibus refragatus eſt, negans Leonis cum Lepore duellum iactandum eſſe. Vrbs denique arctæ obſidionis attrita incommodis, faſtu poſito, occupare clementiam Cæſaris ſtatuit, & conciliatoribus Bohemo Rege & Henrico Auſtrio vſa in eius fidem conceſſit, VI. Idus Septemb. Parte inde copiarum in Germaniam deportata, Cæſar aduerſus Veronenſes, qui Gardæ caſtrum occuparant, contendit; repertóque per Atheſim vado, vaſtato eorũ agro, dire- MEDIOLANVM DEDITVM.

Digitized by Google

ptíſque arcibus, rebelles ad officium compulit. Otto Wittelſpachius Ferrarienſes, qui Mathildis patrimonium circumpadanum inuaſerant, domare iuſſus Padum ipſe quoque omnibus admirantibus vado tranſiit, & improuiſo aduentu conſternatos XL. dare obſides coëgit. Cæſar ad Martinalia conuentu Roncaliis magnâ Procerum frequentiâ acto, multa ex vſu Reipub. ſanxit, conuulſamque Imperij maieſtatem egregiè ſtabiliuit; & ſub anni finem Welfoni poſſeſſiones Mathildis ab iniuſtis incubatoribus vindicatas beneficiario iure moderandas attribuit. Inter funera, quæ Italia Germaniæ remiſit, etiam Conradi Dachauienſis Croatiæ & Dalmatiæ Ducis exuuias Schira Bergomo, vbi viuere deſiit, accepit; cuius liberalitas (Radeuici verba ſunt) & in multis probata periculis animi magnitudo meruit, vt ſubtracti ex hac luce memoria longo tempore apud poſteros non deleatur. apud Schirenſes quidem æterna erit, qui eius ſtudio immortalem theſaurum, Crucem, ex illa ipſa arbore concinnatam, in qua Vita pependit, nacti ſunt. Fulcherius

Sigonius in Friderico.
WITTELSPACHIVS FERRAR. DOMAT.

WELFO GLORIA AVCTVS.

CONR. DACHAV. MORS.

CRVX SCHIRENSIS.
Chron. Schirenſe. Iacob. Gretſ. 2. p. Horti S. Cruc.

rius eam Hieroſolymitanus Patriarcha Conrado Canonico in Europam ferendam dederat. Conradus Dachauienſis interceptam apud Schirenſes depoſuit; eius filius patri cognominis ab Heraclio eiuſdem Vrbis Patriarcha impetrauit, vt quod ſpolium fuerat, Schirenſes dono iuréque, quo qui optimo, poſſiderent. neque aliud eius factum extat commemorabile. Vthildis Mater Filio ſuperſtes Ottoni Wittelſpachio iam rerum potienti Dachauiam arcem, quæque illi contributa, pretio addixit. Ex prioribus gentis eius Regulis ille quoque Otto fuit, Conrado & Beatrice natus, cuius nomini cætera obſcuro ſoláque fati inclementia nobilitato ruſticana plebs etiam hodie ingemiſcit. Anno vigeſimo ſexto ſupra milleſimum centeſimum Dachauia Arce animi cauſa egreſſus eques, à latronibus, qui Ambronem inter & Wirmium amnes graſſabantur, exceptus vitâque exutus eſt. Cædis abſque teſte peractæ indicium canis aſſiduus vnicúſque Heri ſui comes fecit, dextrâ, quæ colluctanti præciſa fuerat, domum relatâ, & ad Matris

Ex Membranis Vndenſtorffenſibus.

pedes cum vlulatu depoſitâ: quæ ſublatam cùm ex gemma annuli agnouiſſet, inchoatúmque ab Animali luctum in omnem familiam ſparſiſſet, idem canis mæſto agmini ad legendas domini qualeſcunque reliquias effuſo ducem ſe præbuit, totámque latrocinij ſcenam detexit. Mater cùm Pietatis ſuæ in filium monumentum extare æternum vellet, locum eius ſanguine imbutum Ædiculâ complexa, Virgini eam Matri & Chriſti Prodromo, quémque ex Apoſtolorum Collegio pro more eius æui ſortitò lectum præcipuo ſemper honore coluerat Otto, D. Iacobo conſecrauit. Luctum ad poſteros Pictura propagauit optimus agreſtium Magiſter, qui exempla Fidei, rari inter homines boni, de Cane petere non erubeſcunt.

IX. A. MCLIX. *Radeuicus.* Annus quinquageſimus nonus priuatis publicíſque cladibus infauſtus luctuoſúſque nomini Chriſtiano fuit. nos compendium inſtituti noſtri memores dabimus. Diſſilierat recens con-

CAVSÆ NOVARVM SIMVLTA- dita Pontificem inter Cæſarémque concordia, ex cauſis non magnis ſed

maxima

maxima damna allaturis. Fridericus interpellari iura ſua, poſtulatíſque apud Adrianum locum non eſſe indignatus eo vſque proceſſerat, vt Pontificem per Epiſtolam allocuturus ſingulari numero vteretur, ex vetere ſcilicet Latini ſermonis formula, quam delicata poſterioris æui barbaries vrbanitatis ſtudio peruertit; ſuum quin etiam nomen Pontificio præponeret, in eo quoque antiquitatem imitatus, ſed pridem vt alia quàm plurima repudiatam. Ea nouitas acerbis expoſtulationibus & aliis ſuper alias offenſis ſufflata in magnum incendium erupit. Acceſſit iterata Mediolanenſium defectio tum denique patefacta, cùm Otto Wittelſpachius cum Rainaldo Cancellario & Comite Gotzvvino nouorum Conſulum creandorum causâ, vti priore anno conuenerat, ad vrbem acceſſiſſent. Populus, eorum aduentu cognito, in ſeditionem verſus in forum procurrere, tela lapidéſque comportare, legatis exitium minari; cúmque in publico non comparerent, ædes, in quibus eos diuerſari ſuſpicio erat, oppugnare; fruſtra ſanioribus Pro-

TVM INTER PONT. & CÆS.

MEDIOLANENSIS SEDITIO.

Procerum, Blanderatenſi præſertim Comite, furori obnitentibus. Profuit Ottoni, cuius caput maximè petebatur, in ſuburbano hoſpitium legiſſe, vt facilis ei ſociiſque ad fugam, ſub exortum tumultûs, via pateterit. reliqui per noctem latibulis defenſi ſummo mane Epiſcopi induſtriâ furentis populi manus euaſere. Cæſar de iure gentium à Mediolanenſibus violato Autimiaci IV. Non. Febr. in Procerum conuentu, quos inter etiam Albertus Friſingenſis Epiſcopus fuit, conqueſtus, etſi manifeſtum ſcelus erat, Marnicam tamen eos ad cauſam dicendam euocauit. vbi cùm eis perfidia probro daretur, negarunt Cæſari vllâ ſe ſacramenti religione obligatos. qualecunque enim illud fuiſſet, linguâ duntaxat iuratâ, iniurato pectore à ſe præſtitũ fuiſſe. Cæſar improbam gentẽ, quæ fœdiſſimũ crimen alio longè fœdiore tegeret, imò geminaret, deteſtatus bellíque gerendi certus Henricum Leonem BOIARIÆ Ducem cæteróſque Imperij proceres ad conferenda auxilia inuitat; ipſe interim machinas inſtruit, certos amicos confirmat, dubios

MEDIOLANENS. PERFIDA CONTVMACIA.

dubios ſibi conciliat, quæque alia vſui futura proſpiciebat, indefeſſo ſtudio exequitur. Sub id tempus grauiſſimum incendium Nonis Aprilis ipſis Ramalibus ortum Friſingenſem vrbem eiuſque ornamenta omnia in cinerem redegit. Sacris profaníſque pariter hauſtis, nulla ara ſuperfuit. damnum æſtimationem exceſſit. Eæ tum Eccleſiæ illius opes fuerant, vt certare cum ditiſſimis poſſet. Myſtarum verò tanta ſanctitas, tam clara doctrinæ fama, vt in orbe Romano idem Friſinga tum eſſet, quod gemma in annulo. Id malum vrbi triſtium prodigiorum oſtentis denunciatum, ſerò deinde intellectum eſt. Euerſo ſacrificantis calice, profuſi Sanguinis gutta nulla vſquam comparuit. Lemures vagi errantéſque noctem, diræ aues inauſpicatæque ferali cantu diem funeſtarunt. Id quoque in religionem verſum eſt, quòd puerorum puellarúmque greges, nullo duce, ſupplicantium ritu vrbem obirent, Numinis vtique impulſu ad placandas cæleſtes iras adultos exemplo excitaturi. Id tamen quantumcunque malum intra vnam vrbem ſtetit.

FRISINGÆ INCENDIVM.
Radeuicus.

PRODIGIA.

Radeuic.l.2. c.30.

Dissidium Regni et Sacerdotii.

ſtetit. At Regni & Sacerdotij diſſidium cùm quotidie gliſceret, etiam remedia reſpuebat; quod enim ex literis ad Eberhardum Saliſburgenſem datis intelligitur, Cardinales Legati, qui ſub Paſchales ferias cum grauibus poſtulatis Cæſarem adierant, id tantùm impetrarunt, vt Fridericus ipſe quoque pro ſe nitendo, dum iura Maiorum vrget repetítque, atque, vt fit, æqua iniquis miſcet, à pace longè fieret alienior. Iam etiam bellum Mediolanenſe, alternante Fortuna, ſemper tamen Friderici partibus æquiore, recruduerat in mutuas clades; Inſubribus non tantùm aperta vi, ſed veneno etiam aliiſque indecoris artibus in caput Principis graſſantibus, irrito, Numinis curâ, latrocinio. Subinde Beatrix Auguſta & Henricus Leo cum Conrado Auguſtano inſigne ſupplementum adduxere. Mille ducenti cataphracti cum Boiariæ & Saxoniæ nobilitate Leonis Signa ſecuti fuerant. Welfo paulo pòſt nouis copiis exercitum auxit. Henricus Leo, vti ſæpe commemoratum eſt, Welfonis fratre genitus ſanguine illi quàm ingenio propior

Bell. Mediolanense resvmptvm.

Henr. Leo avxilia Cæsari advcit.

Item Welfo.

aliam

aliam ab eo viam ad famam & gloriam intenderat; vt Radeuicus, qui vtrumque noſſe familiariter potuit, ad illuſtrium virorum, quos Roma habuit, normam ambos exigens, in Henrico Catonem, in Welfone Cæſarem exiſtimet reuixiſſe, iiſdem coloribus & penè adeò verbis, quibus Salluſtius illa Togatæ gentis lumina depinxit, ad hos exornandos vſus. Cæſar his copiis firmatus etiam Cremam fidam Mediolano vrbem obſidione cinxit, & mox, Idibus Iulij, Mediolanenſes in inſidias præcipitatos magna clade affecit: Centum & quinquaginta cæſis, innumeris vulneratis aut ſubmerſis, ſexcentos captiuos abduxit; quemadmodum ex laureatis literis, quas ad Albertum Friſingenſem miſit, intelligitur. Otto Wittelſpachius per id tempus pacis ſanciendæ cauſâ Romæ erat; quæ ne coaleſceret, faſtus, quo vtrinque certatum eſt, præpediuit; Romanis non ſuo, ſed Maiorum pede ſeſe metientibus & pridem ſolutos Vrbis faſces ſceptris Germaniæ ſubmittere dubitantibus. Dum tempus nihil agendo extrahitur, Adrianus Pontifex

WITTELSPACH. PACIS AVCTOR FRVSTRA EST.

Kalend.

Kalend. Septemb. Anagniæ, haud inuito Friderico, moritur; qui omne exinde ſtudium eò contulit, ne quem præterquam ſibi obnoxium inire Pontificatum pateretur. Eberhardum etiam Saliſburgenſem Epiſcopum per Epiſtolam monendum putauit, ne temerè in cuiuſquam verba iuraret, cui non ipſe prior calculum adiecisſet. Interim, ſciſsâ in factiones Curiâ, Rolandus & Octauianus, ille ab optimo quoque, hic ab obſcuriſſimis & ſua paucitate contemnendis, Pontifices renunciantur. Rolandus epomidem purpuream ſibi inijcientibus tum quidem intempeſtiuâ modeſtiâ obluctatus Octauiani ambitione præuertitur; qui cùm repentè purpuratus in publicum prodiiſſet, à populo rei ignaro vel pecunia redempto adoratus Victoris nomen accepit. Rolandus poſt nonum denique diem cum aſſeclis libertati redditus à Sabinenſi Epiſcopo, ad quem Pontificum inauguratio pertinet, bonis omnibus fauentibus, ritè conſecratus Alexander Tertius voluit appellari. id XII. Kal. Octob. factum; cùm Victor Nonis deni-

SCHISMA PONTIF.

que

que ægrè tres Epiſcopos nulla ad tantam rem peragendam auctoritate inſtructos magnis conquiſitionibus nactus inauſpicatò eſt inauguratus, riſui ſine dubio futurus, niſi Cæſar ab Alexandro, cuius libertate in Legationibus offenſus fuerat, alienior tuendum ſibi abortiuum Pontificem ſuſcepiſſet, tanto quidem ſtudio, vt Alexandri Oratores acturus in furcam fuerit, niſi Welfo & Henricus Leo ſæuo ſeſe imperio obiecissent. Wittelſpachius fidei ſuæ ratus ad Cæſaris exemplum nutúmque ſe totum componere, Victoris partes acerrimè eſt tutatus, eíque per Campaniam, quódque D. Petri Patrimonium vocatur, circumducto nolentes etiā ſacramentum dicere coëgit. Reuocatus deinde à Friderico, & Alexandro obuiam miſſus eſt, quem ad Concilium Papienſe prauo à ſe ſtudio indictum irrito conatu pellexit: nam neque ius ſuum in dubium vocari ſuſtinuit Pontifex, & Cæſaris arbitrium rem tantam ad ſuum tribunal reuocantis vel ſuſpectauit vel contempſit. Fridericus nihilo minus vt ſpecioſam abdicandi inuiſi

FRIDERICVS VICTORI FAVET.

ARBITRVM SE PONTIFICIB. OFFERT. FRID.

Pontificis cauſam inueniret, miſſis per quinque regna literis, Idus Ianuarias anni ſequentis cernendæ Pontificiæ liti edixit. Extant ad D. Hartmannum Brixinenſem ea ſuper re ſcriptæ, qui tamen iis nihil motus pedem domo non extulit, neque contagione fœdi conuenticuli innocentiam ſuam contemerari eſt paſſus. Idem Albertus Friſingenſis & & Romanus Gurcenſis Epiſcopi fecere. Eberhardum Saliſburgenſem ad hunc ſcopulum allidi Deo cordi non fuit. Vicentiam vſque per Forum Iulij progreſſum diuina manus vtili plagâ repentini morbi inflictâ domum retraxit. Henricum tamen Berchteſgadenſem Præpoſitum, excuſandæ abſentiæ causâ, cum clitellariis iumentis duobus piſce & caſeo onuſtis, additis etiam triginta argenti *Marcis* ad Imperatorem miſit. Hartvvicus Ratiſbonenſis & Conradus Batauenſis cœptum iter tenuerunt. Seriùs nihilominus ſequenti anno conuentum eſt; quòd Cremenſi obſidione ad exitum ſpectante, nollet Cæſar propè victis diſceſſu ſuo ſpatium colligendi ſe dare. VII. Kal. Februarij de deditione agi

Apud Baron. vitiosè Hermannus nominatur.

EPISCOPORVM BOIARIÆ PRO LEGITIMO PONT. STVDIVM.

Radewic. c. 72. & in Epiſtolis ſeparatim editis.

CREMÆ DEDITIO.

agi cœptum, Peregrino Patriarcha Aquileienſi & Henrico Leone Interpretibus, quorum opem vltimis rebus ſuis ciues implorârant. Venia iis páxque his conditionibus data eſt: vrbe cederent, opum efferendarum poteſtate facta, pro virium menſura. Reliquum militi in prædam ceſſit; quæ cùm ſpe minor eſſet, iactis in tecta facibus iracundiæ excidio vrbis litatum eſt. Fridericus eodem die, quo Crema eſt dedita, Romanum Gurcenſem; Eberhardus Babenbergenſis Saliſburgenſem de victoria certiores fecere: poſterior his duntaxat verſiculis eſt vſus:

Iam Cinis eſt, vbi Crema fuit: quis Papa futurus,
Catholici certant, & adhuc ſub Iudice lis eſt.

Cui liti Fridericus poſtridie Cineralium impoſuiſſe finem ſe credidit, ſed veriùs robur dedit, Patribus in ſententiam ſuam & Victoris obſequium adductis: quem cùm reliqui ſine vlla exceptione probarent colerèntque, Aquileienſis Patriarcha cum nonnullis aliis, quíque è noſtris aderant, Batauenſis & Ratiſbonenſis communem ſe Orbis terrarum conſenſum ſecuturos affirmarunt, & ita CAVTIO EPISCOPP. BOIARIÆ.

Digitized by Google

in Victoris partes conceſſuros, niſi olim Eccleſiæ aliter videretur: qua clauſula cautum volebant, ne fraudi ſibi eſſet inconſulta ſuffragatio, receptu ad meliores amiſſo. Abruptâ ad hunc modum Eccleſiæ, ſub bicipiti Pontificatu, concordiâ, & Imperio vel Cæſarem, vel æquè magnum plebeijs animis nomen Epiſcopos ſuos ad miſerum ſequente errorem, ſolius BOIARIÆ columnæ ſteterunt immotæ, obtinuerúntque ne Germania vniuerſa imminuta capite & amiſsâ veræ pietatis animâ in ſchiſma rueret. Eberhardus Saliſburgenſis inclinatam ſuſtentauit, & Hartmannum Brixinenſem ſibi conſentientem nactus Alexandri partes aduerſus Victorē præiudicio cōpertæ ſanctitatis egregiè tutatus eſt: cùm tanta eius apud Cæſarē etiā eſſet æſtimatio, vt plus quàm mortalem coleret, & quanquā cauſam, cui patrocinabatur, peſſimè oderat, patronum tamen revereretur. Et tunc demum veritas oſtenti illius intellecta, quod Epponi Abbati, Eberhardo etiamnum Monaſticem profitente, obiectum eſt. Viduam is ſibi videre videbatur

Boiariæ in ſchiſmate conſtantia.

Eberhardus Eccleſiæ patronus.

tur, cui in capitis fortunarúmque diſcrimen iniqui Regis ſententiâ adductæ & Patronos circumſpicienti vnus omnium Saliſburgenſis Monachus os habitúmque Eberhardi ferens operam adderet: cui deinde cum Regis improbitate pro Viduæ innocentia luctanti corpus in chalybem durari viſum, Rege in canem abeunte. Quo ænigmate Eppo iam tum credidit, Eberhardum Saliſburgo Epiſcopum & Vindicem Eccleſiæ promitti, cuius inuictam conſtantiam allatratura fortaſſe, ſed nunquam conuulſura ira Regia eſſet. Sed iungamus, quando ita res tempúſque poſtulant, ſanctiſſimo viro ſanctiſſimam Virginem cælo hoc anno receptam. Mechtildis ea eſt Bertholdi Andechſij Dieſſæque Comitis & Sophiæ Filia; qui ſi Primus eo nomine inter Andechſios Comites eſt, quod nonnullis viſum, vitam illi in hæc tempora extendant neceſſe eſt, cùm filiæ ſuperſtitem fuiſſe, ex iis, quæ mox dicentur, certum ſit. ſi Secundum malunt, quod Auentinus facit, aliam Mechtildi matrem eadem operâ quærant ſuadeo, cùm Berthol-

OSTENTVM.

Engelhardus Lankheimenſis in Vita;to 5 Ant. Lect. Caniſii.

MECHTILDIS DIESSENSIS VIRTVTES ADMIRANDÆ.

di ſecundi vxor Agnes Schärdingia, Mater Virginis noſtræ Sophia fuerit. Ego in Bertholdum Primum pronior ſum; Bertholdum Secundum fratrem Mechtildis exiſtimo, vti & Othonem Epiſcopum Bambergenſem, non Sanctum illum & Pomeranorum Apoſtolum, quem ſupra Boiis abiudicaui, ſed qui poſt annum decimum ſeptimum demum Infulatus prodibit; cuius res cùm imperiti ſcriptores Othonis Primi actis miſcuiſſent, in monſtroſos errores credulum vulgus abduxerunt. Mechtildis porrò, vt indubitata illius decora agnoſcat Boiaria, Parthenonem, qui olim Dieſſæ fuit, quinquennis ſubiit, anníſque cum virtute matureſcentibus, etiam rexit. Carne, vino, lauacris pharmacíſque ſibi in perpetuum interdixit. Edelſtetæ deinde nobili Sueuiæ Cœnobio Abbatiſſa præfuit; cuius iura vocata in dubium cùm Friderico Cæſari Ratiſbonæ probaret, ab eóque vel virtutis vel cognationis nomine ad communem menſam vocata ſolenne ſuum abſtemia teneret, fontana propinata bibituræ tertiùm in vinum degenerauit.

EIVS MONASTICE.

RIGOR VITÆ.

uit. Adultam virginem atro Genio percitam & adhuc fari neſciam integrum, vtroque malo pulſo, reſtituit. Fati ſui præſcia Dieſſam rediit, & excitatâ patris liberalitate, Diengenſis agri Decumam à volente impetrauit; quæ ne tota profanis vſibus cederet, panibus Chriſtiano ſacrificio inferendis partem eius tranſcripſit. Fama inſuper eſt, Dei Matris oblata ſpecie recreatam, & immortalitatis cibo è cælitum manibus paſtam, extraordinario ſine dubio fauore, ſed quem non minùs rara virtus mereri potuit. Certè vt ſumma omnia de ea credi poſſet, mors ipſa fecit; quæ cùm primùm vulgata eſt, illico innumeri præcones prodiere ſedulò occultatæ ſanctitatis; qui medicam Virginis manum aduerſus omnia morborum genera experti, tacita illius beneficia, quoad ſuperfuit, circumtulere; quòd reditura ſua ſingulis mala minaretur, ſimul ac imperati ſilentij fidem violaſſent. Ipſa denique ex tumulo ſe prodidit, quem miſeris aſyli vicem eſſe voluit: vſq; adeò crines defecti arcere fulmina crediti ſunt, ne quis de nouo ſidere dubitaret, MIRACVLA.

Digitized by Google

cui ad ſerenãdum cælũ tanta vis eſſet.

EVPHEMIA EIVS SOROR. Æquali ſanctitate ſoror eius Euphemia D. Altonis Monaſterio præfecta vixit: ſed res illius Scriptorem nactæ nõ ſunt, vel temporum vitio intercidére.

X.

Helmold. Chron. Slau. Monum. publica.

RES HENRICI LEON. Cremâ, quemadmodum explicatum eſt, concrematâ, Henricus Leo impetrato commeatu in BOIARIAM reuerſus tutelam Monaſterij Pollingani de manu Hartmanni Brixinenſis Epiſcopi accepit. In Saxonia de Slauorum iniuriis effuſíſque populationibus factus certior, hoſtes Reipub. declaratos bello petiit, & Nicloto eorum Regulo occiſo, in deditionem accepit; cuius ne eos pœnitere poſſet, ad Chriſtiana ſacra traductos vera libertate donauit; neue ab ea mores diſſentirent, Bernonem Megalopoli Epiſcopum conſtituit, cuius culturâ innata genti feritas miteſceret. Geroldum Aldenburgenſem cum Epiſcopio Lubecam tranſtulit.

Vrſperg.

WELFO PROV. ORDINAT. Welfo interim Leonis patruus vniuerſis copiis, quas Cæſari auxilio duxerat, in Thuſciam deportatis, comitia ad S. Geneſium habuit, & ſeptem Prouinciæ toparchias totidem Baronibus partitus

iure

iure publicè & conſtanter dicundo ſuum legibus vigorem reddidit. eadem apud Piſanos, Lucenſes & Spoletanos egit eximiis vbique honoribus cultus. Summâ deinde Imperij in Welfonem filium translatâ, per vallem Tridentinam ad Germaniæ res inſpiciendas iter inſtituit. Welfo F. omnes boni Principis virtutes complexus totum ſe ſaluti tranquillitatique publicæ impendit: graſſatores ſi qui de exercitu Cæſareo vel pabulandi vel prædandi ſtudio fines carpere auſi fuiſſent, peſſimè multatos abſtinere rapinis docuit, haud alia re populi erga ſe ſtudia potentiùs excitaturus; cuius beneuolentiæ tantum ineſſe commodorum credidit aut gloriæ, vt Cæſaris inuidiam, quam euitare caſtigatâ identidem militari inſolentiâ non potuit, popularitatis amore contemneret. Sed nimirum Cæſar cum Ottone Wittelſpachio ab Alexandro diris Anagniæ deuotus, inuiſus etiam Superis agebat; quo minùs mirum eſt, Mediolanenſium in illum odia recruduiſſe. Ii ut accepta Cremenſi excidio damna vel ſarcirent vel ſolarentur, & Friderico

WELFO F. EGREGIVS PRINCEPS.

CÆS. ET WITTELSPACH. ANATHEM. PERCVLSI. FRID. ITERVM MEDIOLA-

MENSIBVS HOSTIS.

ægrè facerent, Laudenſibus bellum intulerunt; quòs cum ſibi Cæſar deſerendos non putaret, minuta prælia complura, ſed memorabile inprimis ad Carcanum caſtrum Como vicinum V. Non. Auguſti commiſit. Id à Cæſarianis inſeſſum, crebris eorundem excurſionibus fatigati cùm euerſum Mediolanenſes cuperent, aduocatis Brixiâ & Placentiâ auxiliis obſederũt. Fridericus re cognita Germanici exercitus reliquias cũ iuſtis fæderatarum Italiæ vrbiũ copiis eodem properè adduxit, circumuallatóſque hoſtes tam arctè complexus eſt, vt viam, niſi quam ſibi vi feciſſent, nullam euaſuris relinqueret. Ergo per legatos poſtulant, vt ſibi redire vnde venerant ſine cuiuſquam noxa liceat: id cùm non impetrarent, V. Idus Aug. conſilium ab audacia mutuati facto cuneo perrumpere noſtrorum aciem ſunt conati. Neque tulere vim Itali; cladéſque accepta ingens fuiſſet, niſi Germani maiores animos irruentibus quàm copias obieciſſent. Ii in caſtra reiectos Thenſa Caſtrenſi exuerunt, quæ *Carrocij* nomi-

Digitized by Google

nomine Langobardis notior vexillum Prætorium ſublime fixum præferens vniuerſis copiis in id intentis imperitabat, neque minore, quàm Auguſtale quondam Labarum, ſtudio defendebatur. Noſtri ea potiti, detracto contumeliæ cauſa vexillo exarmatam diſſipatámque in lutum prouoluerunt. Spolia legentibus & victoriam gratulantibus Cæſari nouæ copiæ ſuperuenere. iis vtpote adhuc integris laſſata Germanorum virtus ceſſit. Cæſarem in medium agmen receptum ſui immemores incolumem ex acie ſubduxere. Scutis primùm, deinde effuſo denſis nubibus nymbo tectus, vt fugientis pudori conſuleretur, Comum ſe recepit. Caſtra hoſtibus ceſſere. Cæſar felicitati ſuæ hoc primum inuſtum ſtigma acerbè tulit, vtique Dei manum agniturus ſciſſæ Religionis pœnas ab eo expoſcentis, ſi plaga ſimplici admonitus reuerti ad bonam mentem potuiſſet. Sed nulla illi maior quàm famæ cura; cui ſupprimendæ, miſſis ad Peregrinum Patriarcham Aquileienſem literis, cladem acceptam fuco obleuit, victoriámque, quam

Fvga Cæsaris.

Eſt Epiſtola 41. inter varias à Gretſero editas.

Digitized by Google

A MCLXI. *Vrſperg.* MEDIOL. OBSESSVM.

quam ferro non potuit, liberali ſibi calamo aſſeruit. Nihilo plus gloriæ ſequens ei annus in obſidione Mediolani abſumptus attulit; vbi ad ipſa mœnia pugnāti equus ſuffoſſus, quodque Sigonius tradidit, vulnus etiam inflictum eſt. quo tantum abeſt vt de obſidionis conſtantia quidquam remitteret, vt iuratus etiam ſuis promiſerit, Mediolani ſe vel triumphum vel tumulum habiturum; quem ſi fata ſibi potiùs quàm victoriam pararent, Fridericum Conradi Regis filium, & proximè poſt hunc Henricum Leonem Cæſares deſignare. Leo per id tempus bellum cum Ratiſbonenſi Epiſcopo Hartvvico geſſit. Offenſúſne hominis moribus à ſacri ordinis dignitate alienis, an ſimplicitate abuſus arcem eius inuolauerit, ex Scriptore vitæ Eberhardi liquidò non colligitur. Eberhardus diſtractam in factiones vrbem, mutuas cædes aliáque damna patriæ ferro flammáque ciuili afflictæ miſeratus, rogando alternis ſuadendóque Henricum priorem impulit, vti ab armis diſcederetur. qui cùm in literis ad Cæſarem datis inteſtinis ſe patriæ ardentis

Auctar: Afſligemenſe.

Vita S. Eberhard. Reicherſp. Chron. H. LEO CVM HARTVVICO EP. RAT. COLLISVS.

Epiſt. 46.

dentis

dentis cladibus arceri Italiâ affirmet, dubium nullum eſt, Ratiſbonenſe bellum indigetaſſe. Fridericum etiam Wittelſpachium Ottonis fratrem, qui paulo pòſt abdicatis rebus humanis Vndenſtorfenſi Cœnobio ſe abdidit, pacificatoris partes egiſſe comperio.

Proximo anno, qui ſexageſimus ſecundus fuit, Welfo in Italiam rediit, nouiſque copiis exercitu Cæſaris aucto, excidium Mediolani maturauit; cui à centum armatorum millibus arctè obſeſſo, tormentis aſſiduè verberato, fame ad inhumanos cibos compulſo, pertinaciâ patientiâque conſumptis, neceſſariò denique ad vltima conſilia fuit deſcendendum.

MCLXII.
Otto de S. Blaſio. Vrſperg.
MEDIOLANI DEDITIO, EIVSQVE TRISTIS POMPA.

Kal. Martij, vt ex Friderici ad Eberhardum Saliſburgenſem literis conſtat, Conſules Laudem profecti, admotis iugulo nudis enſibus veniam inſaniæ ſuæ precati, ſe ſuáque omnia, vrbem, agrum, diuina humanáque in ditionem poteſtatémque Cæſaris dederunt. IV. Nonas Martij flos Equitatus Inſubrici, trecenti numero ſigna militaria triginta ſex & omnium portarum claues cum faſcibus & Magiſtratuum

Burchardi Epiſt. ad Abb. Sigebergenſem.

tuum

tuum Inſignibus, ſacramento præſtito, ad Imperatorem detulerunt. Pridie Nonas Prætorium in Thenſa Vexillum cum ſignis minoribus centum adductum. vrbana multitudo omnis, longo mœſtóque agmine, cruces manibus prætendens Thenſam ſtipabat. Tubicines per tabulata eiuſdem diſpoſiti cùm ferali carmine Fortunæ gentis ſuæ vltimum vale accinuiſſent, ipſas quoque tubas pedibus victoris ſubſtrauere. Surgebat è Thenſa malus ſublimis ſummo apice Crucem cum D. Ambroſij effigie bene precantis habitu præferens, qui ipſe quoque, expleta deditionis pompâ, inclinato faſtigio & ad terram deducto prætorio vexillo, Maieſtatem Cæſaris prenſauit. Exorta omnium ordinum comploratione, pauci vocem in poteſtate habuerunt. vulgus iactatis in Auguſtæ tentorium Crucibus eius patrocinium miſero eiulatu flagitauit. Obſidibus deinde, quotquot imperati erant, repræſentatis, ſuis ipſi manibus demoliri portas & explere foſſas iuſſi, vt planum per munimenta iter ingreſſuris quadrato agmine copiis eſſet. Denique etiam

Digitized by Google

etiam vrbi excidium, ciuibus exilium indictum tum demum ignaua conſilia execrantibus, quòd non ſtante patria armati cecidiſſent. VII. Kalend. Apr. vrbe emigratum eſt. ædificia omnia, ſacris pauculis ſeruatis, ſolo æquata; aratro etiam ſecundum quatuor cæli plagas, per rudera tracto ſal diſſeminatus eſt, perpetuam ſolo vaſtitatem, omni renaſcendi ſpe cum vetere vrbis gloria ruinis obruta ſepultáque, ſi Friderici vota valuiſſent, illaturus. Eum adhuc ruinis adſidentem Eberhardus Saliſburgenſis & Hartmannus Brixinenſis non tantùm literis ſed penè conuitiis excitati adierant, ne tum quidem auribus quidquam daturi, ſed hoc ipſum monſtraturi Euerſori vrbium, vt cætera omnia illius potentiæ cedant, ad conuellenda duo pectora pro Deo & veritate ſtantia fruſtra arietem quæri. Biduo ante Ramalia indicto conuentu tentata illorum conſtantia eſt. Victor Spurius Pontifex, quem Cremonæ ne ſalute quidem dignati fuerant, irâ æſtuans Cardinales aſſeclas ſuos ad Cæſarem miſerat, rogatum ne tam inſignitam contumeliam

Mediolanum dirutum.

Eberh. & Hartmanni Epp. sancta libertas.

liam inultam pateretur. Aderant præter hos duodecim Epiſcopi & Procerum illuſtris corona, &c, in quo vno vt maieſtatis ita etiam terroris plus fuit, ipſe Cæſar ad infamiam vſque Victori deditus: noſtri nihilominus iuſſi ſententiam dicere, Alexandri cauſam oratione tam luculenta egere, vt ſi ſuperbæ aures vero patuiſſent, reddi eo die pax orbi terrarum potuerit. Nunc illius fructum ſaltem BOIARIA tulit, quæ Eberhardo & Hartmanno ſuperſtitibus Alexandrum, inſpectante Friderico & iras ſuas hiſce duobus viris condonante, impunè coluit. Quin etiam Gerhohus Richerſpergenſis Præpoſitus Eberhardi in Italiam comes cùm de iniuriis, quibus Germani eius fratres Auguſtani Canonici à Collegis & ipſo adeò Epiſcopo, ob flagrans Alexandri ſtudium affecti fuerant, ad Cæſarem retuliſſet, is in locum, quem priùs tenuerant, ſalua dignitate fortuníſque, quibus exciderant, eos edicto reſtituit, Cœnobiúmque ipſum, cui Gerhohus præfuit, in ſuam tutelam recepit. Idem ſub Autumnum Henricus Leo Carpheimenſibus

bus

Digitized by Google

bus comitiis fecit, locíque Aduocatum ſalutari ſe paſſus eſt. Ibidem Bertholdus Andechſius Bertholdum Pogium cognatum ad reddendum Mynſterianum prædium Monaſterio iam olim debitum perpulit. Solutis Comitiis Henricus in Burgundiam abiit; vbi Fridericus Cæſar Gallo & Anglo Victorem ſuum erat obtruſurus: ſed res aliorſum cecidit. In ampliſſimo orbis theatro probata Alexandri cauſa eſt & Cæſar in ruborem datus. Waldemarus etiam Daniæ Rex, qui quoad illic fuit, Henrici Leonis hoſpitio vſus eſt, Piis acceſſit, cùm antehac Friderici auctoritate permotus Victori ſtuduiſſet.

ALEXANDRI CAVSA PROBATA. *Saxo Grammat.*

Sequentem annum Conradus Wittelſpachius memorabili facinore nobilitauit, ita prouidente Deo, ne in principe BOIARIÆ familia reges aliquando gloriæ deeſſet, & dum Otto factionibus diriſque inuolutus laudanda agere deſinit, memoriam gentis frater illius propagaret. Tertio abhinc anno Moguntini Pontificem ſuum Arnoldum vita per ſummam crudelitatem ſpoliarant; quam Imperator in affines culpæ vindi-

MCLXIII. *Godef. Mon. S. Pantaleon. Chron. Romuald. Arch. Salern. Dodech. Chron. Mogunt. Conradi &c.*

 caſſe

caſſe non contentus, iram in ipſam vrbem tanti ſceleris conſciam effudit, euersíſque mœnibus, complanatis aggeribus, ornamentis omnibus, quæ ſuperiorum Principum beneuolentiâ plurima eò collata fuerant, eam nudauit, & Conradum Wittelſpachium Saliſburgo euocatum iugi iam patientibus Epiſcopum impoſuit. Is dignitate ampliſſima auctus ſimul ac cum Eberhardo Saliſburgenſi & Hartmanno Brixinenſi Religionis ea tempeſtate Duumuiris, eodem anno Moguntiam delatis eſt collocutus, quóque periculo obnoxium Cæſari Pontificatum gereret, intellexit, vt cuius lenocinio à bonorum conſenſu ad damnatas Victoris partes eſſet impellendus, ſine cunctatione, mitrâ, quâ ſe velut aureo hamo captatum agnouit, inſuper habitâ, inſalutato Imperatore & rei omnis ignaro in Franciam profectus in Alexandri Pontificis fidem & clientelam conceſſit, cunctis Turonenſis Concilij, quod commodùm tunc agebatur, Patribus animi eius magnitudinem admirantibus. Inde in Gallæciam vſque progreſſus

CONRAD. WITTELSPACH. EPS. MOGVNTINVS.
Chron. Reicherſp.

FACTIONEM VICTORIS EIVRAT.

PEREGRINATIO EIVS.

ſus S. Iacobi tumulum religioſè veneratus, opportuniſſimo tempore, vti paulo pòſt narrabitur, in Germaniam rediit. Eodem anno Henricus Leo Slauos iterum domuit. Nicloti, de cuius cæde ſupra dictum, Filij Pribislaus & Wertislaus iure belli amiſſa Marte recuperaturi Wurlæ ſe communierant, ita partiti vices, vt minor natu vrbi præſidio eſſet, maior ſyluarum luſtris abditus ex inſidiis rem gereret. Leo adductis rigidâ hieme copiis neminem ſuccedere mœnibus paſſus excitatam è materia cædua, quæ ad manum erat, turrim ſagittariis impleuit: catapultam alibi ad perfringendos muros ſtatuit peritus talium machinarum artifex, quarum vſum Italico bello maximum expertus conficiendarum earundem rationem ingenio complexus fuerat. Ex turri mœnium altitudinem æquante grauiſſima oppidanis damna inferebantur, certiſſimâ pernicie parata iis, qui ad librandum telum caput protuliſſent. Ita Leo ſedendo victor Wertislaum vulnere debilitatum, muris ex quaſſatione vitium facientibus, ad deditionem compulit, ferróque onera-

LEONIS DE SLAVIS VICTORIÆ.
Helmold. Chron. slau. c. 93.

EIVSDEM PERITIA MILITARIS.

WELFONIS & HVGONIS TVBINGANI BELLVM.

oneratum Brunſuicum abduxit. Sub idem tempus ſimultas Welfonem inter & Hugonem Palatinum Tubingenſem in plurium annorum bellum, quod ſimul ſub aſpectum dabo, pudendis initiis conflata eſt. Terni prædones infeſta latrociniis itinera reddiderant, Möringam conueherepr ædas ſoliti, indéque in viatores erumpere. Hugo in poteſtatem adductos, quæſtione habita, claris eſſe Natalibus intelligit; vnum ex iis Welfonis clientem; reliquos iure Ciuitatis ad ſe pertinere. Suis cùm delicti veniam feciſſet, tertium in furcam egit, ſpoliario eorum euerſo. Welfo læſam eo facto auctoritatem ſuam queſtus ab Hugone ſibi ſatisfieri poſtulauit. Nihil præter ignominioſa dicta reponentem hactenus tulit, vt integrâ lite ad VVelfonem filium reiecta, cum ex Italia reuocatum maternam adire hæreditatem iuſſerit & cum Hugone vel lege vel armis agere. Feruidus iuuenis patre in Hetruriam profecto, ferro ſtatuit decernere, ſummis vtriuſque ordinis viris in belli ſocietatem adductis. Epiſcopi tres, Auguſtanus, Spirenſis & VVormatienſis;

tienſis; Bertholdi duo, Zäringenſi & Vohburgius, Hermannus Badenſis, Rudolfus Pfullendorfius, Albertus Habſpurgius, Calbenſes Comites duo, totidem Bergenſes, Godefridus & Rudolfus Romeſpergij, Hartmannus Kirchbergius & Henricus Veringanus, cum flore nobilitatis VVelfoni ſuppetias iere. Hugo Friderico potiſſimùm Rotenburgio Sueuiæ Duce & auxiliis Zolleranorum Comitum nitebatur. VVelfo VIII. Idus Septemb. quinque hominum millia & amplius Tubingam adduxit, ſequentem diem, quòd feſtiuus eſſet & ſacer, quieti daturus. Hugo vbi tantâ ſe vi peti ſenſit, remittere animos, ad vota & ſaniora conſilia deſcendere, & pacem quàm bellum malle: neque difficilem ſe honeſta optanti præbiturus erat VVelfo, niſi militaris furor Ducum ſtudia euertiſſet. Pauculi primùm VVelfonis caſtris clanculum egreſſi obequitare ſtationibus hoſtium, laceſſere quietos, inertiam exprobrare & pauorem circummunitis; ſinguli ſingulos ſibi depoſcere, ſi iuſto prælio dubitarent decernere. Eadem vtrobique ingenia

Digitized by Google

erant & par temeritas. Erumpunt feſſi conuitiis & viritim primùm ex prouocationis lege congreſſi, velitationibus campum nobilitant, ſecundo vtrinque ſuorum clamore adiuti. Sed augebatur identidem numerus. ferociſſimus quiſque accenſus exemplo, ex arbitro pugnator factus ſpectaculo eſſe, quàm ſpectare malebat. Turpe ſcilicet viris relinqui, & ferre manus in ſinu. Ita ex ſimulachro equeſtris ludi verum iuſtúmque prælium natum. ira & lubido acies commiſerat: neutris quidquam promiſum; niſi quod Hugonianis fauentior receptus futurus erat. Noſtri numero vincebant, qui tamen nullo ordine pugnantibus ad victoriam parum momenti erat allaturus. coacti in anguſtias & ſepti à tergo flumine non modò pugnæ facultatem ſed tutæ etiam ſtationis amiſerant, malo ſuo experti copiam bellantium ſubinde inter impedimenta victoriæ, quódque multo miſerius eſt, etiam fugæ eſſe. Tum quidem ea infelicitate pugnatum eſt, vt neque ſuccedi primis poſſet, neque relangueſcentibus per confertos ſpatium ſe recipiendi pateret.

WELFQ SVORVM TEMERITATE VINCITVR.

teret. in paucorum manibus omnium fortunæ erant ſitæ, iiſque ſeſe dedentibus etiam reliqui vincebantur. vno duntaxat occiſo, nongenti captiui facti, incredibili Welfonis dolore, paucorum temeritate ſummam rei in tantum diſcrimen adductam conquerentis, victúmque ſe citius, quàm pugnari ſciret. Illum fuga in Ahalmenſem arcem cum duobus duntaxat tribúſue Comitibus, alios aliò abſtulit. Acceptæ cladis fama Welfonem patrem ipsúmque adeo Cæſarem ex Italia traxit. Eóque tempore, id quod inter D. Hartmanni res legitur, accidiſſe veriſimile eſt. Cæſar Aram viatoriam, quæ in caſtris agenti vſui eſſet, Hartmanni manu initiatam deſiderabat: cúmque is voti compotem aliter facturum negaret, niſi Alexandri Pontificis nomine auſpiciiſque id ſibi facere licuiſſet; Cæſar eum vti arbitrio ſuo iuſſit; authoritatem vnde vnde peteret, manum duntaxat ſibi commodaret. Cauſa deinde belli cognitâ, captiui eius iuſſu redditi & pax ſancita eſt; quæ vnum duntaxat annum tenuit parum decora Welfoni Filio viſa & cum ex-

S. HARTMANNI CONSTANTIA.

PAX BREVIS.

A. MCLXVI. WELFONIS IN TVBINGANVM PAL: ARMA.

probratione imbelliæ coniuncta. Igitur ſequenti ſtatim anno, qui LXVI fuit, Bertholdo Zäringenſi in auxilium euocato, Hugonis prouinciam flammâ ferróque populatus Chelmünzium obſidet, & in paucis diebus expugnatum ſolo æquat. idem finis Hildratshuſij fuit. Gilſtainiani templi turres aduerſus vim egregiè munitas deijcit; Villariæ denique omnes copias admouet; quæ cùm obſidionem toleratura perdiu videretur, breui virtute militum capta eorundémque furore vaſtata eſt. Hugo tot cladibus attritus Friderici Sueuiæ Ducis opem iteratò implorat; qui patriis viribus diffiſus, deteſtabili conſilio Bohemorum gentem concitauit, immiſſámque in Germaniæ viſcera, prædâ, & cui æquè impotenter inhiabat, ſanguine ſaginauit. BOIARIA primos impetus excepit; tum Sueui; & qui porrò ad Lacum Lemannum incolunt eodem turbine inuoluti, veteraque exempla graſſantium per Germaniam Vngarorum renouata. Welfo ab iis Geizbronnæ penè oppreſſus continenti fuga Rauenſpurgum elapſus eſt. Primo tamen tumul-

BOHEMI GERMANIAM VASTANT.

tumultu Henricus Dynaſta Landſpergius Bohemorum Procerum nobiliſſimus cæſus magno populares ſuos mœrore affecit. Fridericus Cæſar Germaniæ vaſtitatem pro eo ac debuit, grauiſſimè tulit, & Hugoni ad dicendam cauſam Vlmæ diem ſtatuit. Ibi Henrico Leone, Bertholdo Zäringio & VVelfonibus in eius damnationem incumbentibus, exilij aut voluntariæ deditionis ad arbitrium VVelfonis faciendæ à Cæſare optionem accepit. VVelfo genua ſua prenſantem terrepulit, nihil ſe morari dedititium profeſſus. tandem velut iure belli captum vinctúmque in Rætiam Curienſem Nuinburgi aſſeruandum deportauit; vbi in ſqualore annum & amplius exegit, donec VVelfone mortuo libertati eſt redditus. Nunc quæ annorum ſerie huic innexa bello narratione ſecreuimus, hîc in loco reponemus. Eo igitur, quo primùm pugnatum eſt, anno, Burghuſium vetus ad Salzam oppidum ampliſſima arce egregiè munitum BOIARIÆ Principibus acceſſit, Gebhardo loci Dynaſta rebus humanis exempto. Neque tamen res

HVGO PAL. WELFONI DAT POENAS.

MCLXIV. BVRGHVSIVM BOICÆ PRINCIPIBVS ACCEDIT.

Digitized by Google

Chron Auguſt. Hund. l. Stem. And. Preſb.

MORS SS. EBERHARDI ET HARTMANNI EPISCOPORVM.

BOICA vnius vrbis acceſſione tantum ſtabilita auctáque, quantum duorum hominum occaſu labefactata eſt. Hic enim ille annus eſt, qui geminas Religionis columnas Eberhardum Saliſburgenſem & Hartmannum Brixinenſem euertit. quorum caſum quia ruina publica ſecuta eſt, eam nunc quoque ægrè refricat oratio, & ſeorſim velut ſuccedentem diei noctem oſtendet; interim ne tantis funeribus deſit laudatio, ad vtriuſque res geſtas ſuis temporibus aſſignatas auctarium appoſitura. Illuſtre inprimis eſt, quod Cæſarius de Saliſburgenſi Antiſtite, vtique Eberhardum indigetans, in hunc modum commemorat. Pauperum tuguria, etiam quos elephantiaſis depaſcebat, obeuntem pro more quidam ex illa tribu animam agenti ſimilis cæleſte epulum popoſcit; quo cùm Antiſtes cum perlibenter recreaſſet, nauſeantis ſtomachi impatientiâ, quidquid ingeſtum fuerat, cum pridianæ cænæ reliquiis reiecit; eáſque noſter velut contactu Numinis ſacratas ore excepit, hauſit auidè, negauítque poſtea delicatius ſeſe vnquam epulatum.

Cæſ. l. 8. c. 33. Radeuic. l. 2. c. 73. Vita S. Eberhardi t. v. Caniſii.

EBERHARDI ERGA SS. EVCHAR. REVERENTIA.

tum. Verùm cùm paulo pòſt in priſtina caſâ ægrum requireret, intelligit ex vicinis, perdiu illic hominem decubuiſſe neminem. Id argumento fuit, cælitum cum ludum fuiſſe, quos compertum eſt exploratores humanæ virtutis ſæpe ſub centonibus latuiſſe. quæ iam olim Eberhardo cauſa fuerat contrahendæ cum gente paupertinâ familiaritatis & perpetui hoſpitij, vt ampliſſimi Epiſcopatus opes ferè in ventres pauperum abirent, neque aliud in quæſtorum tabulis frequentius eſſet nomen; non ſine multorum querela, qui Principem ſuum aliter maluiſſent eſſe prodigalem. Vincebat nihilominus quantamcunque liberalitatem demiſſio animi, quæ illum vſque ad vlceroſos pedes abluendos & delingendos oſculis depreſſit. Miniſtrare epulantibus cibum, munus occupare pocillatoris, quotidianæ illius curæ imò deliciæ fuere, vtique tam ambitioſè non expetendæ, niſi in Codris Chriſtum agnouiſſet meliùs quàm vulgus diuitum oculatus. quæ illius ſtudia quantopere Numini probarentur, eo adhuc viuente cognitum eſt. Inſigni ſancti-

LIBERALITAS IN EGENOS.

SVBMISSIO ANIMI.

EIVS TRIVMPHVS

Digitized by Google

MORTALIBVS OSTENSVS. ſanctitate fœmina Friſingæ in religioſo ſeceſſu affixa cælo ætatem agebat: ea ſubinde ad contemplanda æternitatis adyta admiſſa ſellam curulem D. Eberhardi triumpho concinnatam aſpexit, in quam Petrus Chriſtiani orbis, itémque Rupertus BOIARIÆ Apoſtolus eum eſſent repoſituri. Eo nuncio, integro, priuſquam excederet, anno, excitatus tanto impenſiùs vrgere tam propinquas ſpes inſtitit, proſtratis etiam viribus ſaucè negotioſus. Vltima operum

PACIS STVDIVM. illius Henrici Auſtrij cum Conrado Batauenſi germano fratre reconciliatio, & Ottocari Stiriæ Marchionis pacificatio fuere. Hic in Clientem Eberhardi & ab eo vrbi præfectum exarſerat, iram non niſi illius morte & excidio vrbis extincturus: vltima obſeſſo minabatur, & ſuppetebant vires, quibus deſtinata exequeretur. nulla niſi in Eberhardo ſpes: quem ipſum tamen, quoad internunciis vſus eſt, (tanta vis iracundiæ fuit) Marchio ſpreuiſſe viſus eſt. At vbi per medias armatorum acies affectantem iter in vrbem aſpexit, illico Innocentiæ inermis aſpectu exarmata ferocia

Digitized by Google

rocia eſt, ſoluta obſidio, & litis arbitrium Epiſcopo permiſſum. Eâ compoſitâ, ad Runenſe Monaſterium; inde rectà ad cælum x. Kal. Iulij abiit. Quam famam Godefridus Monachus ſecutus ſit, qui à Clientibus ſuis interfectum ſcripſit, ne coniecturâ quidem attingo. Elatus eſt inter confuſas omnium ordinum lacrymas; quas Eberhardus Babenbergenſis Pontifex vnicus virtutum illius æſtimator eleganti parænesi ad Saliſburgenſes miſſa ſiccare conatus eſt. Diuus ipſe & de tumulo beneficus, & de cælo conſpicuus ſuis iacturæ dolorem mitigauit. Mirandorum eius operum prolixa narratione abſtineo; beatitatem nulla oratio explicet; cuius illa particula fuit, cùm cæleſti ambroſiâ, libante poculum Matre Virgine, refici viſus eſt; quæ id quoque à nobis intelligi voluit, abs ſe id eius honori datum, apud quem repulſam nemo vnus tulerit, qui voto ſuo MARIÆ nomen interpoſuiſſet. Eberhardum, vti dixi, ad cælum euntem Hartmannus inſecutus eſt, viuentis etiam veſtigia ſemper premere ſolitus abſolutiſſimum omnium virtutum

DEIPARÆ AMOR RARA BENEVOLENTIA REPENSVS.

HARTMANNI ADMIRANDÆ VIRTVTES.

tum

tum exemplar, quod tamē proponi ſibi ſæculi noſtri ſocordia non patiatur. Prandentem, niſi feſtiuis diebus, nemo vidit. ouum vt in cœnam admitteret, Eberhardi auctoritate cogendus fuit. veſtem ſetis horridam neque ſomnum capturus poſuit. flagro in ſe quotidie animaduertit, & quidem aliena manu, atque ad hanc operam mercede conducta. Quibus ſuppliciis nihil mirum eſt ſi non modò propitium ſibi Numen reddidit, ſed ad ſingulares inſuper fauores inflexit; vt cùm ſacrificanti viſendum ſe dedit; ſitienti aquam vino mutauit; medicam aduerſus omnia morborum genera vim tribuit; quæque propria diuinitatis eſt, maieſtate perfuſum ferociſſimis etiam hominibus verendum fecit. Ita Cholo quidam capitalem inimicum diu ad cædem perquiſitum Epiſcopi pedibus affuſum nactus contingere auſus non eſt, manu ſimul animóque ſacro horrore obrigeſcentibus. Eppanenſes & Tirolios Comites vltimis inter ſe odiis diſſidentes cùm redigere in concordiam vellet, illis auctoritatem ſuperbè defugientibus, hos ad nutum obſequen-

Dei erga illum fauores.

Vindicta in contemptores conſiliorum eius.

quentes habuit; iique modeſtiæ ſuæ fructum præſentem tulere, ſemper deinceps, quoties ab æmulis laceſſerentur, victores & obedientiæ ſuæ Hartmannique auſpiciis felices. Sed multo mirabiliſſimum militiæ genus fuit, quo aduerſus ſacri Patrimonij prædones & improbos incubatores eſt vſus: hos enim exturbare iniquè vſurpatis poſſeſſionibus cùm vellet, linteatum myſtarum agmen vexillo Crucis præuio ipſe anteſignanus eo adduxit, nullum extra preces telum miſſurus, neque ariete alio quaſſaturus mœnia, quàm Epiſcopali ſede. hanc admotam mœnibus inſidens negabat antè diſceſſurum ſe, quàm malè parta in Eccleſiæ ditionem rediiſſent: tantáque vis ſimpliciſſimæ oppugnationis fuit, vt nemo eam diu tulerit; fatentibus impiis, nihil eſſe fortius nudæ pietatis armis. Hunc tamen talem tantúmque virum aliquid humani paſſum accepimus auri olim fulgore perſtrictum, quæ vnica ad expugnandos etiam Heroum animos baliſta eſt. Aureo poculo cuidam ab aris proſcripto amici tumuli ius emerant: cùm ecce de no-

REM ECCLESIÆ QVOMODO TVTARETVR.

NÆVVS INNOCENTIÆ AVRVM.

ctæ rapi ad rogum ſibi viſus eſt Hartmannus, & iam vicinæ flammæ æſtus perſentiſcere; quos neque leuatus ſomnio, captata frigidiore aurâ, mitigare potuit; donec remiſſo ad dominos infelici munere, incendium illud ab auro eſſe intellexit. Mors vt conſentanea vitæ eſſet, placidiſſima illi x. Kal. Ianuar. obtigit, quæ lauantem fulcientémque caput manu in ſomni morem compoſuit. prouiſam præſcitámque fuiſſe cùm alia multa, tum illud indicio eſt, quòd cùm iuſta nonnemini perſolueret, verſus ad amicos, Ilicet, inquit, hunc ſuo quiſq; ordine, & nos fortaſſe intra octauum diē ſequemur. Medius inter Eberhardum & Hartmannum Hartvvicus Ratiſbonenſis curſum vitæ abſoluit, ſed nihil annalibus præter magni nominis honoríſque vmbram daturus: ad quod exemplum cùm longè maxima pars efferatur, non piguit ſanctiſſimorum Præſulum funus cum pompa ducere. Neq; enim tantū prælia narranda ſuſcepimus, perſuaſúmq; poſteris cupimus, Maiores noſtros non ſola belli gloria claruiſſe.

HARTVVICI RATISB. EP. MORS.

VIRTV-

Digitized by Google

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER XIII.

Breviarium rerum Geſtarum HENRICO LEONE, OTTONE MAGNO WITTELSPACHIO, LVDOVICO IV. OTTONIS F. DVCIBVS BOIARIÆ.

Conradus Wittelſpachius Arch. Moguntinus ab obtrudendo Orbi Terrarum altero Antipapa Fridericum Cæſ. deterret. Conſilium Cæſari probatum Reinaldus Colonienſis præpropera Spurij Pontificis ſubrogatione euertit. Eum Salisburgenſis Eccleſia inter primas deteſtata eſt, tantâ conſtantiâ, vt loci Antiſtes Iure Rega- I.

 lium

Digitized by Google

lium cedere, quàm Paſchalem adorare maluerit. Cæſar contrà eius cultum profeſſus Henricum Leonem & nonnullos BOICÆ *Antiſtites in eandem inſaniam præcipitat: Caroli M. oſſa de tumulo leuat: Conradum VVittelſpachium & Conradum Salisburgenſem eiúſque Epiſcopatum; Henricus Leo æmulorum prouincias infeſtat. Cæſariani in Italia maiore felicitate quàm laude graſſantur, & Dei in ſe iram concitant. Cæſar deuouetur, & nihilominus Paſchali Pſeudo-Papæ aliud Idolum ſubſtituit.*

II. *Henricus Leo iter in Palæſtinam ſuſcipit manifeſto Numinis fauore ſubleuatus. Cæſar interim illaudato ſtudio ſacra profanáque miſcet: In Italia à Langobardis deſeritur; ad eóſque compeſcendos Henrici Leonis opem operámque fruſtra expoſcit. Victus pertinaciam ponit & cum Pontifice in gratiam redit;*

redit; quo tempore MONACHIVM *conditum, verius eſt. Conradus VVittelſpachius Salisburgenſi Mitra exornatur.*

Henricum Leonem Bella Saxonica non ex voto ſuccedentia cogunt ad opem Cæſaris confugere: emere eam non ſuſtinens proſcribitur. Diras ſacras precibus à ſe auertit. BOIARIA OTTONEM WITTELSPACHIVM *ſuccedentium in hæc vſque tempora Principum Parentem Ducem accipit. Henricus Leo fruſtra tentatâ Saxoniâ, vti & Cæſaris gratiâ in Angliam ſecedit. Lipſana Diuûm complura emergunt in lucem & prodigiis Patriam exhilarant. Tirolis à* BOIARIA *auellitur. Ratisbona Principum ſedes Imperio aſſeritur. Otto VVittelſpachius decedit.* III.

Conradus VVittelſpachius Salisburgo Moguntiam reuerſus cum Thuringo colliditur. Cæſar inſigne pericu- IV.

 lum

lum adit: Henrico Leoni exilij gratiam facit. Albertus Friſingenſis Deum & Pauperes hæredes nominat. Vtcunque ſopitum Pontificem inter Cæſarémque incendium nouis ſufflatum odiis reuiuiſcit, & omnem Germaniam turbat. Henricus Leo Brunoniſuicum reuerſus fucatâ Cæſaris beneuolentiâ eidem etiam poſt ruinam formidabilis circumſcribitur. Cæſar ſuarum cum Pontifice controuerſiarum arbitrium Epiſcopis permittit in Conradi VVittelſpachij ſententiam concedentibus. Styria ad Auſtrios deuoluitur.

V. *Ob captam à Saladino SS. Crucem & Hieroſolymam, noua in Palæſtinam Expeditio Friderico Cæſ. Duce decernitur; qui expiatâ priorum temporum infamiâ miſerabili nihilominus fato è victoriarum medio curſu abripitur.*

VI. *Henr. Leo prematurè ab exilio reuerſus*

uerſus Henrici Caeſ. odia armáque in ſe concitat; vtrisque fruſtra appetitus in gratiam recipitur; quae tamen perpetua non fuit. Ludouicus BOIARIAE *Dux Baltheo accingitur: primo cum Bohemis bello malè pugnat. Angliae Rex è Palaeſtina redux à Leopoldo Auſtrio agnoſcitur, capitur, redimitur, & à Deo vindicatur. Henricus H. Leonis F. paulo ante mortem Patris Palatinatum Rhenanum adipiſcitur.*

Nouis animis nouae in Aſiam copiae nauibus deportantur. laetis ſucceßibus Henrici Caeſ. Mors manum inijcit. plerisque dilapſis Conr. VVittelſpachius Armenos cum Eccleſia Romana conciliat. Gliſcentibus in Imperio factionibus Philippus Henrici Caeſ. Fr. & Otho Henrici Leonis F. regium nomen aſſumunt. Conradus VVittelſpachius deſperatâ concordiâ, Vngaros Fratres itidem dißidentes à turpi bello reuocat. VII.

Digitized by Google

lum adit: Henrico Leoni exilij gratiam facit. Albertus Friſingenſis Deum & Pauperes hæredes nominat. Vtcunque ſopitum Pontificem inter Cæſarémque incendium nouis ſufflatum odiis reuiuiſcit, & omnem Germaniam turbat. Henricus Leo Brunoniſuicum reuerſus fucatâ Cæſaris beneuolentiâ eidem etiam poſt ruinam formidabilis circumſcribitur. Cæſar ſuarum cum Pontifice controuerſiarum arbitrium Epiſcopis permittit in Conradi VVittelſpachij ſententiam concedentibus. Styria ad Auſtrios deuoluitur.

V. *Ob captam à Saladino SS. Crucem & Hieroſolymam, noua in Palæſtinam Expeditio Friderico Cæſ. Duce decernitur; qui expiatâ priorum temporum infamiâ miſerabili nihilominus fato è victoriarum medio curſu abripitur.*

VI. *Henr. Leo præmaturè ab exilio reuerſus*

Digitized by Google

uerſus Henrici Caeſ. odia armáque in ſe concitat; vtrisque fruſtra appetitus in gratiam recipitur; quae tamen perpetua non fuit. Ludouicus BOIARIÆ *Dux Baltheo accingitur: primo cum Bohemis bello male pugnat. Angliae Rex è Paleſtina redux à Leopoldo Auſtrio agnoſcitur, capitur, redimitur, & à Deo vindicatur. Henricus H. Leonis F. paulo ante mortem Patris Palatinatum Rhenanum adipiſcitur.*

Nouis animis nouae in Aſiam copiae nauibus deportantur. laetis ſucceſſibus Henrici Caeſ. Mors manum iniicit. plerisque dilapſis Conr. VVittelſpachius Armenos cum Eccleſia Romana conciliat. Gliſcentibus in Imperio factionibus Philippus Henrici Caeſ. Fr. & Otho Henrici Leonis F. regium nomen aſſumunt. Conradus VVittelſpachius deſperatâ concordiâ, Vngaros Fratres itidem diſsidentes à turpi bello reuocat. VII.

D. Kunegundis inter Cælites refer- tur.

VIII. *In maxima occaſione Orientis cum Occidente coniungendi, Cæſares Germanici inter ſe digladiantur. Epiſcopi* BOICI *Ludouico Duci Bellum mouent. Bertholdus Meranenſis Dux moritur factis ſuis & natorum ex ſe fortuna nobilis. In* BOICA *Landshuta caput attollit. Ludouicus Dux Ludmillam Alberti Pogij Viduam coniugem optat, forma eius & laudabili aſtu captus. cum Ratisbonenſi Epiſcopo pacem ſancit. Otto VVittelſpachius Philippum Cæſarem grauibus ab eo iniuriis affectus de medio tollit. à Philippi Filia poſtulatus paricidij proſcribitur & necatur. In Othonem, ne ſine æmulo regnaret, Fridericus inſurgit.*

IX. *Pueritia Germaniæ, incertum quo afflata Genio, ad ſigna conuolat, Palæſtinæ recuperandæ ſtudio, exitu infeli-*

Digitized by Google

infelici. Gertrudis Vngariæ Reginæ innocentia defenditur. Otho Cæſar prælio victus euileſcit. Chimenſis Epiſcopatus erigitur: Item Secouienſis & Lauantinus. Straubinga & Landauum in formam dignationémque Vrbium excreſcunt. Ludouicus Dux BOIARIÆ *Fridericum Cæſarem Romam deducit, coronæ capeſſendæ gratiâ. In Aegyptum profectus vniuerſis Copiis præficitur; ſed, exundante Nilo, occaſionem exercendæ Virtutis amittit. Damiata Hoſtibus redditur. Henrico Cæſaris Filio Ludouicus Moderator additur. In* BOIARIA *noui tumultus oriuntur. Agnete Henrici Palatini Filiâ Othoni Ludouici F. deſponsâ Palatinatus in Gentem VVittelſpachiam transfertur.*

GESTA SVNT HÆC AB ANNO MCLXIV. VSQVE AD MCCXXVII.

Digitized by Google

HENRICVS LEO DVX BOIARIÆ.

I. NE cladibus, quæ poſthac narrabuntur, conſentanea deesſent auſpicia, contuſo diuinitus primario Hydræ capite, alterum mox ſed priore peſtilentius repullulauit. Victore enim ſchiſmatis Anteſignano, vti furente contra Deum hominéſque dignum erat, phreneſi extincto, Guido Cremenſis, aſſumpto Paſchalis nomine, repentè proſiliit, quámque terrarum orbis concipere auſus fuerat, pacis ſpem abrupit. x. Kal. Maij (ſi ea quoque re annotanda operæ pretium facimus) Victor Lucæ obierat, viuentibus etiamnum Eberhardo & Hartmanno, quorum funera ne cum impiis Manibus confunderentur, conſultò antè duximus. Commodùm Imperatori, cùm de morte Victoris nuncium acciperet, Conradus Wittelſpachius aderat Præſul Moguntinus, integrum adhuc gratiæ locum eiúſque admonendi auctoritatem obtinens; qui notis perplexi animi in vultu Cæſaris haud

Schiſma recrudeſcit.

Paſchalis antipapa. MCLXIV.

Aſt. Alexandri Pont. apud Baron. Epiſt. 72. l. 1. Cod. Vatican.

haud obſcurè deprehenſis, officij ſui eſſe credidit ſuſcitare, ſi quà poſſet, igniculos reſides priſtinæ pietatis; aggreſſúſque ſolum, Dubitare te, inquit, intelligo, duobus luſtris in Imperio actis, tertium, quod nunc ingrederis, vtri malis eſſe ſimile; & credo Fortunam tantùm in conſilium adhibituro non longam fore conſultationem. Nimirum quia omnibus triumphis ſpecioſius putas, inter Mediolani ruinas ſalem ſparſiſſe, reliquos tibi annos ad exemplum illius diei, qui hanc Italiæ Troiam ſepeliuit, fluere optabis. Sed ſi præter Fortunam etiam Pietatis Religioníſque, quas in ſenatu Regio primas ſemper ad dicendam ſententiam excitari conuenit, audire vocem ſuſtines, eæ ore ſanè libero totum hoc quinquennium eraſum è faſtis nolent inter Imperij tui annos computari. Neque enim vnius vrbis excidium, cui priores Reges multa antiquitatis, plura D. Ambroſij cauſâ condonaſſe comperio, tantum habet plauſus, vt non longè triſtiore Eccleſiæ caſu obruatur, quæ vtinam clades ſuas non æquè tibi, atque Mediolanum imputet;

CONRADI WITTELSPACHII MOGVNT. ARCH. AD FRID. C. ORATIO.

etſi ad vtriuſque vaſtitatem non eodem
acceſſiſſe te animo certum habeo. Alte-
ri ira tua, alteri beneuolentia nocuit;
mirîſque modis factum eſt, vt inuiſa Ita-
liæ vrbs arietibus tuis, Eccleſia fulcris
quateretur. Dum enim Atlantem huic,
cui inniteretur, obtrudis, Religio ſub
ipſis adminiculis præpoſteræ ſolicitudi-
nis tuæ vitium fecit. Pacem certè con-
cordiámque, quibus æterni ædificij
Deum agnoſcentis architectum com-
pages aſtringitur, amiſimus, & gemimus
ſub ruderibus proſtratæ pietatis. To-
tum orbem aſpice, & nega, ſi potes, feli-
ciorem fuiſſe, cùm vnius nutu regere-
tur; quàm cùm, auctore te, Pontificiæ
Tiaræ congeminarunt. & læua illa in-
auſpicatáque, quam Victori tuo impo-
ſitam tuendam tibi & adorandam Ita-
liæ Germaniæque putaſti, quid præter
bella, diras imprecationes, diſſidia re-
gnorum, bonorum proſcriptiones pe-
perit? Tu quoque, ſi irati Numinis argu-
menta colligere domeſtica cœperis,
plura quinquennij huius incommoda,
quam reliquæ vitæ vniuerſæ numera-
bis; quæ inter neſcio an non primo loco
ponam

ponam, cogi te à maximis ſanctiſſimíſque viris, quos vt plenos Numine reueritus es, diſſentire. quis enim ex cordatioribus pro Victore hucuſque ſtetit? quantas timidorum quoque, quos Maieſtas nominis tui, velut vmbras poſt ſe traxit, ſi metu exſoluti liberos ſe credidiſſent, ad Alexandrum tranſitiones vidiſſes? nunc à nutu tuo pendent, ſecuturi ſimul ac Ducem te obtuleris; ita omnes amicitiæ tuæ magis gratiæque, quàm cauſæ ſunt obnoxij. Tu niſi odio tranſuerſus abriperis, non habes cuius amore aut reuerentia tibi ſit peccandum; quæ quanquam nulli veniam dant ſceleri, à plebeiis tamen animis in excuſationem afferuntur. Omnium tibi conſiliorum factorúmque cauſæ in te ſunt ſitæ, & bonorum iuxta malorúmque túte tibi maximus vnicúſque es autor. Id modò vide, ne inauſpicatò ad præcipitia progreſſus impetrare à teipſo nequeas regrediendi facultatem, & conſtantiæ exiſtimes in errore perſeuerare. Conſultum eſt pudori tuo, Victore extincto: occupauit mors officium tuum, & temerè raptam Tiaram improboli-

po litigatori detraxit. Quid nunc cauſæ dices, quo minus latâ Numinis ſententiâ & orbis conſenſu victus Alexandro te reddas? niſi fortè Pontificem non agnoſcis, quem ipſe non feceris, hîc quidem potentiæ tuæ limites egreſſus, quem metus non eſt, ideo in ordinem redigendum, ſi Pontificum auſpicia iis, quibus conceſſa diuinitus ſunt, remiſeris. Vtere ferro Cæſar, & hoc ipſo etiam modeſtè, nec niſi in veros hoſtes. Pedum neque tuleris, neque vlli ferendum rectè dederis. id ſi nos tibi non perſuademus, at certè triſte quinquennium docuit, quod Victori ad lacerandam Eccleſiam indulſiſti; cuius vulnera præter Alexandrum mortalium nemo ſanauerit. Tu diſpice, auxilio illi an impedimento eſſe malis, quíque ſauciatæ Reipub. Chriſtianæ notam nunquam effugies, an gloriam etiam curatæ ſis capturus. Cæſar oratione candida non tantùm offenſus non eſt, ſed palàm oſtendit Conradi ſe conſilio ſtaturum; ſcriptíſque raptim literis, Reinaldum Colonienſem vetuit de ſubſtituendo Pontifice cogitare. ſed priuſquam eæ redde-

REINALDVS PRÆCIPITAT.

redderentur, is iam alterum monſtrum orbi obtruſerat: ad quod opprimendum etſi Friderico animus defuit, nihilominus Herbipolenſibus Comitiis, de quibus mox agetur, Reinaldum eo nomine grauiter increpitum *Proditorem* ſuum appellauit. Simul ac infauſtum Paſchalis nomen in Germania auditum eſt, prima illum Saliſburgenſis Eccleſia eſt auerſata, & Conrado Batauenſi Epiſcopo in vacuam D. Eberhardi morte ſedem tranſlato, hanc legem dixit, præter Alexandrum ne quem Pontificem agnoſceret: quod ille adeò ſanctè fecit, vt Septembri Menſe ad Imperatorem, Regalium iurium capeſſendorum cauſâ Papiam profectus iis cedere, quàm Paſchalis factioni accedere maluerit. ne quid durius pateretur, ſanguini datum eſt; quòd à patrui iniuria ſiue pudor, ſiue pietas Cæſarem abſtinerent: quæ peccandi impedimenta paulo pòſt ab animo & fronte ſubmouit, auribus etiam aduerſus bene monentes obfirmatis; vt Conradus Wittelſpachius mox animaduerteret, odio ſe faciliùs quàm

CONRADI SALISB. EP. CONSTANTIA. *Chron. Reicherſp.*

CÆSAR OBDVRESCIT.

vſui

CONRAD. WITTELSPACH. AVLA CEDIT.

vſui Cæſari futurum. optimum proinde factu cenſuit, ſi exulantes ab infelici aula Virtutes ipſe quoque ſequeretur; útq; documentum extaret publicum, vtrarũ eſſet partium, Legatum Spurij Pontificis ne aſpectu quidem dignatus, miſſis obuiam nunciis, iuſſit properè prouinciæ finibus excedere, oculos effoſſurum ſe minatus omnibus, qui Paſchalis nomine ad ſe eſſent acceſſuri.

MCLXV. CONRAD. WITTELSPACH. FIT CARDINALIS. *Chron. Reicherſp. Romuald. Salernit. apud Baron. a. 1161.*

Sequenti deinde anno cùm conſtantiæ causâ aduerſarium Cæſarem eſſet nactus, & propter inualeſcentes improbæ factionis vires animo angeretur, ad Alexandrum Pontificem in Franciam abiit. is pium transfugam amantiſſimè complexus purpura condecoratum Epiſcopum Sabinis deſtinauit; & denique Romam ſecum deducto initiatóque Archiepiſcopatum Moguntinum confirmauit; Conrado verò Saliſburgenſi Pallium ſacræ poteſtatis inſigne tranſmiſit.

CÆS. PASCHALEM ANTIPAPAM RECIPIT.

Cæſar contrà furiis Reinaldi Colonienſis inſtinctus, coactis XL. Germaniæ Epiſcopis & Principum nonnullis, quos inter Henricus quoque Leo fuit, improbo ſe pariter illóſque iureiurando

do

Digitized by Google

do Herbipoli, Sacris Pentecoſtes feriis, obligauit; Paſchalis ſibi nomen ſanctum; Alexandri dirum & execrabile, quoad viuerent, futurum; neque Pontificem, neq; Cæſarem lecturos, niſi qui ſuarum partium fuiſſet. Epiſcopi eod. ſacramento Myſtas omnes & Religioſos cœtus adigere iuſſi. Iniurati vt ſacri deteſtabiléſque ab aris focíſque æternùm proſcripti. E BOIARIÆ Epiſcopis Rudbertus, qui Batauenſem mitram poſt Conradum induerat, ſine tergiuerſatione fidem adſtrinxit. Albertus Friſingenſis cauſatus Metropolitæ Salisburgenſis abſentiam, eius ſe iudicio exemplóque ſtaturum pronunciauit, Rudberto vt cautior, ita felicior quoque, qui offenſo Numini eodem confeſtim anno pœnas dedit Non. Nouemb. extinctus. Iulio menſe Imperator in BOICAM abiit; indéque Viennam nauali itinere progreſſus coniurationem nouis vbique viribus auxit, Henrico Duce Auſtrio, Friderico Ratiſbonenſi Epiſcopo, & procerum permultis in eiusdem ſceleris ſocietatem authoratis. Pius interim videri cùm vellet, Aquiſ-

RVDBERTVS EP. PASS. MALE MORITVR.

CAROLI M. OSSA TRANSLATA IN ARAM.

Aquiſgrani I V. Kal. Ianuar. clariſſimum omnis memoriæ Imperatorem Carolum Magnum è tumulo, in quem ante annos trecentos vnum & quinquaginta illatus fuerat, extraxit dignum ſine dubio, de cuius honoribus non Paſchalis perſonatus Pontifex eidémque emancipatus Cæſar referrent decernerẽntque.Glorioſiùs eadem tempeſtate alter quoque Imperator, vt rerum geſtarum magnitudine Carolo par, ita virtute clarior, D. Henricus BOIARIÆ quondam Princeps ſeipſum, ſine præcone, produxit. Polonus ob violatam pactorum fidem Cæſaris iras ferrúmque veritus Wernherum Plocenſem Antiſtitem cum oratione modeſta & ſuperbiſſimis donis in Germaniam miſerat, vt pacem, ſi prece non poſſet, pretio redimeret. Is Cæſarem Aquiſgrani, in eo, quod diximus, opere nactus diu in conſpectum admiſſus non eſt; conciliatoribus tandem Principibus vſus omnia ex ſententia confecit. Principi ſuo pacem & munera ferre iuſſus D. etiam Henrici Lipſanis ditatus eſt: quæ cùm in vaſto nemore, quod Poloniam à Zurbia diuidit,

Vita S. Henr. c. 48.

MIRACVLVM à D. HENR. CÆS. EDITVM.

dit, depoſuiſſet, meridianti Diuus ſeſe clara circumfuſus luce viſendum agnoſcendúmque præbuit, & nemus illud memoriæ nominis ſui ſacrari iuſſit, adfuturum ſe operi & qualibuſcunque initiis daturum ſucceſſus pollicitus. Wernherus obſecutus cæleſti Imperio, ſiluâ materiam præbente, ædiculam pro copia molitus tenui opere deſcriptam aream complexus eſt: ſed ſolicitum Ara habuit, quòd ſolum herbidum ſpem nullam ſaxi faceret: ſcrutatus tamen ſcipione vicinum cliuum in latomias incidit; ſiue fortuitus is naturæ luſus fuit, ſiue proprium Diui ſuo honori faventis munus. In eius Aræ conſortium Henricus D. Sigiſmundum accepit, effecítque breui, vt Cœnobio adiecto & extemporali caſâ in Baſilicam verſâ vterque pro dignitate coleretur. Fridericus à breui diuerticulo pietatis ad ſuos reuerſus mores bina Religionis in Germaniâ fulcra Conradum Wittelſpachium Moguntinum & Conradum Saliſburgenſem Antiſtites euertere inſtitit; & illi quidem ſponte ſua exuli Chriſtianum Cancellarium ſuum ſuffecit;

FRID. CONRAD: MOGVNTIN. & CONR. SALISB. PERSEQVITVR.

Hh ad

ad Saliſburgenſem labefactandum xv. Kal. Martij Norimbergæ Comitia indixit; ad quæ Conradus, ne defuiſſe innocentiæ ſuæ aut vadimonium deſeruiſſe argui poſſet, cum Henrico Leone cauſæ ſuæ patrono & vindice acceſſit. Ibi rapti per vim Epiſcopatus inſimulatus, vt cui neque Paſchalis iura ſacra, neque Cæſar regia confirmaſſet, planiſſima Leonis oratione defenſus eſt: & ambitûs quidem ſuſpicio publico Saliſburgenſium teſtimonio euanuit; quorum votis manibúſque ad infulam raptum luce clariùs demonſtratum eſt. In ſpreto Paſchali negauit crimen ſe agnoſcere; & ne nunc quidem Pontificem illum pluris ſibi, quàm viui hominis ſimulacrum eſſe: pro *Regalibus* tertiùm ſe Cæſari propè ſupplicem factum ſemper repulſam tuliſſe, nullo alio merito ſuo, quàm quòd honores ſibi debitos adire innocens voluerit. explodendi Paſchalis eaſdem cauſas ſuppetere, quas Eberhardus contempti Victoris habuerit; quanquam ſola eius viri auctoritas veriſſimis virtutibus parta omnium ratio-

CONR. SALISB. CAVSAM DICIT, HEN. LEONE PATRONO VSVS.

rationum inſtar eſſe poſſit. Cæſar ſententiam proferre nondum auſus Conradum in IV. Kal. Apr. comperendinat; quo die cùm Lauſæ ius diceret & Conradum per Internuncios, quorum princeps germanus eius frater Henricus Auſtrius fuit, ad factionem Paſchalis nequidquam inuitatum flecti poſſe deſperaret, ira & dolore amens D. Ruperti patrimoniũ omne inuadit, & velut haſtæ ſubiectum in clientes ſuos partitur; Cœnobia, quæ à Conrado iura peterent, proſcribit & prædæ exponit. Ita auaritia non modò impunitate, ſed velut iuſto excitata imperio triſtia vbique exempla edidit. nulla clade temperatum eſt; vtique cùm tam quæſtuoſa eſſent latrocinia, & vna ad Cæſarem demerendum pateret via, gnauiter fuiſſe impudentem. Inter multos, quos ſcelera tunc nobilitarunt, Henricus quidam Erchenberti à Lapide F. Reicherſpergenſibus tabulis ad infamiam inclaruit; qui ex campis Lycatibus, quò Cæſaris copiæ in Italiam deportandæ confluebant, ad id Cœnobium curriculo profectus, prædium Mynſterianum eiectis

CÆSAR SALISB. EPISCOPATVM DIRIPIT.

Digitized by Google

colonis inuaſit, auctore id Cæſare ſe facere profeſſus. Henricus Leo loci patronus offenſus tam inſigni iniuria, quanquam Saxonicis bellis impediebatur, clientibus ſuis non defuit, causâque Ottoni Wittelſpachio, quem *dilectum Nepotem ſuum* in literis appellat, commendatâ, bonum eos habere animum iuſſit. nullâ tamen diligentiâ caueri potuit, ne proximo anno intra menſem hoſtilis flamma Reicherſpergam tertiùm depaſceret; quò felicior cenſeri debuit Arnoldi ex eo Collegio ad Superos emigratio, quæ illi Kal. Februar. non vna re memorabilis obtigit, vel referendæ gratiæ causâ non prætereunda nobis, qui eius loci annalibus ad illuſtrandam hiſtoriam tam frequenter vtimur. Arnoldus igitur Gerhoho loci Antiſtiti vt ſanguine ita virtutum ſtudio coniunctiſſimus cùm toto vitæ curſu vtili ſociis exemplo fuiſſet, antiquum ſuum etiam in meta tenuit, ſanctitatis Magiſterium non niſi iubente morte poſiturus. Cùm ad vltimam & decretoriam pugnam omnia ſibi

H. LEO SACRILEGIVM VLCISCITVR.

ARNOLDI RICHERSPERGENSIS CANONICI BEATA MORS.

SANCTA INNOCENTIA.

Digitized by Google

ſibi ſubſidia comparaſſet, nullo tamen contra luctatores ſtygios, quos palàm aſpectabiles in ſe toto agmine ruere affirmabat, vſus eſt fidentiùs, quam Cruce; cuius vim non magis ferre laruas illas, quàm veſpertiliones purum ſolis iubar ſentiebat. Magnæ Virginis nomen, velut militarem teſſeram, iterabat identidem, omnes ſibi in ea ſpes eſſe ſitas dictitans, ſocios etiam ad illam inclamandam hortatus & reuocans ſubinde digredientes ad prenſandos exorandóſque alios Cælites, qui ex formula nominantur; vltro quinetiam laceſſere Cacodæmones accuſatores ſuos auſus & irritare conuitiis; peragerent ſe reum, ſi poſſent, apud æquiſſimum iudicem; ſi quid inexpiatum eorum maledicentiæ reliquiſſet. Friuola nonnulla, vti apparebat, oggannientibus, Nihil agitis, inquit; hunc puluiſculum Maria verbo difflauerit. Iámque manifeſtè victor velut albo abſolutus calculo explicabat frontem, & læto Dauidis carmine gratulatus ſuæ felicitati, Crucem veluti trophæum erigebat; útque indubitatum cōmilitonibus relinqueret, quod

CRVX ET NOMEN DEIPARÆ MORIENTIS PRÆSIDIVM.

LVCTA MORIENTIS.

Digitized by Google

Dei ore promiſſum eſt, Virum Obedientem cantaturum triumphos, *Iô Obedientia*, læta voce perſonabat. Obiter deinde oſtentato ſibi brauio æternitatis exhilaratus, rebus mortalibus velut nauſeabundus vltimum vale cum connitio dixit, & vilitatem iis ſordéſque exprobrans ſupra humanam eloquentiam eſſe teſtatus eſt, quæ ſibi Mariæ munere præmia obtigiſſent. Annuere denique euocanti ſe & extra carceres prorumpere velle animaduerſus, paulò pòſt Diuis comes additus in amplexum Numinis & Patronæ Virginis euolauit, procellas, quæ poſtea obortæ ſunt, non niſi è portu ſpectaturus. Eas nos, initio ab ijs ducto, quæ Leonem fatigarunt, ordine referemus. Slaui inprimis, quorum attritas vires ſuprà diximus, iugi impatientiâ & miſeratione ærumnarum, quibus Wertiſlaus Nicloti Ducis filius etiamnum apud Henricum Leonem captiuus conflictabatur, ad vtrumque dedecus abolendum exarſerant, captáque primo impetu Megalopoli, &, poſt internecionem ciuium, ſuccenſâ, creſcentibus ex

SLAVI IN HEN. LEON. INSVRGVNT. *Chron. Slauor. l. 2.*

ſucceſſu

Digitized by Google

ſucceſſu animis, latiùs propagaturi va-
ſtitatem fuerant, nî Henricus Leo con-
tractis repentè ingentibus copiis teme-
ritati frenum inieciſſet. Sed aduerſus
externam vim inuictus domeſticæ inui-
diæ par non fuit; contra quem hoſtem
nemo minùs munitus eſt, quàm qui eſt
feliciſſimus. Vicini proceres ſacri pro-
faníque creſcentem Henrici gloriam
peroſi & vetere Principum morbo æ- INVIſVS
gri, quem alienæ potentiæ aſpectus cre- PRINCIPI-
at, conuellere illius opes non vno loco BVS H. LEO.
aggreſſi ſunt. Ludouicus Thuringus
cum ſociis Aldeslebo; Chriſtianus Al-
denburgius Bremæ copias admouet, ÆMVLI
improuiſus vterque hoſtis, & alter nu- EIVS.
per ſtipendiarius & victoriarum parti-
ceps. Henricus vetere fortuna & magis
etiam virtute fretus nunquam fidentiùs
viſus eſt arma ſumere, quàm contra hos
æmulos veriùs quàm hoſtes, quibus
poſt oculos iam exuſtos ſciebat non ſu-
pereſſe magnas vires: inuidiam enim ta-
bem eſſe non tantùm animorum, ſed
corporum etiam: Neque illum ſua ſpes
fefellit. Aduerſus Thuringum primùm RES HENR.
progreſſus nullo illum loco paſſus eſt ADVERSVS THVRIN-

Digitized by Google

gvm et Altenbvrgivm.

conſiſtere; Magdeburgum vſque victor miles & flamma omnia hauſerunt. Minus etiam cum Altenburgio negotij fuit, ſi Helmoldo credimus, qui famâ debellatum in Friſiæ paludes refugiſſe memorat, & illic in paucis diebus extabuiſſe. Albertus Stadenſis Getæ fluminis tranſitu prohibitum ab eo Henricum, & denique etiam fugatum tradidit. ſub cuius reditum cùm vita eum defeciſſet, mortem ſtrenuè diſſimulatam, ſuppreſſo luctu; illatas etiam veluti viuo dapes; eadem conſtantiâ bellum adminiſtratum eſſe, donec moræ tædio relangueſcens miles à ſignis ſit dilapſus. Minuta prælia damnáque factionis ſociis illata commemorare nihil eſt neceſſe; quorum omnium fama cùm ad Cæſarem perueniſſet, diſcedere partes ab armis iuſſit pacis colendæ aliis auctor, cùm ipſe multo fœdius bellum gereret, eâ potiſſimum causâ Nouembri Menſe anni ſexageſimi ſexti in Italiam tranſgreſſus, vt ſummum Religionis Antiſtitē in vrbe Roma opprimeret. Id conſilium aliquamdiu plurium vrbium defectiones, Mediolanenſium ad inſtaurandam

Frid. Cæs. impii conatvs.

randam patriam noui conatus, occultæ Manuelis Græci Imperatoris machinationes, & Anconitana obſidio ſunt morata. Sexto denique Kalendas Iunij Reinaldus Colonienſis ab eo digreſſus Romam verſus iter intendit ſatellitio verius quàm exercitu ſtipatus. Eum à Tuſculanis receptum inſtructiſſimæ Romanorum copiæ (quadraginta duo millia nonnulli numerant) oppido circumfuſæ in vltimum adduxere diſcrimen; quo in caſtra Cæſaris nunciato, magnis contentionibus diſceptatum eſt, an pauculorum hominum ſalus certiſſimæ ſpei, quæ de Ancona recipienda affulſerat, eſſet anteferēda; itúmq; in eam ſententiam fuiſſet, vti Colonienſis ipſe ſibi conſuleret, niſi Chriſtianus Conrado Wittelſpachio Moguntiæ ſuffectus indignatus tam vilia ſacrorum hominum haberi capita ſeſe pro eius ſalute deuouiſſet. Mille eum trecenti, exigua ſed in vtrumque parata manus, ſunt ſecuti. Vbi in conſpectu hoſtium ſigna explicauit; relicta obſidione totis in eum viribus eſt itum; rogantíque vnius noctis inducias arrogante ſanè reſponſum

MCLXVII.
Godefrid. ott. de S. Blaſio. Chron. Reicherſp. Auctar. Aquicinct.

MEMORABILIS INTER ITAL. GERMANOSQ; PUGNA.

eſt, Cœnam Romanos coruis debere; opportunè proinde Germanos in macellum veniſſe. Cuius acerbitate dicti efferati noſtri, cohortatíque ſe mutuò, ne coruos inulti paſcerent, ſed aliam potiùs in Monte Porco (id nomen loci fuit, in quo pugnandum erat) victimam cæderent, tanta in Romanos vi ſunt inuecti, vt neque circuiri à tergo, neque ſuſtineri in fronte poſſent; &, quaſi in ſingulis multorum hominum inſtar eſſet, quaquauerſus pugnaturis virium virorúmque abunde ſuppeteret. Acceſſit alter ex oppido terror. Reinaldus cum trecentis eruptione facta iam turbatis ordinibus ingerens ſeſe, maiorem ipſe quoque, quàm pro numero, ſtragem edidit; tantam quidem, vt reliquos fugæ non puderet; quos ad Tibrim denique victor omiſit. Sequenti die, quæ à Pentecoſte tertia fuit, tumulandorum cadauerum causâ egreſſos noſtri iterum in vrbem reiecere; neque humandi poteſtas aliter facta, quàm ſpondentibus, cæſorum numerum ex fide relaturos. Nouem millia, quod penè fidem ſuperet, in cenſum venere; quinque millia

GERMANORVM MAGNANIMITAS.

NVMERVS CÆSORVM ITALORVM.

capti-

captiui abducti, quanto ſuperior victoribus ſuis turba, ſi in victis aliquid præter numerum eſſet? Reliquos per auia palantes fuga variè diſtulit, vt ex quadraginta duobus millibus duo duntaxat millia mœſta Roma receperit, neque vanè æquatam eo die Cannenſem cladem, renouatámque Annibalis memoriam tabulis Pontificiis ſit annotatum. Sub idem tempus, Anconâ deditâ, Cæſar cum vniuerſis copiis Romam profectus breui eâ potitus eſt. Fridericus Sueuiæ Dux Rotenburgius dictus infeſta ſanctiſſimo orbis terrarum templo ſigna intulit, & Petri Aras ſanguine fœdauit. multa vetuſtæ pietatis monumenta ignis abſumpſit. Sed quod flamma ferróq; dirius fuit, Paſchalis infame monſtrum III. Kal. Aug. in D. Petri ſede adoratus eſt, & infulas in aſſentatores ſuos partitus, Kalendis Auguſti Beatrici Auguſtæ Coronam impoſuit. Conniuente ad hæc ſcelera Numine, Welfo ſenior Hieroſolymis redux, quò eum cũ Henrico Burggrauio & Friderico Wittelſpachio pietas traxerat, in mediam barbaræ crudelitatis flammam incidit, deteſtatúſ-

Acta Alex. apud Baron.

ROMA À CÆS. CAPTA.

WELFO BELLVM IMPIVM DETESTATVR.

Vrſperg. Appendix Radeuici.

ſtatúſque certantem cum Gothico furore popularium ſuorum impudentiam, ne vel oculis noxam contraheret, haud vanus vates impendentium malorum in Germaniam rediit, eo vno infelix, quòd non vnà filium abſtraxit, qui ei paulo pòſt in vrna remiſſus eſt. illo ipſo enim infami menſe & tot ſcelerum conſcio, irati ſacrilegis Superi, immiſſa caſtris regiis peſte, nobiliſſimum quemque vitâ exturbârunt. Ex Epiſcopis Reinaldus Colonienſis impij belli non modò dux ſed fax inſuper, Eberhardus Ratiſbonenſis, Godefridus Spirenſis, Daniel Pragenſis, Alexander Leodienſis Hermannus Verdenſis obiere. E prima nobilitate Fridericus Rotenburgius Conradi Cæſaris F. Sueuiæ Dux, Berengarius Sulzbachius, Henricus Tubingenſis, quémque antea nominaui, Welfo Iunior idem fatum ſortiti. Minorum gentium capita, ad duo millia deſiderata. Reliqui ægrè animam trahentes & in mortem pallidi raſis capitibus nonnihil leuari viſi ſunt. Welfo oſſa filij vnáque ſpem omnem poſteritatis in Staingadenſi Cœnobio, quod nuper ad Lycum

NOBILIA FVNERA.

WELFON. IVNIORIS MORS.

STAINGADENSE

cum pro D. Norberti Sodalibus ſtruxe- rat, mœſtus condidit. Eberhardo Ratiſ- boneſi Chuno Falkenſtainius ſucceſ- ſit. Otto Wittelſpachius ſingulari Nu- minis beneficio rerum faſtigio cum de- ſtinantis, à clade, vti etiam à ſcelere ab- fuit Legatus Byzantium cum Henrico Auſtrio miſſus; vnde quanquam infe- ctis, propter quas ierat, rebus, rediit, au- ſpicatò nihilominus iter feciſſe cenſen- dus eſt, cùm vbiuis illum, quàm Romæ tunc eſſe ſatius fuerit. Fridericus quod ſuperfuit anni in Lombardia inglorius exegit, poſtquam immortalium odia incurrerat, etiam à mortalibus contem- ptus. Vrbes Populíque, quos metus in officio continuerat, id frenum per ſe fragile, rebus illius aduerſis multò au- daciùs excuſſere: quos amor & obſe- quendi ſtudium illi deuinciret, & antea perquam rari fuerant, & ferè cum for- tunâ mutârant fidem. Eò denique ven- tum, vt neque moranti fida hoſpitia, neque diſceſſuro tuta itinera eſſent. Su- ſam ſubalpinam vrbem ingreſſus para- tas ſibi inſidias hoſpitis indicio intelle- xit. diſpoſitæ paſſim cuſtodiæ omnes, qui

MON WEL-FONVM OPVS, & SEPVLCHRVM.

OTTO WITTEL-SP. AD CÆS. ORIENT. LEGATVS. *Append. Radeuici.*

FRID. CÆSAR CONTEMNITVR.

Otho de S. Blaſio c. 20. Secutiam vocat lo Sarisberienſis l. 2. Ep. 62. Act. Alex Pont. Suſiam.

Digitized by Google

qui foras ferrent, exitus obſeruabant; quas niſi inſigni aſtu falleret, perrumpendi, comitatu ad perpaucos redacto, ſpes non erat. Ergo Mediaſtinum indutus cum duobus aliis itidem centunculatis periculo ſeſe eripuit, Hartmanno Sibenaichio Imperatoris perſonam interim ferente, donec irrumpentibus ad lectum regium ciuibus, ſuppoſititius Cæſar eſt agnitus. Fridericum hoc ludibrio ſeruatum Martius menſis anni ſexageſimi octaui Germaniæ reddidit, neque ſic tamen reſpicientem ſeſe, aut ad calamitatum ſuarum fontes inueſtigandos manſuefactum. Monuerat illum vir ſanctus è D. Brunonis familia, pro amicitia, quæ ei olim cū Cæſare interceſſerat, non antè fauente fortunâ vſurum, quàm propitium ſibi Numen, pace Eccleſiæ redditâ, feciſſet; mouerátque hactenus hominem, vt Legatos nominaret, quorum opera ad conciliandum Pontificem vteretur. verùm ſimul ac pedem extra Italiam poſuit, denunciari iam iter ingreſſis iuſſit, niſi Cælites in comitatu ſuo adducerent, & cauſam prodigiis ſe confirmaturos confiderent,

INSIDIAS ASTV EVITAT.

MCLXVIII.

CÆSAR ADMONETVR ERRORIS.

Io. Saresber.

PERTINACIA CÆS.

rent,

rent, fruſtra domo prodiiſſe: nihil ſupra hominem dicturis facturíſque fidem apud ſe nullam fore. Ita in ſuis malis cauillanti neque Dirarum denunciatio mentem mutauit, quibus Alexander vt impium deuouit & Imperio indignum pronunciauit. Quod ſimul ac Manueli Imperatori Orientis innotuit, ingentibus promiſſis Pontificem ſolicitauit, vt conflatis rurſus vtriuſque Imperij Coronis, vnum Orbi Chriſtiano caput præficeret, Conſtantinos rediuiuos & Theodoſios pro aſperis Germaniæ ingeniis pollicitus. Eius tamē poſtulationis, vt intempeſtiuæ ratio nulla eſt habita. Has tot iacturas famæ gloriæque Fridericus inſignibus hæreditatibus ſub idem tempus aditis eſt ſolatus. Vt potiſſimas ex iis commemorem, Burgundia Reginaldi ſoceri morte orba in eius ditionem imperiúmq; conceſſit. Friderico deinde Rotenburgio, quòd ex Henrici Leonis filia nihil liberorum tuliſſet, ex aſſe ſucceſſit. Iam Welfo etiam, qui abdicatâ Reip. adminiſtratione ſecedere in otium cogitabat, hæredem eum etiamnum viuens inſtituit, præterito Henri-

DEVOVETVR CÆS. *Aſſ. Alexandri PP.*

MANVEL IMPERIO OCCID. IMMINET.

Otto de S. Blaſio. Vrſperg.

PROVINCIÆ FRIDERICO ADDITÆ.

WELFO LEONEM HÆREDEM RESPVIT.

Henrico Leone Fratris filio; in quem cùm initio propenderet, certámque pecuniæ ſummam pactus cedere ei bonis omnibus ſtatuiſſet, offenſus eius ſordibus tabulas mutauit; erasóque Leonis nomine, Fridericum ſororis filium ſubſtituit. Leo enim quòd lucrifacere eam quoque pecuniam vellet, ſperarétque Welfone, vtpote iam capulari, propediem morituro, gratis ad ſe omnia reditura, variis ludificationibus ſenem fruſtratus canam illius prudentiam non fefellit, ſuíſque captator artibus captus eſt. per quod tempus Filiam Sueuiæ Ducis viduam Waldemari Daniæ Regis Filio deſpondit, & ipſe quoque Clementiâ Zäringiâ repudiatâ Mechtildem Anglam Henrici II. Filiam cum dote regia accepit vxorem; BOIARIÂ interim Conradi Archiepiſcopi funus lugente, quem magnis pro pietate & patria laboribus perfunctum, dum deformatam prioris anni incendio vrbem templúmque nitori priſtino reſtituit, IV. Kal. Octob. inteſtini calculi dolor extinxit, felicem tamen eo nomine, quòd clauum Eccleſiæ ſuæ tot fluctibus quaſ-

CONR. SALISB. ARCH. MORS.

Digitized by Google

quaſſatæ, non niſi iis compoſitis, & reducta ſerenitate ſucceſſori ſuo regendum permiſit; Is Adelbertus fuit, Vladiſlai Bohemiæ Regis Filius, ab Aquileienſi Patriarcha conſecratum Alexander Pallio induit: quæ iam prima res Friderici ab eo animum abalienauit, adeò quidem, vt ſequenti anno, qui ſexageſimus nonus fuit, ad Babenbergenſia Comitia in Regis Patris honeſtiſſimo comitatu profectum ne aſpectu quidem ſit dignatus. Iis Comitiis Saxonia pacata, & Henricus Leo cum proceribus in gratiam eſt reductus. Ea pax vt parum quæſtuoſa vni Wedekindo Daſenburgio inuiſa fuit. is arce ſua, quam inexpugnabilem naturæ beneficio credebat, fretus, more ſuo vti perſeuerauit, latrociniis & prædis agendis intentus. Et ſanè cùm in eo ſpoliario ab Henrico Leone obſideretur, diu conſuetas oppugnantium artes eluſit, quòd baliſtarum ictus ad arcis altitudinem non pertingerent. Sed vbi ſuffoſſo monte, puteus, vnde obſeſſi aquabantur, obſtructus eſt, ſenſit Daſenburgius neque omnia prouiſa ſibi, & quantacunque

Chron. Reicherſp.

ADELBERTVS ARCH. SALISB. MCLXIX.

Helmold. l. 2. c. 11.

HEN. LEO PACIS PVBLICÆ HOSTEM OPPVGNAT.

peccantium munimenta rimas ageret. Auguſto Menſe Fridericus Saliſburgi de Adalberto iura regalia recepit, vi ea extorturus, niſi Epiſcopus ab Henrico Auſtrio auunculo ſuo perſuaſus voluntaria ceſſione furentem mitigaſſet. Editum nihilominus eadem tempeſtate exemplum magnæ virtutis & felici etiam ſeculo raræ. Gebhardus Princeps Iuuentutis & Halæ Oenanæ Toparcha in flore æui & medio propitiæ fortunæ curſu, remiſſo rebus humanis nuncio, rectà à Babenbergenſibus Comitiis, quibus inter reliquos Germaniæ Proceres adfuit, Reicherſpergenſi ſe Cœnobio abdidit, Hedvvige matre in eiuſdem loci Parthenonem, cui binas nuper filias conſecrauerat, ſecedente. Et illa quidem, vt ætatis iam exactæ, curriculum intra annum abſoluit; Gebhardus ſexennio in caſtris Sanctitatis poſito, etſi pauciora, quàm ſub Friderico, cui tredecim annos militauerat, feciſſe ſtipendia viſus eſt, tamen ex decreto Numinis triumphauit. Tirocinium ſub Gerhoho, quo nemo ea ætate experientior rerum diuinarum eſt habitus, ponere

ARCH. SALISB. REGALIA CÆSARI REDDIT.

GEBHARDVS DYNASTA HALENS. SECVLO VALEDICIT.

here optauerat; ſed is quinque non amplius diebus antè deceſſerat, quàm Gebhardus Deo manciparetur, conditione multo meliore in cilicio futurus, quàm quibus infulæ tum obtigere; qualis Henricus fuit Bergenſis dynaſta Bertholdi Andecenſis ſorore natus, qui proximo poſt Gebhardi ſeceſſionem menſe, Albano è Batauenſi ſolio deiecto ſubrogatus, cùm dignitatem ſequēti demum anno aditam Superis beneuolentibus tueri ſe poſſe deſperaret, munus ſuum Imperatori remiſit. Is cùm nuper Paſchalem alterum factionis caput cancer depauiſſet, tertium aſſui paſſus eſt Strumenſem Abbatem, qui pro Ioanne Calliſtum ſe dici voluit; in cuius moribus tanta fuit fœditas, vt, cùm non niſi ſcelerati eum ſequerentur, ipſos tamen eius aſſeclas puderet tam infamis Ducis. Cæſar ſanè ab eo deſciſcere velle viſus eſt, cùm ex Babenbergenſibus Comitiis eius vrbis Epiſcopum cum Claræuallenſi & Ciſtercienſi Abbatibus ad Alexandrum amandauit; ſed cum mandatis tam perplexis támque inuoluta oratione, vt irridentis an

HENR. BERGENSIS PASS. EPISCOPIVM DESERIT.

Acta Alex. PP.

III. ANTIPAPA FRIDERICI CÆS.

Godefrid.

FRIDERICI ASTVS.

captantis ea legatio eſſet, quid ſibi vellet, quid non vellet, liquidò non poſſet intelligi. Lombardi eâ fallacia petebantur, quos auxiliis Pontificiis ſpoliatos, veluti nudo latere, facilè erat confecturus. Ita fabula malè ſuffulta ſuâ vanitate corruit, & bellum Italicum repetitum eſt, quod Fridericus rebus Germanicis impeditus, per Chriſtianum Moguntinum Legatum ſuum geſſit. Sed quando id perſequi huius inſtituti non eſt, pro bellica expeditione ſanctiorem alteram repræſentabimus.

II.
MCLXXII.
Arnold l. 2. Chron. Slau. Alb. Stad. Chron. Auguſt. Godefr.
HENR. LEONIS EXPEDITIO SACRA IN PALÆSTINAM.

Henricus Leo, diſcuſſa ciuilium bellorum tempeſtate & pace Reipub. reddita, felicitatem ſuorum temporum gratulatus Deo cupiditate exarſerat adorandorum eius veſtigiorum, quæ Palæſtinæ ſanctiſſimæ Prouinciarum viuens moriénſque plurima impreſſit; quod tunc Chriſtianis Heroibus tritum iter fuit, vti domeſticis ſubinde exemplis demonſtrauimus. Ergo adminiſtratione Saxoniæ Wigmanno Magdeburgio permiſſa, vxore grauida Ecberti Wolffenbutelij fidei commendatâ, pleroſque optimatum in comitatum aſciuit;

uit; profectúſque Brunoniſuico poſt Regalia, diem Deiparæ Luſtricum Ratiſbonæ egit; lectíſque in contubernium Friderico Sulzbachio & Ottocaro Marchione Stiriæ in Auſtriam deſcendit. Neoburgi matris tumulum piè religioséque veneratus ab Henrico Auſtrio vitrico ſuo Strigonium deducitur, illa ipsâ die, qua Stephanus Vngariæ Rex veneno ſublatus interiit. Auſtrij filiam in matrimonio habuerat, quò luctuoſius id fatum vtrique hoſpitum accidit. Vbi ad Cataractas Danubij ventum, ſola quæ Leonem vehebat nauis, reliquis omnibus ſaluis, in profundum abrepta eſt; ſociis natatu in littus elapſis, Leo iam conclamatus à ſuis lembo piſcatorio è mortis faucibus extractus eſt. Grauius paulò pòſt apud Seruios periculum aditum; qui cùm inſtructiſſimi agminis ſpoliis vitæque inhiarent, & itinera infeſti inſiderent, expedire Henricus ſuos arma iuſſit, quæ in ſimiles caſus ad innoxia ſupplicantium ſymbola adiunxerant. Rauanellam vrbem prætergreſſis tota gens excita ſedibus ſuis ad ducenta hominum millia hærere

al. Sudbach.

PERICVLVM LEONIS.

SERVII LEONEM INFESTANT.

Digitized by Google

tergo viſa. cùm barbaro vlulatu, quo fugandos noſtros crediderant, nihil profeciſſent, Epiſcopi Wormatienſis proximè hoſtem tendentis caſtra inuadunt. Quingenti non amplius in toto comitatu erant, egregium vt pietati operantium agmen, ſed vtique, ſi bellandum foret, parua manus. Leo nihilominus iam in ſuum quoq; tentorium telis incidentibus, primus ad arma conclamauit, propitium ſupplicibus ſuis Numen, triumphalem Crucem, æternas Cælitum excubias, impenetrabile ſcutum pietatis, quæque alia animare bonos poſſunt, magna voce & fixis cælo oculis ingeminãs: ſimul viginti cataphractos Wormatienſi laboranti ſubmittit, manipulum pro legione futurum. Maiores humanis vires eos attuliſſe hoſtis ſenſit. Primum telum temerè vt in confertos emiſſum latronum regulo lethale fuit; quem ſimul ac ſui ruentem viderunt, quaſi eodem omnes ferro exanimati forent, ita repentè furor & impetus, qui iis pro viribus eſt, barbaros defecit. Effuſi vndique in fugam ne poſtera quidem die, noſtris iter ingreſ-

Leonis magnanimitas.

ingreſſis appropinquare ſunt auſi. Neque deinde Conſtantinopolim vſque periculi quidquam fuit: in cuius conſpectum cùm eo ipſo die, qui Chriſto patienti anniuerſarius eſt, veniſſent, ne pietatis publicæ curſum interrumperent, in Regiam ante lætiores Paſchæ dies pedem non intulere, quanta fieri potuit effuſiſſima omnium ordinum gratulatione, ex Manuelis imperio, accepti. Inter Principes non beneuolentiæ modò ſed liberalitatis etiam certamen fuit; Leone equos phaleris inſignes, arma affabrè facta, veſtem omnis generis, laneam purpuræ, lineam niui certantem largiter præbente. Auguſta viciſſim ſerico heteromallo totū Leonis Satellitium veſtiit, Manuele claſſem inſtruente cum omni inſtrumento nautico; quæ cùm Leonem comitéſque in altum tuliſſet, exorta repentè tempeſtas omnibus ſpem vitæ eripuit; donec Virgo humanæ elegantiæ maieſtatíſque modum egreſſa, ea haud dubiè, quam Maris Stellam ſalutamus, è vectoribus quempiam ſuo deuotum nomini blandè allocuta, bonum habere animum

CONSTANTINOPOLIM SVBIT.

CERTAMEN BENEVOLENTIÆ.

DEIPARÆ ADVERSVS NAVFRAGOS BENEFICENTIA.

iuſſit pollicita ſe naui pro tutela fore; vehi illic charum ſibi caput; eius caſtas preces fruſtrari, non eſſe ſuæ pietatis. Eo oſtento vulgato noua omnibus oboriri lux, Henricum Brunonis vici Abbatem ſinguli reſpicere, & Patronum, cuius beneficio viuere ſeſe intelligebant, ſalutare; nam aut illum aut alium præterea neminem Deiparæ cordi eáque potentiá eſſe, quæ fluctus componere aut perrumpere poſſit. Interim clarior dies bene ominantibus periculum ſuum detexit. inter præacutas cotes & extantes dextrâ læuáque ſcopulos vehebantur, qui in fornicis morem coëuntes arctis faucibus iactatam molem ægrè erant tranſmiſſuri; cùm ecce ſedatis momento fluctibus, impulſa benigniore aura, nauis curſum ſuum impunè tenuit, turbâ nauticâ propitium inclamante ſidus, quod vnum ex omnibus terræ mariſque eſt potens. Ita præparatis ad agnoſcenda cæli beneficia animis, in ſacræ vrbis conſpectum venere; cuius diuinior genius & monumenta plena Numine admota oculis pietatem ingerunt vel inuitis. Vbi vbi viſum olim conſtabat

PIETAS IN ADORANDIS CHRISTI VESTIGIIS.

bat Deum auditúmque, illic venerabundum agmen procumbere, rigare paſſim omnia lacrimis, ſed illa vberrimis, quæ Dei bibiſſe ſanguinem ferebantur. Leo inſuper inaurare omnia & munificentia regiâ excolere; Templum æternæ Crucis opere teſſellato, & portarum limina argento veſtire; ſumptum præbere alendis facibus; Templi & Hoſpitalis militibus annonam augere. Prouinçia omni obitâ, Conradi Lubecenſis Epiſcopi & Bertholdi Lunæburgenſis Abbatis morte mœſtus rectâ Antiochiam abiit. inde per Romaniæ deſerta à Turcis cuſtodiæ cauſa Soldani benignitate additis deductus cũ fide, Soldanum ipſum in Axarata vrbe ſalutauit. Exuiſſe ingenitam ferociam Barbaros crederes, & Regulum gentis Europæis ingeniis litem intendere humanitatis. Mille octingenti equi producti ſunt, optione comitibus Leonis permiſſâ, quos vellent, eligendi. Leoni ipſi triginta velut ad pompam & Circenſes ludos compti dono dati; Cameli præterea ſex & Leopardi duo, rarum in Germania ſpectaculum præbituri. Manuel vinci à

LEONIS EFFVSA MVNIFICENTIA.

RARA SOLDANI HVMANITAS.

Digitized by Google

DONA REGIA.

barbaro turpe ratus, auri argentíque & pretioſæ veſtis quantum muli quatuordecim ægrè ferrent, congeſſit Xenium Duci. Leo onerari modeſtiam ſuam nõ ſuſtinens, gemmarum tamen nonnihil & chariora gẽmis Diuûm Lipſana aptũ templis, quæ plura moliebatur, exornandis munus Brunonis-vicum deuexit, ſub idem tempus ciuibus ſuis redditus, quo ab iiſdem, priore anno, erat digreſſus. Fridericum Auguſtæ Vindelicorum ex itinere ſalutauerat. hic diuerſis à Leone ſtudiis, eo pietati operante, vexandos ſibi BOIARIÆ Epiſcopos ſumpſerat. Saliſburgum enim ſub Cineralia profectus, aliis in ordinem redigendis, aliis ſufficiendis præpoſteram operam nauauit. Ipſum ante omnes Archiepiſcopum motum loco cùm vellet, iámque ea de re ad Senatum retuliſſet, Adalbertus improuiſus inuocatúſque infami actioni interuenit. Cæſar eadem quâ nuper ſuperbiâ eum aſpernatus in conſpectum non admiſit; ſed quòd exauctorationem innocẽtis pauci probarent, tum quidem cœpto deſtitit, improbum conſilium comperendi-

REDITVS IN PATRIAM.

FRID. CÆS. BOIARIÆ EPP. VEXAT.

natione

natione ad maturitatem perducturus. Henricus Batauenſis ne in eandem flammam incideret, Pontificatu ſponte abiit. illum Imperator fratri eius Dietboldo benè adoleſcenti cõtulit; qui tamen ipſe quoque Cæſaris ſpes fruſtratus melioribus conſenſit, & Alexandro auctore per Albertum Friſingenſem, Chunonem Ratiſbonenſem & Henricum Brixinenſem inauguratus munere ſuo cum laude functus eſt. Henricus, quem vltimo loco nominaui, paulo pòſt moriens Richero mitram reliquit. Hæc ſeptuageſimo ſecundo geſta. Tertio Vladiſlaum Bohemiæ Regem optimè de ſe meritum, haud ſcias an non Adalberti filij Saliſburgenſis Antiſtitis odio, abire regno Cæſar compulit, excluſóque Friderico F. quem pater iam gubernaculis admouerat, Sobeslaum patruelem eius produxit, qui Principis nomine contentus regio abſtinuit. Ingenti deinde exercitu ex Boiis, Sueuis, Francis, & Saxonibus conflato, quantum quidem prioribus ſeculis Germania Septentrioni nunquam oſtenderat, mouiſſe in Polonos

MCLXXII.
Chron. Auguſt. Annal. Bohem.
REX BOHEMIÆ EXAVTHORATVS.

nos

God. Monachus in Chron.

BELLVM POLONICVM.

nos Godefridus autor eſt; cauſam expeditioni reſtitutionem Nepotis in Regnum dediſſe; bellum ſolo terrore armorum confectum incruentum fuiſſe, profitentibus Polonis, in Cæſaris ſe poteſtate futuros & octo *Marcarum* millia ſiue ſtipendij, ſiue vectigalis nomine perſoluentibus. Eius belli cùm apud proprios gentis ſcriptores veſtigium nullum extet, dubites in illis diligentiam, an in Godefrido fidem requiras. Sed nulla in animo Cæſaris flagrantior cupiditas, quàm Adelberti de Saliſburgenſi ſolio detrahendi; violentiæ tamen infamiam veritus, ſi profana id manu feciſſet, ſacras illi iniecit, Gurcenſi Epiſcopo & Brixinenſi in partes ſuas traductis. Brixinenſem ambitio in Adalbertum armauerat, vt inimicum honoribus ſuis & inaugurationi obluctatum: Gurcenſis cùm ſemel offendiſſet, priuatis aut potiùs nullis auſpiciis Richerum Brixinenſem conſecrare auſus, errorem manifeſto ſcelere quàm pœnitentiâ obruere, ſatius duxit. His ergo architectis adornatâ ſcenâ calum-

ADALB. SALISB. CÆSARI INVISVS.

niæ,

niæ, Fridericus VII. Kal. Iunij anni ſeptuageſimi quarti Comitiis Ratiſbonæ maiore quàm antehac vnquam frequentia actis, de cauſa Archiepiſcopi quaſi iure acturus ad Senatum retulit. Aderat Adalbertus ipſe in Henrici Auſtrij auunculi ſui comitatu refellere paratus, ſi quis accuſator prodiiſſet. ſed cùm Richerus animi in eum virus oratione maledicâ euomuiſſet, innocenti pro ſeipſo dicendi ſpatium datum non eſt; lata velut in conuictum acerbiſſima ſententia, nemine præter Henricum Auſtrium intercedente. Nihiloſecius tamen Henricus Berchteſgadenſis Præpoſitus vir cæteroqui non malus, neq;, ſi iniuria abeſſet, eo honore indignus Adalberto per tumultum ſufficitur, ne vultu quidem refragantis ſpeciem præferens. Cæſari magnificum viſum omnia poſſe, & ſacra iuxta profanáque imperia manu gerere & diſpenſare pro libidine. Nouitius Pontifex veluti iure, quo qui optimo, creatus clientes ſuos recognouit & vetera illis beneficia confirmauit, etiam Henrico Leone talem Patronum non dedignante. Inde Fride-

MCLXXIV.
Chron. Reicherſp.

RICHERI BRIXIN. EP. MALEDICENTIA.

ADALB. EP. SAL. SVCCESSOR OBTRVDITVR.

FRID. ALEXANDRIAM OPPVGNAT.

Fridericus rectà in Italiam tranſcendit, Alexandriæ potiſſimùm nouæ vrbi ab Alexandro Pontifice boni ominis cauſâ ſic dictæ imminens; quam vtcunque contemptam & deridiculi causâ Palearem cognominatam nulla virtute, nullo dolo expugnare pertinaciſſimè obſeſſam potuit; vt haud temerè vulgatum creditúmque ſit, D. Petrum ante prima ſigna cõſpicuum oppidanis præſidio fuiſſe. Cuniculum intra vrbem egerat Cæſar, ſanctiſſimis noctibus, quibus Chriſti Cruciatus pij recolunt, aperiendum; quòd & ſponte ſua auerſis ad religionis ſtudia & induciarum etiam pactione quieſcentibus facilè ſe ſperabat impoſiturum. ſed aliorſum fraus recidit. vt quique eruperant, infeſtis enſibus excepti ſunt; qui verò cauo tenuere ſeſe, ſubſidente, quam ſuffoderant, humo, in iiſdem ruinis mortem & ſepulchrum nacti ſunt. Ea re aucti animis oppidani ſub lucem caſtra Cæſaris ſubita eruptione inuadunt, magnáque ſtrage edita & munitionibus incenſis frementem ira in fugam compellunt. In publica vrbis gloria etiam gregarij militis

Aſt. Alex. PP.

ASTVS ASTV VICTVS.

litis nomini conſulendum arbitror. Fuit cùm captiui tres tracti ad Cæſarem eius imperio exocularentur. iámque tertius ſub carnificis manu ſtabat, qui rogante Cæſare, quæ illum mala mens in ſe præcipitem egiſſet tot ſupplicia perfidiæ aſpectantem, & proinde dignum, qui aliena poſthac non videat, ſed ſentiat ſua; is fidenter ſanè, falleris Cæſar, inquit, neque perfidiæ ſed fidei oculos exſculpis: quòd fortiter pugnaui, meum eſt; quòd cõtra te, ſi ſcelus eſt, meum non eſt: nimirum cùm in te tuóſque inciderem, mea ſigna ſum ſecutus, à quibus neque cœcum abire me fas eſt. Hoſtem meum mihi Dux monſtrabit; qui ſi cauſas habuerit pro te potiùs quàm contra te pugnandi, ego rationes inuenero, quibus partes tuas etiam cœcus iuuem. Dextram enim mihi non adimis; pro oculis erit fides. Delectatus libera oratione Cæſar ſupplicium illi condonauit, & cum ſociis remiſſum in vrbem meminiſſe iuſſit, oculos ipſum ſibi ſuos debere. Cæſar, quemadmodum commemoraui, reiectus ab vrbe Papiam refugit. Iter Lombardi Alexandrino-

GREGARII MILITIS ANIMOSITAS.

drino-

drinorum ſocij cum magnis copiis inſederant, rerum ad vrbem geſtarum prorſus ignari, & diſceſſionem Cæſaris non fugam ſed ardorem pugnandi interpretati. Aluit errorem Adoleſcens primæ nobilitatis, à Langobardis ad Cæſarem tranſgreſſus. is Parentem ſuum cum Prætorio vexillo conſpicatus eius colloquium expetiit, impletúmque ſiue metu ſiue reuerentia Cæſaris eò perpulit, vt deditionis faciendæ auctorem ſuis ſe fore polliceretur; qua modeſtiorem, ſi vera, Godefridus & Otto Sanblaſianus narrant, ne victis quidem imperare victor potuiſſet. Admotis iugulo enſibus quid meruiſſent teſtati & verrentes ſignis militaribus humum proni ſupplicéſque, alij pedes, chlamydem alij Cæſaris exoſculantes, nihil ſibi ad affectatas reorum ſordes demiſſionémque reliqui fecere. Quæ tamen ab Italis Scriptoribus teſtimonium non habent; apud quos illud quoque reperias, tentatam eſſe etiam cum Alexandro Pontifice concordiam; ſed quæ ob iniquitatem poſtulatorum Cæſaris coaleſcere nulla potuerit. Nihilominus

PAPIENSIVM DEDITIO.

Acta Alex. PP.

pace

pace ciuili ſtabilitâ, copiarum partẽ in Germaniam remiſiſſet, quæ quòd Italiæ pro fræno fuiſſent, ſimul ac loco ceſſere, Cæſar timeri deſiit, apertè denunciantibus Lombardis, niſi Alexandrinos eodem ſecum fœdere complecteretur, ſe quoque ab eo receſſuros. Cæſar in quo diſcrimine nõ modò gloriæ ſed ſalutis etiam verſaretur intelligens, virium quibus ſeipſum intempeſtiuè ſpoliauerat reparandarum ſtudio, omnem iterum ad ſe Germaniam excidit; & Henricum Leonem quidem exquiſitiſſimis verbis, vt quo nemo Principum plus conferre auxiliorum poſſet. nam & acerrimus ipſe miles formidandum Lombardis nomen & expertam iam olim dextram erat allaturus; & BOIARIÆ inſuper Saxoniæque potens non auxilia ſed iuſtos exercitus ex vtraque gente cogendi habebat facultatem. Hunc ergo ſiue paulò antè à Cæſare vt impio & execrationibus obſtricto, quod Vrſpergenſis vult, digreſſum, ſiue vt Italiæ proximum eoque opportuniorem, precanti quàm imperanti propior ad colloquium accerſit, & Clauen-

VERSATILE LOMBARDORVM INGENIVM.

FRID. CÆSAR HENR. LEONEM AVXILIA POSCIT.

Vrſperg. Otto de S. Blaſ. Alb. Stad. Arnold. l. 5, c. 20.

nam vſque progreſſus obuiam arctiſſiméque complexus ad iungenda arma inuitat. Leo ſiue bellum ſiue Fridericum auerſatus conditionem reſpuit, multa cauſatus, ob quæ ſibi vacationem militiæ dari æquum crederet. Sed ridendus Arnoldus, qui excuſatione ætatis vſum comminiſcitur, quod vtique quadragenario, neque enim maior erat, in mentem non venit. cùm Cæſari cauſam nullam probaret, poſtulare viciſſim inſtitit, Goſlariam nobilem Imperij vrbem ſibi iure beneficiario poſſidendam traderet, velut authoramentum militiæ. Fridericus etiam in arctis rebus ſuis retinens dignitatis beneficiorum eum veterum meminiſſe, noua ſperare iuſſit, non exigere; apertum ſibi gloriæ campum, non forum crederet; labanti Imperio forti Duce, non nundinatore opus eſſe. Sic caſtigatum cùm multo minus moueri intelligeret, inutilem eo tempore ſeueritatem lenitate correcturus ſolio ſe proripit, amplexúſque Leonis genua ore ſuffuſo lacrymis obſecrat, ſi Cæſarem ſupplicem deſpiceret, ſi dedignaretur clientem Regem, at daret

LEO CÆSARI AVXILIA NEGAT.

FRIDERICVS LEONI SVPPLICAT.

aliquid

aliquid ſanguini, & poſt ſpretam Maieſtatem vel humanitatis meminiſſet. Quis ſenſus Henrici fuerit, iacente ad pedes eius ſummâ, quæ in terris eſt, poteſtate, in diſſidio authorum vix intelligitur. Arnoldus leuatum ab eo & in ſolium repoſitum magnâ veriſimilitudine ſcripſit. Sed Stadenſis Abbas negat prenſanti porrectam manum, donec Auguſta dedecoris impatiens maritum leuarit admonitum ne eius diei ſuæque repulſæ memoriam vnquam poneret, niſi vindicatus. Vrſpergenſis hoc amplius habet; Leonem ab eius fœditate ſpectaculi reſilientem iuſſum à Iordane Dapifero omen accipere; ſponte coronam Imperij ad eius pedes defluere; quantillum ſupereſſe, vt etiam in frontem ſubſiliat? id quidem conſtat, ſiue hac ſpe inflatum, ſiue religione abſterritum, ſurdis ad vltima Cæſaris vota obteſtationeſque auribus, retro vnde venerat, in BOIARIAM abiiſſe; quæ, vti & vicina Alemannia, à Philippo Colonienſi illac cum copiis ad Cæſarem properante fœdè vexata eſt; quòd Philippus & ſponte ſua Henrico inimicus eſ-

HENRICI ERGA CÆS. SVPPLICEM ANIMVS.

Chro. VVeingart.

BOIARIA VASTATA.

ſet, & gratificaturum Cæſari ſe crederet, ſi ſpolia ei BOICÆ gentis quamplurima oſtenderet; cui tamen haud multo pôſt graues pœnas dedit. Nam ad Lacum Comenſem Cæſari coniunctus infelici cum Lombardis fœderatis prælio decertauit; in quo Fridericus ipſe grauiter ſaucius ex acie ſubductus, caſtris exutus, & pro mortuo deploratus eſt. Ea denique clades veterem vomicam pertinaciæ rupit & toties ictum ad quærendam malis medicinam impulit; cùm fatigatâ ſuâ alienâque fortunâ, & omnibus ad euertendum Alexandrum machinis conſumptis, giganteâ ſe pugnâ laceſſere Numen, & Diuos habere aduerſarios ne ipſe quidem negare poſſet; & vt vetera deeſſent in eam rem argumenta, quid cæleſtes columbæ, quæ ex ara Diuorum Siſinnij, Martyrij, & Alexandri, quorum natali die pugnatum eſt, progreſſæ malum Thenſæ Mediolanenſis inſederunt, aliud portendere cuiquam videri poterant, quàm beatos Martyres ſub inuſitata ſpecie latitantes lætum Lombardis augurium, Friderico infelix & inauſpicatum dediſſe?

FRID. CLADEM ACCIPIT.
Acta Alex. Godefrid.

MCLXXIV.
IX. Kal. Iun.
FRIDERICI PERTINACIA MALIS EDOMATVR.

Germa-

Germanos certè Proceres & nauatæ in eam vſq; diem operæ pœnituit, iidémque Cæſari apertè denunciarunt, inuitis Superis haud vltra ſe pugnaturos. parcerent modò quantiſcunque ſtipendiis ad cælum exſcindendum inuitare perituros. Ignouit Fridericus iuſtis querimoniis, & Legatos pro pace ſummos viros ad Alexandrum Pontificem miſit; quæ ſi orbi aliter dari non potuit, quàm poſt inſignem cladem, propè eſt vt dicam, Cæſarem ab Henrico Leone deſeri & ſub cultro relinqui, tanti fuiſſe, neque iraſci fas eſſe crudæ ad ſpeciem inhumanitati, quæ bono publico viam aperuit: cui priuatum etiam BOIARIÆ coniunctum eſt idémque luculentum inprimis; quando per hæc ipſa tempora iactis fundamentis Monachium caput ſuſtulit, & qualibuſcunque initiis creuit in ſpem hodiernæ maieſtatis. Ominoſa nimirum magnarum rerum ſunt primordia & conſentanea debitæ conſequentibus annis fortunæ. Cùm ergo Germanicæ Pietatis auguſtiſſimam Coloniam, Propugnaculum Catholicæ Religionis, ſtabilem pacis & felicitatis publi-

VRBS MONACHIVM EXTRVITVR.

OMEN PETITVM E

TEMPORE ET STATV REIP.

publicæ Arcem, & optimorum fortiſſimorúmque Principum, qui tot bonorum auctores tutoréſque futuri erant, Regiam collocare in hac vrbe Diuinitati placuiſſet, par omnino fuit, vt eo potiſſimùm tempore nata oſtenderetur terris, cùm oppreſſa diuturnâ tyrannide pietas, & fœdiſſimo ſchiſmate violata Religio reſpirare in antiquam libertatem cœpere; cùm pace rediuiuâ, & poſt octodecim annorum exilium reuocatâ, *annus* verè *placabilis*, vt illum ex ſacris noſtris magnus appellat Baronius, Eccleſiæ obtigit, eliſáque ad Chriſtiani Capitolij petram Friderici ſuperbiâ, Bona cauſa & Æterna Fides triumpharunt. Quibus ex ominibus maior vtique Monachio gloria accedet, quàm ex commentitia antiquitate, quam ad Henricum primum nonnulli, ſola ariolandi an adulandi libidine referunt; argumentis enim prorſus deſtituuntur; cùm ex veteribus tabulis id duntaxat conſtet, Villam antehac Iſaræ fluminis ripæ impoſitam à Scheffilarienſibus Monachis, ad quos pertinebat, nomen

Arenpek.

traxiſ-

traxiſſe. cuius in vrbis formam modúmque amplificandæ ea occaſio fuit, quòd vectigal ſalarium in Veringano ponte ærario Pontificum Friſingenſium inferri ſolitum inde auertere Leo cogitaret. Ea res, vt fit, magnis initio tumultibus agitata, & Epiſcopis ius ſuum tuentibus, ad arma ventum. Veringa exciſa & Pons deiectus eſt, longæ litis materia, quam alibi ſopiemus. Interim vicina BOIARIÆ bellis arſerunt; Auſtriâ, Stiriâ, Carinthiâ in mutuam perniciem graſſantibus. Auſtrius deinde cum Morauis colliſus Conradum Znoymæ Marchionem minutis aliquot prælis afflixerat; is Sobeslao Bohemo in ſocietatem adſcito exercitum ſexaginta non minus millium conficit, & in Auſtriam Auguſto menſe infundit. Ea procella vt improuiſa ſuſtineri non potuit, & ad Danubium vſque propagata vbique fœda veſtigia reliquit. Ad communes clades, quales omnia ſecum bella trahunt, acceſſit mors Henrici Auſtrij. fuga elapſum, & per ſublicium pontem malè concinnatum in arcem ſuam properantem, graui cum equo caſu

OCCASIO ÆDIFICANDÆ VRBIS.

BELLA IN VICINIA.

Chron. Aug. Auſtral. Reicherſp. Dubrauius.

HENR. AVSTRII MORS.

Tempore et statv reip.

publicæ Arcem, & optimorum fortiſſimorúmque Principum, qui tot bonorum auctores tutoréſque futuri erant, Regiam collocare in hac vrbe Diuinitati placuiſſet, par omnino fuit, vt eo potiſſimùm tempore nata oſtenderetur terris, cùm oppreſſa diuturnâ tyrannide pietas, & fœdiſſimo ſchiſmate violata Religio reſpirare in antiquam libertatem cœperet; cùm pace rediuiuâ, & poſt octodecim annorum exilium reuocatâ, *annus* verè *placabilis*, vt illum ex ſacris noſtris magnus appellat Baronius, Eccleſiæ obtigit, eliſáque ad Chriſtiani Capitolij petram Friderici ſuperbiâ, Bona cauſa & Æterna Fides triumpharunt. Quibus ex ominibus maior vtique Monachio gloria accedet, quàm ex commentitia antiquitate, quam ad Henricum primum nonnulli, ſola ariolandi an adulandi libidine referunt; argumentis enim prorſus deſtituuntur; cùm ex veteribus tabulis id duntaxat conſtet, Villam antehac Iſaræ fluminis ripæ impoſitam à Scheffrlarienſibus Monachis, ad quos pertinebat, nomen traxiſ-

Arenpek.

Digitized by Google

traxiſſe. cuius in vrbis formam modúmque amplificandæ ea occaſio fuit, quòd vectigal ſalarium in Veringano ponte ærario Pontificum Friſingenſium inferri ſolitum inde auertere Leo cogitaret. Ea res, vt fit, magnis initio tumultibus agitata, & Epiſcopis ius ſuum tuentibus, ad arma ventum. Veringa exciſa & Pons deiectus eſt, longæ litis materia, quam alibi ſopiemus. Interim vicina BOIARIÆ bellis arſerunt; Auſtriâ, Stiriâ, Carinthiâ in mutuam perniciem graſſantibus. Auſtrius deinde cum Morauis colliſus Conradum Znoymæ Marchionem minutis aliquot præliis afflixerat; is Sobeſlao Bohemo in ſocietatem adſcito exercitum ſexaginta non minus millium conficit, & in Auſtriam Auguſto menſe infundit. Ea procella vt improuiſa ſuſtineri non potuit, & ad Danubium vſque propagata vbique fœda veſtigia reliquit. Ad communes clades, quales omnia ſecum bella trahunt, acceſſit mors Henrici Auſtrij. fuga elapſum, & per ſublicium pontem malè concinnatum in arcem ſuam properantem, graui cum equo ca-

OCCASIO ÆDIFICANDÆ VRBIS.

BELLA IN VICINIA. *Chron. Aug. Auſtral. Reicherſp. Dubrauius.*

HENR. AVSTRII MORS.

ſu crus fregiſſe Dubrauius memorat, eáque ex colliſione intra triduum mortuum; cui in mortis tempore non aſſentimur in annum ſequentem veterum auctorum conſenſu dilatæ. Eodem, quo Bohemus Auſtrium vexauit menſe, Gualterius Albanenſis Epiſcopus Pontificis Legatus Adalberti Saliſburgenſis Epiſcopi cauſam Iauarini in Vngaria examinauit. eius æmulus Berchteſgadenſis iudicio ſe non auſus committere vadimonium deſeruit; eóque nomine notatus contumaciæ & ab Aris ſubmotus eſt; Adalberti integritas Pontifici commendata; quæ tamen illic quoque non ad dignitatem tuendam, ſed ad eandem cum dignitate ponendam optimo viro profuit. Anno ſequenti, Pace inter Sacerdotium & Imperium Venetiis conciliata, Chriſtianus, qui Conrado Wittelſpachio iniuria eiecto ſucceſſerat, mitræ amittendæ metu anxius, pro ea, quâ apud Fridericum valuit gratiâ, euicerat, vt inter conditionis pacis honori ſuo diſertè caueretur. Viciſſim Conradus quoque negabat fraudi ſibi debere eſſe pietatem ſuam,

Chron. Reicherſp.

ADALB. SALISB. ARCH. ABDICAT.

CONRAD. WITTEL-

ſuam, qui afflictiſſimis Alexandri rebus integras ſuas miſcuerit, ſpretáque Imperatoris gratiâ, à quo tantis beneficiis exornatus fuerat, ad eius partes transgreſſus nobiliſſimum Germaniæ Pontificatum cum exilio permutârit. dignum proinde videri, ne acerrimi Eccleſiæ hoſtis, qualis Chriſtianus fuerit, quàm deuoti eiuſdem Clientis potior ratio habeatur; néue bonorum præmia occupantibus ſceleratis, deſertam ſe ab ingrata Roma inops & ingloria virtus queratur. Pontifex vera dicere Conradum & æqua poſtulare faſſus, negauit obliuione officiorum eius aliter ſe decernere; temporum eam eſſe non ſuam iniquitatem, vt aut orbi Chriſtiano pace, aut illi, quam repetat, mitrâ carendum ſit. diſpiceret proinde, quam priuatæ religionis ſtudio ſponte exuerit, an cum boni publici detrimento putet recuperandam. Conradus re cum amicis deliberata, arbitrium omne Pontifici permiſit: Is Adalbertum, qui ipſe quoque Venetiis tum erat, aggreſſus, auctoritate ſua candidiſſimum virum facilè perpulit, ut tempori cederet, quámque

SPACH. PRO IVRE SVO NITITVR.

Chron. Reicherſp.

beneuolo Cæſare geſturum ſe deſperaret, poneret dignitatem, contentus recti conſcientiâ & in morem ſideris ſub nube latentis nihilominus ſplendidus, & poſt breuem occaſum pulchrior exoriturus. Adalberto extemplo abdicanti Conradus, cui ſatisfactum Pontifex oppidò cupiebat, magna Cæſaris approbatione ſubſtituitur: confectæ ſuper ea re tabulæ & in Germaniam tranſmiſſæ, etſi Pontificis Cæſariſque nomen præferrent, haudquaquam tamen impetrarunt, vt factum id nemo reprehenderet; tanto maiore Adalberti exorta miſeratione, quanto conſpectior eius modeſtia fuit; cùm vtique digniſſimos honoribus vulgus cenſeat, qui neque auara eos manu prenſant, neque excidentes ſolicitâ retinent. Inuidiam ſucceſſoris egregia virtus leniit, & inſignia decora, quæ ſecum Saliſburgo inuexit. Nam præter Purpuram titulúmque Legati per Germaniam vniuerſam, Pacem commune ſummis infimiſque bonum patriæ reddidit, Friderico iniuriarum omnium, quibus affectum ſe credi voluit, obliuionem in Conradi gratiam ſpon-

Conradvs olim Mogvnt. ant. Adalberto svccebit.

Roger. in Ann. Anglican.

ſpondente: is confeſtim Anno proximo, Kal. Februarij ordinandæ Prouinciæ cauſa Comitia Hohenaugiæ habuit, omnibus Epiſcopis, qui ab eo iura petunt, & equeſtris etiam ordinis ſummis viris præſentibus. ſqualor aris templiſque demptus, odia poſita, ſopitæ factiones, exploſiſque ſuperſtitionibus vnicus humani generis parens Alexander eſt agnitus. *Chron. Reicherſp.* CONCILIVM PROVINCIALE.

III. Aliam BOIARIÆ Germaniæque vniuerſæ crederes faciem. vnus publicæ lætitiæ Henricus Leo fructum nullum tulit, ſed totam, quæ alibi detonuerat, capite ſuo excepit tempeſtatem, Vdalrico Halberſtadio & Philippo Colonienſi Pontificibus turbinum more Saxonicum nomen vniuerſum in eum concitantibus. Dyminam Slauorum arcem oppugnabat Leo, cùm de Vdalrici in Saxoniam ingreſſu factus certior, verſúſque ad amicos, velut futuri præſcius, Bella mihi, video, bella parantur, exclamauit, cúmque infectis rebus obſidionem ſoluturo, de fama, eandémque tractaturo, de prouincia periclitandum videret, Fridericum machinarum artificem HENR. LEO NOVIS BELLIS INVOLVITVR. *Arnold. c. 23. & ſeq.*

PERITIA ARTIS MILITARIS.

cem quidquid ingenio poſſet, experiri & conferre in pauca iuſſit. Ille mirâ artis fiduciâ ſiue ardentem intra triduum Dyminam, ſiue ſe ſuáque dedentem videre maluiſſet, vtriuslibet cum ſe voti compotem facturum ſpopondit. Leo incendium auerſatus, quòd iras hoſtiles ignibus non extingui ſed accendi diceret, deditionem prætulit, eáque, ſeruante fidem Friderico, ad diem condictum facta eſt. Vdalrico deinde Hopelbergam montem munire aggreſſo imminens, inter rudia operis initia incautum oppreſſit. Sed cùm ſpatium reſpirandi firmandǽque maiore ſtudio arcis ei dediſſet, altera ſed ſera impreſſio effectu caruit. Ipſe fama ſimul viribúſque imminutus animo etiam concidit, vt Philippo Colonienſi ad Viſurgim vſque graſſanti occurrere non ſit auſus. Leonis timiditas æmulis eius audaciam addidit, cùm vtique nemo metuendum exiſtimet, qui prior de fortuna ſua deſperauit. Hinc ille formidandus olim Germaniæ Italiǽque Leo velut oblitus virium & à ſeipſo degenerans auxilium ab hoſte ſuo, quàm à dextra quærere maluit;

VINCIT HALBERSTADIVM LEO.

Godefr.

PHILIPPO COLON. NON RESISTIT.

ANIMO LABEFACTA-

maluit; reuerſúmque ex Italia Cæſarem Spiræ veneratus litium inter ſe & Coloniensſem arbitrum poſtulauit, parum beneuolè ab eo auditus & Wormatiam reiectus. Leo quòd ex primo congreſſu de Cæſaris in ſe animo triſtem conjecturam feciſſet, intelligerétque alios cum Wormatiam ſpiritus allaturum, quàm nuper Clauennæ oſtenderit, tantóque munus Iudicis exercendum ab eo atrociùs, quantò abiectiorem nuper perſonam ſupplicis geſſerit, iudicio ſe committere non eſt auſus. Id Ianuarij Idibus magnâ Procerum frequentia celebratum nouâ Leonem inuidia obruit, contumaciam abſentis, diffidentiam reſpondendi ad obiecta, & deſperationem patrocinij exaggerantibus inimicis. Cæſar velut fugitiuo imminens alteram illi diem Magdeburgi dixit. Iterum non comparenti Theodoricus Landſpergius Marchio Luſatiæ fœda crimina impoſuit, veritatem eorum duello probaturus, ſi quis inficiaretur. Haldeslebij tum Leo erat vt priuati colloquij cupidus, ita fugitans publici; haud ægrè tamen per Legatos, vti ſoli cum ſolo Cæſare

TVS CÆSAREM INVOCAT. *Arnold. c. 29.*

MCLXXIX. *Godefr.*

INVIDIA CONFLAGRAT.

CALVMNIIS APPETITVR.

EMERE GRATIAM CÆS. RESPVIT.

ſare congrediendi copia fieret, impetrauit; comem illic eum præter ſpem expertus & quinque *Marcarum* millibus reditum in pristinam gratiam ſibi venditantem: etſi Leo, qui iure niti non ære innocentiam ſuam vellet, eam conditionem vt nimis pretioſam eſt aſpernatus, laudando conſtantiæ exemplo, niſi in ea tempora incidiſſet, quibus aut ſalutis aut opum iactura facienda neceſſariò fuerat. Ita creſcentibus in eum odiis, cùm paulo pòſt Goſlarienſibus Comitiis Cæſar ad Senatum de eius peruicacia retuliſſet, nemo mitiorem quàm proſcriptionis ſententiam in eum dixit. Ampliatus nihilominus, ad captandam clementiæ famam, in ſequentem annum, reus, & Geilenhuſij demum mediis Eſurialibus hoſtis Reip. iudicatus eſt. Weſtphalia & Angria Philippo Colonienſi; Saxonia reliqua Bernardo Anhaldino attributa. Ne quid malorum deeſſet, ad infeſta Colonienſis & Magdeburgij arma, Halberſtadij Diræ & ſacra fulmina acceſſere; quorum vim homo militaris non ſuſtinens amplexúſque Epiſcopi genua id

MCLXXX. PROSCRIBITVR.

EXCOMMVNICATIONIS SENTENTIAM AMOLITVR MODESTIA.

ſaltem

ſaltem effecit, ne mortalibus inuiſus cæleſtibus odiis premeretur. III. Kal. Iulij etiam BOIARIA ſacramento, quo Leoni tenebatur, ſoluta, & Otho Wittelſpachius clariſſimi, quod ex Annalibus noſtris colligi poteſt, nominis Princeps, ob inſignia in Remp. merita & fidelem operam bellis Italicis Cæſari nauatam, ab eodem Ratiſbonæ inauguratus eſt.

BOIARIA EREPTA LEONI OTT. WITTELSPACHIO COMMITTITVR.

OTTO MAGNVS WITTELSPACHIVS DVX BOIARIÆ.

Is dies Schirenſi ſanguini, qui cum Wittelſpachio idem eſt, longè fortunatiſſimus illuxit, vt qui ſummum BOICÆ Imperium Bertholdi morte, ante annos ducentos triginta tres, velut à legitimis alienatum hæredibus, iisdem poſtliminio reddidit, & propagatum ad poſteros, nunquam interrupta ſerie, per annos quadringentos quinquaginta & amplius in eadem domo ſtabiliuit. Eodem Ratiſbonenſi conuentu, pro Friſingenſi Antiſtite Viam ſalariam, quæ auerſa Monachium fuerat, repetente iudi-

Arenbek l. 4.

LIS DE VECTIGALI SALARIO DECISA.

iudicatum eſt. Otto BOIARIÆ Princeps ſententiæ ſubſcripſit; cui tamen nec ipſe nec hæredes paruere, indulgentiâ Cæſaris freti, cui propter plurima in ſe Ottonis beneficia non placuit ſummo iure vti: neque omnino vana ſuſpicio eſt, Henrico Leoni potiſſimùm quæſitam inuidiam, ne ſi nullum eius improbum in ſpeciem factum publicaretur, circumuentum à Cæſare credi diciqùe poſſet. Illum porrò vtroque, vti commemoratum eſt, Principatu deiectum, pro Boico quidem recuperando nihil, pro Saxonico omnia mouiſſe comperio, digna notitia gentis noſtræ, Ludum, quem Fortunæ maximus Princeps præbuit, ſpectare vſque ad vltimam clauſulam deſiderantis. Primum eius impetum Weſtphali excepere, vt qui primi ab eius auulſi imperio in ditionem Colonienſis conceſſerant. Id bellum per Legatos feliciter geſtum multo Weſtphalis ſanguine & direptionibus omnium fortunarum ſtetit. innumeri mortales intérque eos Simon Comes Teckenburgius captiui abducti, qui ex hoſte amicus poſtea factus fidem

CONATVS LEONIS PRO SAXON. RECVPERANDA.

RES IN WESTPHALIA GESTÆ.

dem

dem omni obſequio, etiam in peſſima Ducis fortuna, coluit. Halberſtadij deinde excidium ſecutum, quo Epiſcopi Vdalrici pertinaces iræ & infeſtæ irruptiones penſatæ ſunt. Capta vrbe diſcurrens ad prædam miles nuſquam ardentem focum reperit; ſubductis conſultò ignibus, ne iis quoque poſt ferrum victor vteretur. Vnus denique fortuitò repertum caſæ ſubiecit, qui latè vagatus ſacra profanáque omnia in fauillam redegit. Baſilica cum aris myſtiſque arſit. Diui Stephani Lipſana ambuſta ægrè Epiſcopus tutatus eſt, quæ Leoni prædam recenſenti lacrimas excuſſere. Epiſcopus in libera cuſtodia amicè neque diu habitus, recepta libertate, vitam amiſit. Thuringi deinde bello petiti, & Northuſio exuſto, Ludouico gentis Principi, cuius operâ Haldeſlebium excisum fuerat, par pari redditum, cum Ludouico ipſo congreſſus viuum cum Hermanno fratre in poteſtatem adduxit. Ortâ mox inter ipſum & Adolphum Holſatium ſimultate, totâ eum Tranſalbianâ prouinciâ eiecit. Plunam vi, Sigebergam ſiti expugnauit, eique Lupol-

HALBERSTADII EXCIDIVM.

Arnold. Hiſt. Landgraf. Thuring.

THVRINGI MVLTATI.

dum BOIVM cum præſidio impoſuit. Hi tam felices ſucceſſus penè oblitterauerant acceptarum cladium memoriam; cùm repentè vulgatâ de Imperatoris in Saxoniam aduentu famâ, ingens rerum conuerſio, & nutantibus amicis, ruina etiam ſecuta eſt. Iuſtum è Boiis Sueuíſque exercitum Cæſar confecerat: quacunque ibat, auxiliares copiæ iungebantur, vt ante Lubecam vrbs nulla periculum facere virium aduerſus tantam vim ſit auſa. Sed neque Lubeca eam diutius ſuſtinuit, quàm ſucciſa auxiliorum ſpe, ipſa ſibi à Leone conſulere iuſſa eſt. Is Stadij vallo foſſáque ſe communierat, fugæ etiam ſubſidiis præuiſis, ſi ad extrema ventum eſſet: quibus omnibus denique diffiſus tentare Cæſaris clementiam ſtatuit, impetratóque commeatu ad eum Lunæburgum in caſtra contendit, Ludouico Thuringo & Hermanno fratre eius, quos ex cuſtodia dimiſerat, conciliatoribus gratiæ vſurus. vetus tamen ira & æmulorum ſtudia præpotuere. Erfordiæ demum in conſpectum admiſſus affusúſque Cæſaris pedibus, ſubeunte animum humanitatis

CÆSAR LEONEM BELLO ATTERIT.

CÆSAREM LEO MITIGAT.

tis

tis ſenſu, lacrymas ei & triſtem de iniquitate conditionis humanæ querimoniam expreſſit, quòd ſanguine animiſque coniunctiſſimi, bellorum triumphorúmque ſocij tam fœdo ſpectaculo, quo ſola paſci barbaries poſſit, totius Germaniæ oculis expoſiti haudquaquã eo, quo par erat, habitu in mutuos complexus venirent. ex æquo vtrumque eſſe infelicem; etſi Leo voluntate, ipſe neceſſitate in hoc amicitiæ præcipitium ſit impulſus. è quo ſi regreſſus detur, ſe quidem ad ſubleuandum calamitoſiorem vltro manus porrecturum. Eâ blandiloquentiâ Leo hactenus confirmatus eſt, vt crederet Fridericum non immortales neque implacabiles inimicitias gerere, & vtique poſt hæc nubila ſperare ſe ſolem poſſe: etſi paulo poſt pleno Senatu ea vox Cæſaris audita eſt, Amicum ſe Leoni nunquam fore, quamdiu Proceres habiturus eſſet inimicos; neque de eo reſtituendo, donec ita omnibus viſum eſſet, cogitaturum. Hîc denique Leo cõclamatum eſſe intelligens in Angliam exulatum abiit,

LEO DE CÆSARIS BENEVOLENTIA DESPERAT.

IN ANGLIAM EXVLAIVM ABIT. iit, ſponſione facta, triennio proximo, niſi iuſſu Cæſaris, pedem in Imperij Prouincias non illaturum. Anglus Generi calamitates miſeratus omnem exuli honorem habuit, vt, ſi cauſa abeſſet, optãdus illi fuerit tam otioſus fortunatæ Inſulæ remotúſque à bellis & tumultibus ſeceſſus. Secundus ſupra octogeſimum exilij Leonis primus fuit, idémque, refloreſcentibus in BOIARIA pietatis ſtudiis, commemorabilis; quæ quibus ſtimulis excitata ſint, operæ eſt cognoſcere. Ædem D. Ruperto ſacram incendio anni ſexageſimi ſexti deformatam Conradus Wittelſpachius inſtaurandam ſuſceperat. Præfecti fabrûm dum ſolicitè omnia oculis obeunt, ſolutam alicubi muri firmitatem, luxatis lapidibus, offendêre: rimantibus altiùs cauum non indiligenter concameratum occurrit, in eóque mortualis vrna effigie D. Virgilij, quod ex Epigraphe cognoſci potuit, inſignita. Lætitia ex eo ingens orta: magni illico concurſus facti beatas viri Exuuias quadringenteſimum iam annum in templo, quod ipſe ſtruxerat, conditas venerantium. Vnus

MCLXXXII.

D. VIRGILII LIPSANA REPERTA.

omnino

omnino è Canonicorum Collegio iuuenis ſtolidior an improbior incertum, reliquis ſacro horrore perfuſis, inſerere manum vrnæ auſus oſſa velut profana contrectauit, & malè ominantes cauillatus, pacem ſibi eſſe cum mortuis reſpondit, neque poſt prodigia quidem linguæ temperans. Nam per eoſdem dies longa partione penè exanimata puerpera, voto, diuinitus monita, ad vrnam nuncupato, & cereo ad ſui modum corporis eò tranſmiſſo enixa feliciter fuerat. Alia tormentis viſcerum; alia lippitudine liberata ſuam Diuo ſanitatem referebant in acceptis; coecus ab ortu infans eius beneficio lucem aſpexerat; creſcebátque quotidie cum fama anathematum aceruus, quorum muto præconio impudentia obtrectatoris confutaretur. Sed ille ad linguæ procacitatem atrociora etiam ſcelera adiunxerat, nihil veritus ſubmouere à tumulo ſupplices & votiuam ceram furto minuere. Cùm modum nullum faceret Diuûm contemptor, laruis infernalibus à iuſto Numine obiectus eſt. Ab iis in furorem actus oblatum ſibi

IMPIETAS LVCVLENTE VINDICATA.

MIRACVLA AD VRNAM PATRATA.

SACRILEGI AVSVS.

forte ſacri ærarij Cuſtodem fœdiſſimè laniauit; in ſeipſum immitiùs etiam ſæuiit, & nouacula per nudum graſſatus corpus omnes artus miſerabili carnificina conſauciauit; mox inſerto in laqueum, quo æs campanum mouetur, collo, de turris feneſtra ſaliit. Æditui retractum palpitantémque adhuc ad Virgilij tumulum abripiunt haud alibi manifeſtiùs inſanientem, ne, cui pœnas daret, neſciretur. Illic ſpumans, euerſis oculis & iactatis ſine lege brachiis, ardentes ſibi admoueri à Virgilio faces

Vis ss. LIPSANORVM.

confeſſus impiam manum profano ſacrorum oſſium attactu conſceleratam inuaſit mordicus, minatus, niſi illa exciſâ, nunquã ſe quieturum. Cùm deinde ex ſacrorum rituum formula, Dæmon, quo incitatum apparebat, excantaretur, negauit is vlla ſe carmina morari, neque niſi repræſentatis furtiuis cereis, diſceſſurum: quin etiam iure poſtliminij recepturum ſe mancipium ſuum, niſi virgis prælargè ſectus longa inſuper inediâ Virgilio ſatisfeciſſet. Vbi tandem verberatione expiatus ſenſus reliquos præter loquendi facultatem recepit,

Digitized by Google

pio, abnuebat nihilominus ob Virgilij contemptum furiis ſe agitatum fuiſſe; donec iterum deficiente anima conui-ctus erroris ſentire ſe vltorem Diuum claro & vocali teſtimonio confirmauit. In quo tamen ſibi non conſtitit, paulo pòſt ad veterem amentiam & caſtigata tam diris modis conuitia relapſus; quæ cùm ad ipſum tumulum effutiret, nouo afflatus fulmine eliſúſque iiſdem quibus antea incendiis deflagrauit non antè refocillatus, quàm ſeria pœnitudine impietatis concepta, æternæ ſe religione Diuo obligauit. Ab his initiis accenſa populi ſtudia ſunt, nunquam ſupplices ſuos fruſtrante Virgilio, vt beneficiorum eius totæ centuriæ relatæ in tabulas hodie legantur. Sub idem tempus etiam DD. Vitalis & Hartvvicus, quorum ille ſecundus, hic vigeſimus ſecundus à D. Ruperto numerantur Epiſcopi, inclareſcere prodigiis cœpere; quaſi parum Numini viſum eſſet, vnam ſalutis venam ægris mortalibus aperuiſſe: quæ ne vnius loci priuilegia cenſerentur, ſimile etiam Batauenſibus aſylum eſt datum: cùm XI. Kal. Maij ſub

Insanabilis malitia.

DD. Vitalis et Hartvvicus ep. Salisb. prodigiis celebres.

Passavium ardet.

Digitized by Google

meridiem ortum incendium D. Stephani Ædem omnémq; viciniam fœdè deformaſſet, in ſolatium cladis D. Pilegrinus eius ſedis olim Epiſcopus exhilarare vrbem è tumulo inſtitit; cúmque promiſcuè medicinam omnibus faceret, erubuit grata ciuitas ſoſpitatorem ſuum habitantem inter rudera aſpicere, Ædémque eius multò quàm antea magnificentiùs reparauit. Idem ſtudium cùm Albertus Friſingenſis in exornanda Baſilica, quam primo dignitatis eius anno arſiſſe diximus, poneret, ij quibus buſti repurgandi negotium dederat, incomparabilem theſaurum Alexandri Pontificis & Martyris, Iuſtini & Nonnoſi Confeſſorum oſſa detexere; quæ cùm ab Hittone Epiſcopo olim Româ tranſlata ſatis conſtaret, vulgò tamen conditoria eorum ignorabantur. Sed tunc ipſi ſe Diui vſitatis cæleſtis munificentiæ argumentis prodidêre, quibus eorum nomen ſanctum populis factum & memoria æternitati conſecrata eſt. Ita ſub idem ferè tempus tres Pontificiæ vrbes ſingulari fauore Cælitum ius Aſyli adeptæ ſunt, quò preſſa malis ſuis

D. Pilegrinus miranda patrat.

Friſingenſes reliquiæ detectæ.

morta-

mortalitas confugeret, ſciretque BOIARIA præſentes habere ſe Diuos, & tam ſecundis Wittelſpachiani Principatus admonita initiis, læta ſibi, imperante hoc ſanguine, ſæcula promitteret; cùm principiis cælum tam familiariter applauderet, & tellus tales opes proferret in lucem, multò quidem æſtimatiores, quàm cùm montium ſinus auro argentóque fœcundos humanæ auaritiæ in prædam obiicit; quales in Alpibus Noricis, Schvvatzij præſertim ad Oenum hodiéque videmus excauatos improbo labore, & inciſis venis propè ad ſterilitatem redactos. Ii circa hæc tempora cum prouincia Alpina, quæ inde ad Italiæ vſque fines porrigitur, eiúſque bona, mitiore iam cælo ſolóque feraciore, participat, ab imperio & ditione BOIARIÆ Principum exempti proprios Toparchas accepere. Fridericus ſiue Principum Germaniæ ipſis iam Imperatoribus metuendam potẽtiam imminuere, ſiue Imperij corpus pluribus firmare neruis voluit, præfectos limitaneos, Marchiones vulgò dictos, qui ſummis Principibus obnoxij, cum

Hund. ex Putſchio. Auentinus.

TIROLIS à BOIORVM IMPERIO AVELLITVR.

Digitized by Google

MARCHIONES PRINCIPIBVS ÆQVATI.

quanta iis viſum eſſet poteſtate in prouincias mittebantur, eorundémque arbitrio reuocabantur, Cæſarum poſthac non Principum beneficiarios eſſe iuſſit, pro imperio precario ſtatum iis & ad hæredes tranſiturum indulſit, & maiore nominum quàm Iurium differentiâ, Principibus eos exæquauit. Eam tam inſignem rerum conuerſionem ne vſitati ſequerentur motus, opportunè Henrici Leonis exauthoratio incidit; quo ampliſſimis Germaniæ Prouinciis BOIARIÂ Saxoniáque decedente, promptum fuit Imperatori in vacuam poſſeſſionem ingreſſo nouam rebus formam dare, exuberantem potentiam, ſub obtentu quietis boníque publici carpere, & reducere ad æquabilitatem. Ergo cùm Orientalis Limitis ſiue Auſtriæ Præfecturam iam nuper Ducatûs titulo auxiſſet, illi quoque, quæ Meridiem ſpectat, Leone proſcripto, eadem inſignia contulit, & Bertholdum, quem Quartum inter Andecenſes plerique numerant, Meraniæ Ducem ſalutauit. Goricienſes & Tirolenſes Comites Meranenſi confines, multo quàm antea amplio-

BERTHOLDVS ANDECENSIS MERANIÆ DVX FACTVS.

Digitized by Google

ampliore liberioréque iure vti permiſit: donec Meranenſibus & Tirolenſibus extinctis, ſub Menhardi Goricienſis imperium omnia reciderunt, & vna Tirolis nomenclatio Prouinciam vniuerſam complexa eſt. Iam Ottocarum, qui etiam ipſe Marchionis appellatione contentus Tauriſcis ſiue Stiriis ius dicebat, *mutato antiquitatis nomine*, vti veteres Annales loquuntur, nouo Ducis condecorauit. Ratisbonam adeò Boiorvm Principum Regiam ſolutam legibus Imperio aſſeruit; vtique non refragante Ottone, quòd aduerſus Cæſarem niti luculento ab eo beneficio deuinctus erubeſceret, & multis exemplis compertum eſſet, neminem vnquam igneum Friderici ingenium impunè irritaſſe. Acceſſit etiam cita mors Ottonem Boiaria diu potiri non paſſa, tertio dignitatis anno, qui tertius ſupra octogeſimum fuit, rebus humanis exceſſit, cùm paulò antè Dachauienſem toparchiam, gentis illius Proceribus præter Arnulphum mortuis, decem auri *Marcarum* & octingentarum argenti li-

Ottocarvs Styrvs ex Marchione dvx. *Chron. Augvſt.*

Ratisbona fit vrbs avgvstalis.

Ott. Wittelsp. moritvr. MCLXXXIII.

ti librarum pretio emiſſet. Exequias *illi* præter fratres ſuos Fridericum & Philippum Cæſaris Filios iuiſſe, Schirenſium, qui eum tumularunt, Annalibus traditur. Filium ex Agnete Halenſi & Waſſerburgia Heroide Ludouicum ſuſtulit, qui ſub Patruorum tutela hæres paternæ dignitatis eſt inſtitutus.

LVDOVICVS F. OTTONI SVCCEDIT.

LVDOVICVS IV. OTTONIS M. F. DVX BOIARIÆ.

IV.

CONR. SALISB. MOGVNTIAM REDIT. *Stero. Chron. Reicherſp. Conrad. Chron Mogunt.&c.*

Paulo pòſt Conradus Ottonis frater Saliſburgenſem Cathedram cum Moguntinâ, quam olim inſederat, Chriſtiano in Italia decedente, permutauit. Non aliter quàm ſi cælo lapſus fuiſſet, exceptum à Ciuibus ſuis eius Vrbis Annales teſtantur, itúmque obuiam *velut Angelo Dei*; quæ vtique pompa humanis honoribus amplior eſt. Bellum illi, antequam BOICAM deſereret, cum Hermanno Ortenburgio fuit, qui auctoritate eius neglecta ad Gurcenſem mitram aſpirarat, iam Theodorico Collegij Saliſburgenſis Præpoſito decretam. Ergo ad arma ventum, & Hermannus

BELLVM EIVS CVM HERM: ORTENBVRGIO. *Auent. & Hund.*

Straſ-

Strasburgi in Norico obſeſſus eſt, Petro Bono Pontificis Legato fruſtra ad arbitrium ſuum litem reuocante. Pax tandem ſummis vtriuſque ordinis viris conciliatoribus ſancita: Hermannus dignitate & arce ceſſit; hæc poſtea in cineres abiit. Conrado Moguntiam reuerſo, etiam Adalbertus Bohemus reuocatus, & XIII. Kal. Decemb. Cæſare non inuito, in ſedem, qua nullo ſuo merito exciderat, impoſitus eſt, Henrico Berchteſgadenſi eius olim æmulo in Pontificatu Brixinenſi, quem abdicante Richero adierat, acquieſcente. Conradum Moguntiæ bellum excepit à Ludouico Thuringo conflatum geſtúmque mutuis cladibus. Cæſar diem vtrique Erfordiæ dixit. VII. Kal. Auguſti ſenatus iis loco amplo ſed malè materiato datus; qui prægrauante hominum multitudine fatiſcens in ſubiectam cloacam centum & amplius mortales effudit. Suffocati cœno ſunt Fridericus Altenburgius vel Abinbergius, Gozmannus Zigenheimius, Fridericus Kirchbergius, Burkardus Wartbergenſis, quíque belli fax fuerat Henricus Schvvarzenburgius;

ADALBERTVS SALISB. MITRAM RECVPERAT.

CONR. CVM THVRINGO COLLIDITVR.

Anon. Erphord. Siffrid. Godefr. Alb. Stad.

MISERABILIS CASVS.

burgius; quem, quoties deieraret, deuouiſſe caput ſuum foricis ferunt. Ludouicus Thuringus ægrè ſe è ſordibus extricauit. Imperator ad primum ruinæ fragorem cancellis feneſtræ apprehenſis perniciem vltimam pendulus euitauit. Nihilo leuius diſcrimen proximus ei annus obiecit in Moguntinis Comitiis, quibus Henricum & Fridericum FF. ex Ephebis egreſſos donare baltheo conſtituerat. Proceres & equeſtris ordinis florem vrbs non cepit, vt neceſſariò in campos emigrandum fuerit. Illic ſubitariæ moles ad elegantiam magis quàm firmitatem, extemporali ſtudio, eductæ hoſpites accepere. palæſtram ambitionis diceres & humani faſtus theatrum, in quod omnium Prouinciarum & priuatæ ſingulorum opes, ad oſtentandam Imperij maieſtatem, confluxiſſent. Offenſum pompæ intemperantiâ Numen cordati credidere. ipſo Pentecoſtes peruigilio ſpirans ab Occidente ventus continentem Regiæ Baſilicam, ſcenáſque ſparſim plures momento ſubuertit, incolis etiam inuolutis eliſíſque. id variè, vt cuique animus fuit

CÆSARIS PERICVLVM.

MCLXXXIV. *Godefr. Otto Sanblaſian.*

RVINA EXTEMPORALIS REGIÆ.

fuit, à coniectoribus acceptum, quaſi verò prodigiis accenſendum eſſet, Diuini oris Spiritu inſoleſcentis ſuperbiæ bullas difflatas fuiſſe. Cæſar inde in Italiam profectus Veronæ Lucium Pontificem adorauit, cùm paulo antè Regis Angliæ Legati, quorum princeps Hugo Nunantius Lexouienſis Archidiaconus fuit, eodem acceſſiſſent. Eos Rex Generi ſui Henrici Leonis vicem ſolicitus ex conſilio Philippi Colonienſis ad Pontificem miſerat, vt is auctoritate nominis ſui interpoſita, Leonem Friderici odio paritérque proſcriptione eximeret. Lucius rem ex ſententia confecit, & Fridericum ad reuocandum exulem induxit. Sub idem tempus Friſinga Albertum Antiſtitem ſuum fato amiſit, quod alij anno integro præcipiunt. Inter plurimas eius viri laudes illam vt ſaluberrimi exempli ſileri nefas eſt, quam egregiè collocatis opibus meruit, vnico hærede Deo gloriatus. Amicos nec in vltima cera nominauit, verè exiſtimans ærario Chriſti pauperes rectiùs paſci, quàm opulentos ſaginari; & peculiarem Epiſcoporum familiam eſſe tribum mendicorum.

Rogerius.

LEGATIO IN H. LEONIS CAVSA AD PONT. MISSA.

Stero.

ALB. FRIS. EPS ECCLESIAM HÆREDEM EX ASSE FACIT.

corum. Succeſſit optimo Principi Otto II. non abſimili virtute; qui quòd Giſala Dieſſenſi natus ſit, illi genti vulgò aſſeritur, cùm Bergenſis Comes fuerit trium Batauenſium Epiſcoporum Henrici, Theobaldi, Manegoldi frater.

MCLXXXV. Episc. Ratisbon. Anno ſupra octogeſimum quinto etiam Chuno Ratiſbonenſis obiit, ſucceſſorem Godefridum, qui Cæſari ab Epiſtolis fuit, nactus. Eius nomen, quòd Electionem ratam non habuerit, vel loco mox ceſſerit, pleriſque Annalibus præteritur, & Chunoni Conradus Laichlingius rectà ſubjicitur, proximo anno, vel, vt Stero vult, poſt biennium demum, VIII. Kalend. Mart. ab Adelberto Saliſburgenſi, quatuordecim Epiſcopis adſtantibus, mitra exornatus. Sed nos ad priorem annum eundémque Cunoni vltimum regredimur; quo haud obſcura ſimultatum Pontificem inter & Cæſarem initia, velut fulgetra ex atra nube emicantia, metu nouæ tempeſtatis bonos omnes impleuere. Poſtulando viciſſim expoſtulandóque, quæ neuter alteri gratificaturus erat, ſementem iecere diſcordiæ. Cæſar nonnullis

Arnold. l. 3. c. 10.

Semina simultatum inter Cæs. et Pont.

nullis vitio creatis Pontificibus addictior pro illorum reſtitutione ſatagebat, haud inuitiſſimo primùm Pontifice, ſed Conradi Wittelſpachij auctoritate, quæ multorũ ſuſpicio fuit, mox de ſententia deducto. Ea prima repulſa fuit, tanto acerbior Cæſari, quanto certiores ſpes euertit; quas cùm lætis antea carminibus illi ipſi ſacrificuli, quorum cauſam tuebatur, fouiſſent, nihil deinde niſi funeſtum inauſpicatúmque ad aras vlularunt, mera inuidiæ conflandæ incantamenta. Acrior etiam de dotali Mathildis agro, quem vterque ſibi vendicabat, altercatio fuit. tabulæ tabulis oppoſitæ, nullo alio operæ pretio, quàm vt de litis fine deſperaretur. Nimium quantum iam diſſidentes ambitio Treuirenſium Candidatorum Rudolphi & Volcmari, qui Mitræ æquali cupiditate imminebant, penitus diſtraxit. Huius cauſa liquidior erat; ille fauore Cæſaris nitebatur; cuius ſuffragationem Pontifex inſuper habuit, & diſceptare vtrumque apud ſe iure iuſſit. Lite ampliatâ Cæſar nihilominus pro Rudolpho apertè niti; Henricus eius filius

Lis de patrimonio Mathildis.

Contentio pro Mitra Treuirenſi.

Mm etiam

etiam vi; malè multatis iis, qui Volc-
mari partes ſequebantur. quibus de re-
bus certior factus Pontifex palàm præ-
ſe ferebat, Volcmarum ſeſe inaugura-
turum; Friderico viciſſim, ſi in ſenten-
tia perſtitiſſet, apertas illi inimicitias
denuncians; quas Lucius hoc anno
morte declinauit, non extinxit in Vrba-
num denique ſucceſſorem erupturas.
Maiora quàm pro cauſa ex duorum
hominum ambitione nata Germaniæ
incommoda; quòd obſeſſis omnibus,
quæ in Italiam ferrent, itineribus, via-
tores pariter ſacrinæque excuterentur,
& literarum commercium inſidiis in-
terceptum eſſet. Ea tam ſuſpicioſa Cæ-
ſaris diligentia ingenti miraculo viam,
MCLXXXVI. ſequenti anno, aperuit; quod in vicinia
Cæſarius l. 1. c. 40. Boicæ geſtum in hoc diuerticulum ve-
lut hoſpitij iure trahetur. Colonienſis
INAUDITUM DIVINÆ PROVIDENTIÆ EXEMPLUM. Canonicus cùm à Philippo Epiſcopo
in ſimili ferè negotio diſſideret, quòd
hic Neptem, ille ſororem ſuam Parthe-
noni præfectam vellet, eadem opera ge-
minam cauſam acturus & ſorori priua-
to ac ſuo, Volcmaro verò Collegij Co-
lonienſis nomine patrocinaturus iter

ad

ad Pontificem in Italiam intendit, vnico comite adſcito, qui cauato ſcipione literas, nullo ſuſpicionis argumento, ferret. Is iam olim ſexum habitu & nomine diſſimulans, pro Hildegunde Ioſephum ſe ferebat, patris conſilio, qui Palæſtinam cogitans filiam eo fuco excultam minore periculo credidit ſecuturam; quod tamen Ioſepho etiam ſic perſonato multiplex obtigit. Patre enim præmaturè ad Portum Ptolemaidis extincto, ſerui perfidia ſpoliatus deſertúſque Hieroſolymam tamen attigit, incoluítque non minus anno; donec agnitum paternus amicus Coloniam reduxit & in Canonici, quem deſcripſi, familiam inſeruit. Ab eo ob linguarum peritiam in pretio habitus factúſque conſcius arcani tutelam literarum accepit. Haud procul Auguſtâ, vt exploratores fallerent, diſſociatis progredi placuit. Ad Ioſephum in vicino nemore fur ſe applicat, expilatæ nocturno ſcelere domûs ſpolia deferens. hic Zuſmarhuſianos ciues, quos compilârat, imminentes ſibi procul conſpicatus, peram prædatoriam Ioſepho, cui

HILDEGVNDIS VIRGINIS MIRANDI ERRORES CASVSQ.

NOCENS INNOCENTI PERICVLVM CREAT.

Digitized by Google

de comitis ingenio nihildum ſubolue-rat, commendat, & morari ſeſe mo-mento regreſſurum iubet. ipſe, quà den-ſiſſimas ſylua latebras promittebat, ab-ditus, eluſis veſtigatoribus Ioſephum velut ſuccedaneam victimam obiicit: hic manticæ indicio pro fure manife-ſtario comprehenſus fruſtra Diuos ho-minéſque inclamans ad mortem abri-pitur, ægrè impetratâ expiandi animi copiâ. Sacerdos, cui ſeſe aperuit, ſuſce-ptâ eius liberandi curâ, pronunciat Io-ſephum innocentem videri & flagitium in auctorem ſuum vindicandum. Inue-ſtigatum ergo protractúmque cum Io-ſepho componunt, mirâ frontis oríſ-que fiduciâ negantem omnia pernegan-témque, elapſurúmque iudicio, niſi ad ferrum candens prouocatum fuiſſet. Id innoxiè tractatum Ioſephum abſoluit. piceatæ manus vim ignis non tulére. eo argumento inficiator conuictus & in-furcam actus eſt. Eius propinqui probri impatientiâ incitati detractum ex infe-lici arbore ſepeliunt; Ioſephum repre-henſum ex itinere eodem ſuffigunt. neque tamen pendulo defuit Deus, ſub-

INNOCENTIÆ PRIVILEGIVM.

CVRÆ DEO INNOCENTIA.

ſubmiſſis Cælitibus, qui ſua prægrauandum mole ſubleuarent, & crucem modulato carmine temperarent, quod Agnetis ſororis ſuæ cælum eadem hora ingreſſæ epinicion eſſe intellexit. Iniecta eſt ſub idem tempus opilionibus vicinis mens eiuſdem velut olim exanimis tumulo inferendi; ſed ſimul ac corpus terram contigit, luporum in gregem graſſantium incurſu ad ſua tutanda reuocati inſertum adhuc laqueo deſtituere. Abſoluerunt tamen cæleſtes Genij officium pietatis, laxatíſque faucibus recreatum impoſitúmque equo, Veronam, quo herus iam præceſſerat, tranſportarunt. is innocentiæ tanto miraculo defenſæ gratulatus multo impenſiùs coluit adeò familiarem Diuis. Sed Ioſephus in Germaniam reuerſus ab eo digreditur, receptúſque Schönaugiæ in Virorum Monaſterium cum iis propè biennium virtute certauit. ſub mortem Moderatori conſcientiæ actæ vitæ fabulam recitauit, celato tamen etiam tum ſtudioſè ſexu. Fidem tot prodigiis ægrè adhibenti nonnulla in futurum prænunciat, non aliter ſibi cre-

ANGELORVM IN SVVM CLIENTEM BENEVOLENTIA.

 di po-

di poſtulans, quàm ſi euentus dictis reſpondiſſet. Poſtquam oracula illius dies aperuit, omnis exempta dubitatio eſt: vtique poſtquam ſuper cætera miracula mors ſexum illius detexit. Nos nihilominus vt de viro locuti ſumus maſculam virtutem in viragine venerati, quâ meruiſſe exiſtimes, vt talis naſceretur, qualis voluit videri. Iam Henricus Leo ab exilio Brunoniſ uicum redierat, non maximis circumſcriptam finibus potentiam virtute ſuſtentans, & nonnulla ſpe, quam Cæſar illi ſubinde per literas oſtendebat, parum tamen Germanæ fide; quòd cum etiam proſtratum timeret, & aduerſa, quæcunque incidiſſent, illi referret accepta, multo veriores cauſas, niſi ſe amaret, in ſinu ſuo reperturus, in quas illi Vrbanus Pontif. digitum intendit, cùm malè vſurpata Mathildis bona ab eo repeteret; cùm ſciſcitaretur, quo iure Epiſcoporum Germaniæ hæreditates adiret? cur Chriſti patrimonium fiſcus deuoraret? cur præfecturas & Magiſteria ſacrarum Virginum tolleret, & conceſſis honoribus Parthenones ſpoliaret? Hæc aliáque moris iuxtà

Arnold. Chron. Slau. c. 12. & 16. &c.

LEO AB EXILIO REDVX.

FRIDERICI CRIMINA.

exemplíque illaudati facinora cùm Numinis ſubinde manu vindicarentur aut Pontificis cenſuram incurrerent, credi tamen Fridericus voluit extra noxam eſſe ſe, & propter Leonem vapulare. Proinde vt quæ ſibi vitio dari intelligebat, Iuris æquitatíſque colore oblineret, Geilenhuſianis comitiis diſceptandam Pontificibus integram cauſam dedit, vno Philippo Colonienſi, cuius præiudicio iam labefactatus fuerat, exceſſe iuſſo. Cùm diu pro ſe peroraſſet, Conradus Wittelſpachius primus ſententiam rogatus ita breuiter eſt locutus: Si, quàm grata ſummis Principibus Seruatoris vox eſt, quâ reddi ſua Cæſaribus iura imperat, tam planum etiam foret, quibus ea limitibus definita ſit, neque nunc arbitros tu requireres, & ſuperiora etiam tempora ſine bellis fuiſſent. Quis enim tam impatiens quietis vnquam fuit, vt aliâ vllâ ad ſtringendum ferrum causâ, quàm Iuris ſui tuendi neceſſitate impulſum ſe credi vellet? litibus etiam forenſibus, quibus omnia tribunalia ardent, quid præter ius quæri cauſidici clamant? adeò quidem vt hæc

Cæs cavsa in comitiis dispvtata.

Conradi Wittelspach. oratio.

„ vna vox eâdem contentione ab actore
„ & reo vſurpetur,& patrocinari toto cæ-
„ lo diſſidentibus vel inuita cogatur. Sed
ad minutas & quotidianas lites non ex-
„ palleſcit prætor. inter ſumma orbis ca-
„ pita non niſi de ſummo iure diſcepta-
„ tur,& difficilis in vtramuis partem iudi-
„ catio eſt. Nimirum ego Romani Ponti-
„ ficis, quem à dicenda cauſa eximium
„ Deus fecit,iudex aſſidebo; aut adeò et-
„ iam accuſator eum ex iure manu con-
„ ſertum vocabo, qui me arcere cælo po-
„ teſt; quem ſi iratum habeam,non auſim
„ mihi propitium Numen polliceri? Tu
quoque Cæſar etſi vltro in litem Iudi-
„ ces poſcis, eoſdem tamen clientes tuos
„ vides magníſque tibi beneficiis obno-
„ xios, vt iudicii formam neque in liqui-
„ diſſima cauſa probare poſſis. Mihi cum
„ Romano Pontifice vi agere impium;iu-
„ re diſceptare periculoſum; certare mo-
„ deſtiâ pulcherrimum ſemper eſt viſum.
„ Hoc filiis aduerſum patrem relictum.
„ preces obteſtationéſque arma ſunt pie-
„ tatis, neque inualida tamen, vtiq; cùm
„ illis admouentur, qui aliter nolunt ne-
„ que poſſunt vinci. Ergo ſcribendum
Ponti-

Pontifici cenſeo, vt ipſe Iuris omnis di- "
uini humaniq́ue cuſtos tibi ſibiq́ue ius "
dicat. nos, quibus vti arbitris optaſti, "
ſupplicum aut certè Aduocatorum "
perſonam rectiùs ſuſtinebimus. In hanc "
Wittelſpachij ſententiam pedibus eſt
itum, & publico Epiſcoporum nomine
confectæ literæ, eo temperamento, vt
conſilium precibus miſcerent, & par-
tim æquitate poſtulatorum Friderici,
partim humanitate Pontificis niteren-
tur. Nihil minus expectabat Pontifex, INGRATA PONTIFICI EPISCOPORVM INTERCESSIO.
quàm Epiſcoporum Germaniæ Inter-
ceſſionem; cùm eorum potiſſimùm in-
tereſſet, Fridericum voto ſuo excidere.
Igitur non modò conſtantiam in illis,
ſed prudentiam etiam requirebat; quòd
tempori potiùs quàm commodis ſuis
ſeruirent. ipſe nihil motus in ſententia
perſtitit; parato etiam in Cæſaris caput
fulmine armatus, quod Veronenſium
preces, & ſubſecuta ſequenti anno mors MCLXXXVII.
ei eripuerunt. Eius anni ieiunium ver- *Stero.*
num & Paſcha Fridericus Ratiſbonæ *Godefr.*
egit, BOIARIÆ Proceribus omnibus & COMITIA RATISBONENSIA.
Epiſcopis ſeptendecim conſilij cauſa
Regiam frequentantibus. quo tempore

Ottocarus Stiriæ Dux Elephantiaſi fœdatus & inſuper etiam improlis Principatu ſe abdicauit, & Leopoldum Auſtrium propinquitatis ergo hæredem inſtituit; eóque pacto Varnpachium & Schärdinga, quæque alia Ecberti ad Mediolani mœnia occiſi morte ad Stirum peruenerant, Auſtriaci Iuris eſſe cœpere. Leopoldus Schärdingam, captus loci opportunitate, muniuit & frequenter incoluit, olim BOIARIÆ, vti ſuo loco dicetur, contribuendam.

STIRIA AD AVSTRIOS DEVOLVTA.

V.

CLADES IN PALÆSTINA ACCEPTÆ.

Arnold. l. 3. c. 25.
Godefr.
Otto de S. Blaſ.
Paul. Æmilius &c.
Hodœporicon.
Frid. Imp.
Tageno. &c.

SALADINVS CHRISTIANITATIS HOSTIS.

Nunc à domeſticæ quietis contemplatione & vſura, in publicas calamitates extrudimur, quas Orienti proprias Occidens pietate miſerationéque ſuas fecit. Hic enim ille infelix annus eſt, qui Chriſtianum orbem nobiliſſimæ hæreditatis, quam vndenonageſimo abhinc anno adierat, poſſeſſione expulit, & ſanctiſſima diuinitatis pignora æternam Crucem & glorioſum Chriſti Sepulchrum noſtris manibus extorſit. Saladinus iis potitus eſt noſtris magis vitiis quam ſuâ virtute inuictus. Sibylla Balduinorum, qui proximè Hieroſolymis imperarant, hæres, vtpote alterius ſoror,

ror, alterius mater. Vidoni Luſiniano coronam impoſuit, fremente Raymundo Tripolitano, qui Balduino poſteriori tutor datus regni adminiſtrationem in plures annos, &, ſi Regem fata occupaſſent, regnum ipſum deberi ſibi teſtamento ferebat. minore tamen damno odia cum Vidone, quàm amicitiam exercuit: quòd illa iniquum animum facilè proderent; hæc, quia doctè ſimulabatur, falleret incautos. Igitur illius maximè perfidiâ IV. Nonas Iulij ad Tiberiadem clades ingens accepta; multi mortales & milites Sancti Templi plerique occidione occiſi: Crux, in qua omnes omnium piorum ſpes ſitæ fuerant, ſpolium facta: neque deinceps, illâ amiſsâ, quidquam impenetrabile Barbaro fuit. Continuatus eodem tenore victoriæ curſus, donec ſacroſancta vrbs VI. Nonas Octob. ipſa quoque iugum accepit. Heraclius Cæſar Crucem de Perſis receperat; Heraclio Patriarcha iterum amiſſa eſt. Vrbano II. Pontif. Max. Hieroſolyma ſeruitute barbara liberata; Vrbano III. eadem oppreſſa eſt. Vrbanus ipſe æger ob id animi in paucis die-

ORIGO CLADIVM.

CRVX à BARBARIS CAPTA.

Digitized by Google

diebus viuere deſiit. Neque Gregorio, qui ſucceſſit, bimeſtre imperium obtigit. tempore tamen rectè vſus mox claſſicum cecinit Sacri belli; quod quà ad nos pertinet, dabimus. Argentinæ primùm Pontificij Legati auditi ſunt ſurdis auribus, vnico, quod mireris, nomen dante. eam inertiam vrbis Antiſtes graui oratione ſugillauit, cuius ea vis fuit, vt certatim nobiliſſimus quiſque auctoraretur. Altera Moguntiæ v I. Kal. Aprilis comitia habita; quibus IESV nomen à cauſa Fridericus impoſuit, ibidémque cum cognomine Filio Sueuorum Principe Cruce inſignitus maximam nobilitatis Germanicæ partem exemplo ſuo accendit. Pauciorum tamen, quàm rei magnitudo poſtulabat, nomina in cenſum venere. Principes ex iis ſunt Bertholdus Andecenſis Meraniæ Dux, Hermannus Badenſis, Otto Burgundiæ, Bertholdus Zäringiæ, Adalbertus Habſpurgi Toparchæ. Ex ſacris Antiſtitibus, Herbipolenſis, Tarantaſianus, Veſontionenſis, Monaſterienſis, Oſnaburgenſis, Meiſnenſis, Baſileenſis, & ex noſtris Dietboldus Batauenſis cum

EXPEDITIO NOVA HIEROSOLYMITANA.

MCLXXXVIII.

COMITIA IESV.

PRINCIPES MILITIÆ ADSCRIPTI.

cum Conrado Ratiſbonenſi. Nullius nomen receptum, niſi qui eques ſuo ære militare biennio poſſet. honorariam eam militiam eſſe Cæſar voluit, non mercenariam. vt ſanctam etiam efficeret, mulieres caſtris proſcriptæ. Reliquum anni miles in apparatu; Cæſar in ordinanda Repub. inſumpſit; Goslariæ Henrico Leoni diem dixit, eúmque, nequid abſente ſe turbaret, pactionibus aſtrinxit. Tres illi conditiones propoſitæ, data optione legendi; ſiue dignitatis, quam repetebat imminutionem, ſiue voluntarium in tres annos exilium, ſiue denique ſocietatem belli maluiſſet. exilium, in quo gloriæ minus, plus libertatis erat habiturus, optauit, iterúmque in Angliam ſeceſſit; ſequenti mox anno, auctoribus Anglo & Dano, inde rediturus. Sub idem tempus Conradus Wittelſpachius Cæſaris nomine cum Vngariæ Rege de viis, per quas exercitui tranſeundum erat, muniendis, de comportandis commeatibus & annona militari tranſegit ex ſententia; Rege incentum equorum pabulum *marcas* ſingu-

CONDITIONES HENR. LEONI PROPOSITÆ.

CONRADVS WITTELSP: VIAM SACRO EXERCITVI PER VNGARIAM MVNIT.

ſingulas, & tantundem pro bubus quaternis paciſcente. Ad Saladinum ipſum Henricus, niſi coniectura fallit, Dieſſenſis, (nonnemo Dietzenſem, quódque longiùs abit, Diechenſem etiam appellat) fecialis miſſus eſt, bellum barbaro, niſi ablata reſtitueret, Iudæâ, Samariâ, & Palæſtinâ omni decederet, denunciaturus: Epiſtola plena militaris animi & fiduciæ adhuc extat, in qua cùm Imperij vires Tyranno Cæſar iactet, & in primâ acie Boios collocet, iuuat illius particulam audire. Tu quidem, inquit, ipsâ rerum experientiâ,

Godefrid. & Auctor Exped. t. 5. Canu.

BELLVM SALADINO DENVNCIATVM.

Apud Roger. & Matth. Pariſ.

„ Deo auctore, intelliges, quid noſtræ victrices Aquilæ poſſint; quid cohortes diuerſarum nationum; quid furor Teutonicus etiam in pace arma capeſſens; quid caput indomitum regni; quid Iuuentus, quæ nunquam fugam nouit; quid procerus BOIARIVS, quid Sueuus aſtutus, quid Francia circumſpecta, quid Anglia prouida & ingenioſa, quid Albania, quid Cimbria, quid in gladio ludens Saxonia, quid Thuringia, quid Weſtphalia, quid agilis Brabantia, quid neſcia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgun-

Burgundia, quid Alpini ſalices, quid " * nonnulli
Friſonia in armento præuolans, quid " ſalaces le-
Rhenia vltro mori gaudens, quid Boë " gunt.
mia ſuis feris ferior, quid Auſtria, quid "
Friſia, quid Rutenia, quid partes Illyricæ, "
quid Lombardia, quid Thuſcia, quid
Anconitana Marchia, quid Venetus Pi- "
rata, quid Piſanus Nauclerus, denique "
quid dextra noſtra, quam ſenio arguis "
effœtam, quæ gladios vibrare didicit, "
dies illa plena reuerentiæ & iucundita-
tis Chriſti triumpho præfixa te docebit. "
Saladinus nihil motus hoc diuerſarum Saladini
gentium ſyllabo, totam viciſſim iis A- fastvs.
ſiam obiecit ſuperbè proteſtatus, pacis
ſpem nullam ſuppetere, niſi Tyrus, Tri-
polis & Antiochia (quæ ſolæ imperio
Chriſtianorum tenebantur) ſibi redde-
rentur. Inuicem ſe captiuos cum Cruce
remiſſurum; vnius Myſtæ, qui ad Chri-
ſti Sepulchrum ſacrificet, copiam factu-
rum, neque aditu Palæſtinæ ſupplica-
bundos prohibiturum. Quanto fœdio-
ra poſtulata fuere, tanto ardentiùs ad
faſtum barbari retundendum pij incita-
bantur. Nono Kal. Aprilis copiæ Ratiſ- mclxxxix.
bonam confluxere ſpe exiliores, quòd Nvmervs copiarvm
multi, initivs.

Digitized by Google

multi, moræ impatientiâ, quà cuique libitum fuit, iter præcepiſſent. XXX non amplius millia Godefridus recenſet, vt multos pœnituiſſe propoſiti neceſſe ſit, ſi verè Stadenſis ſcripſit, ſexcenta millia nomen ſuum dediſſe. Per Auſtriam & Vngariam nihil militi ne ad voluptatem quidem defuit, niſi quòd cum impedimentis terra profecti Mutuſinam Danubianam vrbem offenſi oppidanorum auaritiâ vectigal importuniùs exigentium, funditus euerterunt. Ad Sauum flumen IV. Kal. Iulij luſtrato exercitu, centum quinquaginta hominum millia cenſa ſunt; neque deinceps, vt per infidas gentes, cuiquam permiſſum à ſignis diſcedere longiùs. Vngari & Bohemi velocibus equis & curſuræ aſſuetis prætentare itinera & explorare Græculorum molitiones iuſſi. Proximum locum Sueuiæ Meraniæque Ducum & Ratiſbonenſis Epiſcopi copiæ tenuere. Hos ex interuallo Herbipolenſis, Leodienſis & Baſileenſis Epiſcopi ſequebantur, Imperatore cum Prætorianis vltimum agmen claudente. Sed ne hac quidem curâ inſidiæ omnes euita-

RATIO ITINERIS AGMINISQ. ORDO.

euitatæ; quarum Architectus Dux Brunduſinus fuit, cuius maledicentia etiam Orientis Imperatorem corrupit & fœdifragum effecit. Decimo Kal. Aug. Nicæam ſubeuntibus Magnus Seruiæ Comes præſtò fuit, vexatóſque omni humanitate in ſextum vſque diem recreauit. Inde impediti ſaltus arctis faucibus extenuatum agmen & ob id opportunius inſidiis accepere; quibus Halſenſis Comes primæ in BOIARIÂ nobilitatis eſt occiſus. Ad alteras Pylas deiectu arborum ſaxorúmque obicibus ſeptas Prid. Non. Aug. acriter certatum eſt; impedimenta Batauenſis Epiſcopi & Meraniæ Ducis magnam partem direpta; quíque iis præſidio fuere, malè mulctati ſunt. Reliquis metu perculſis Dux præter Epiſcopum duodecim non amplius ſtipatoribus cinctus centum latrunculos, quos Toparchæ filij adduxerant, aggreſſus partim concidit, partim fugauit; multos caudis equarum alligatos in caſtra pecorum more, & mox in furcam egit. Paulò pòſt re in idem adducta diſcrimen cædis fugæque, Meranius Princeps vſurpatum ſæpè à ma-

MERANENSIS DVCIS ET PASSAV. EPIS. GLORIOSVM FACINVS.

Nn ximis

ximis Ducibus exemplum repetiit, raptúmque è ſigniferi manibus vexillum in medios iacturum ſe hoſtes minatus, iam præcipites ad fugam ſtitit, & ignauum metum generoſo altero accipiendi dedecoris expunxit. Dextrâ cruentum ferrum, læuâ vexillum præferens ſuóſque increpans vt deſertores, momento omnia reſtituit. Partam tamen eo facto Duci gloriam gregarij militis & quidem moribundi virtus obſcurauit. Eum pro conclamato ſocij inuicem ſuccollantes, portabant haud alia illi caſtra quàm tumulum metaturi. Is ſub primum tumultum excitatus barbarorum vlulatu & commilitonum vociferatione, fugientem animam in præcordia reuocans ex geſtatoria ſella ſe proripit, raptímque ſumptis armis hoſti ſe obiicit ſui incurius & morbi feliciter oblitus; pugnátque non ſuis viribus ſed velut mutuò à virtute acceptis; audaciùs inferentem ſe gladio occupat; reliquos reſtitantes in fugam auertit; perfunctúſque extemporali munere lecto ſe reddidit iterum, cùm per hoſtes & otium licuit, ægrotus. Sed & ille laude

MILITIS SAVCII MEMORABILIS PVGNA.

dignus,

dignus, qui cum impedimentis inter angustias deprehenſus & montibus in amphitheatri morem vndique aſſurgentibus pleníſque hoſtium circumuallatus, ſociis metu torpentibus & de fuga etiam deſperantibus auſus eſt victoriam polliceri. Pauculis, quibus animum ipſe dederat, ſecum aſſumptis, per ardua enititur, contempta ſaxorum grandine in ſubeuntes effuſa. vbi ad hoſtem peruenit, confertim irruentes animosè excipit, viámque ſibi ad Ducem vſque cædibus facit: eum poſt longam luctam amplexus medium ſupplantat neque ante deſerit, quàm in imam vnà deuolutus vallem ſociis miraculo attonitis ſuſpendendum ſiſteret, latrunculis aſpecto procul Ducis ſui infortunio toto monte cedentibus. XVII. Kal. Septemb. ad vltimas Bulgariæ fauces, quas Græcorum exercitu ſeruari percrebuerat, ventum eſt. iis non cohortes ſingulas, ſed quadripartitum agmen obiicere viſum. frontem iterum Fridericus Augusti F. cúmque Ratiſbonenſi Epiſcopo quatuor BOIARIÆ Comites tueri iuſſi. Proximus locus Vngaris Bohemíſque

INCREDIBILIS AVDACIÆ SED FORTVNATÆ EXEMPLVM.

RES ADVERSVS GRÆCOS GESTÆ.

decretus. Tertius Bertholdo Meranio, Batauenſi aliiſque Epiſcopis quatuor datus; vltimo Cæſar cum Epiſcopis duobus totidémque Comitibus Batauis fratribus germanis ſummi Duces

GRÆCI FVGATI.

præerant. Fridericus Minor cum quingentis cataphractis, equis etiam ferro & ære rigentibus prægreſſus radiantium fulgore armorum Græcos in fugam auertit negantes ſe cum gente ferrea, quæ nullum vulneri locum reliquerit, congreſſuros. idem terror etiam vrbibus illatus ipſam adeò Philippopolim

Nicetas l.2.

noſtris vacuefecit. Solus Orientis Imperator Iſaacius Angelus Doſithei fu-

FASTVS ISACII ANGELI IMP.

rioſi hominis vnâque felici coniecturâ vatis nomen & maximos cum eo honores adepti promiſſis inflatus Germaniæ vires habere contemptui, & aliis ſuper alia maleficiis irritare Friderici modeſtiam perſeuerauit. Nam & Legatos illius, iure gentium violato, vinculis oneratos peſſimis modis habuit, & ſuperbiſſimis ſubinde Epiſtolis non modò velut cum impare, ſed obnoxio etiam ſibi altercabatur, manu interim tela coruſcans, quæ in Germanorum pe-

ctore

Digitized by Google

ſtore ex ſublimi Blachernarum palatio eſſet defixurus. Protoſtratori etiam imperauit, ne quam noſtris clàm palámue nocendi omitteret opportunitatem. De cuius aduentu Fridericus Sueuiæ Dux admonitus rectà ad montem, vbi frumentatoribus inſidias locatas intellexerat, aduolauit, confertáque è veſtigio manu, Alanos omnes in prima acie pugnantes concidit, reliquos in fugam conuertit. Nicetas, qui prælio interfuit, Protoſtratorem ad primum Germanorum aſpectum ablatum veloci equo vix poſt tertium diem ad ſuos rediſſe, neque intra ſexageſimum ab Alemannis ſtadium poſthac comparere auſum memorat. Simili euentu Bertholdus Meranius Berrhoeæ rem geſſit. Explicauerant in ſuburbano aciem Græci velut copiam pugnæ facturi; ſed Boici equitatus fulgore perſtricti, patriæ rerúmque omnium immemores in vicinos dilapſi montes vrbem ſuam noſtris diripiendam reliquerunt. Henricus etiam Calatinæ familiæ, quæ Pappenhaimia hodie dicitur, Heros Scribention munitiſſimum oppidum edito monti impoſi-

FRIDERICI CÆS. FILII MAGNANIMITAS.

MERANIVS GRÆCOS FVGAT.

PAPPENHEMII EGREGIVM FACINVS.

tum primo aſſultu in poteſtatem redegit, cæteríſque eius prouinciæ documento fuit, ne periculum facere virium vellent. recepti tandem etiam legati, & quod hiẽs appeteret, dimiſſæ in hyberna copiæ ſunt. Imperator ſuos Adrianopoli x. Kal. Decembr. collocauit; quo tempore eius filius Didimotychon, & Ratiſbonenſis Probaton nobiles vrbes & commeatu abundantiſſimè inſtructas vi cepere. Appetente vere Meranius Dux Philippopolim Cæſaris iuſſu cum trecentis profectus, de pauculorum cæde ex inſidiis facta admonitus nihil antiquius habuit latrocinij vltione; inuectúſque in hoſtium ſtationes & trecentis primo impetu oppreſſis iræ ſuæ fortibúſque ſociis egregiè parentauit, & Philippopoli diruta vniuerſas copias Adrianopolim traduxit. Eæ, pace tandem cum Iſaacio ſancitâ, ad Calliopolim hippagogis mille quingentis, roſtratis nauibus viginti ſeptem, x. VII. & v. Kal. Aprilis Helleſpontum incolumes traiecere. Improbi laboris neque valde accepti in vulgus ſit, omnia itineris Aſiatici incommoda colligere, quáſ-

MERANIVS DVX PHILIPPOPOLIM EXSCINDIT.

RES IN ASIA GESTÆ.

quáſque Tageno Batauenſis Decurio, qui rebus præſens interfuit, confecit ephemerides, huc tranſcribere, niſi cùm veſtigia legentibus inſignitum magna virtute aut memorabili fortuna monumentum in oculos incurrerit; quale ſub Nonas Apriles non procul ab Auelonica flumine vir egregiè fortis Vlmâ Sueuorum oriundus ſtatuit Fortitudini & Pietati fraternæ ſacrum. Fortè in germani fratris cadauer inciderat, & vtcunque Græcæ crudelitatis notis deformatum ex priſtini habitûs lineamentis agnouit; neque contentus infudiſſe lacrymis & terra cooperuiſſe, ea demum iuſta funebria credidit, ſi impiam cædem vindicaſſet; raptímque contracto ſociorum decem manipulo ad inueſtigandos latrones excurrit. in inſulam refugerant perpetua palude circumfuſam & præterquam natantibus inacceſſam; quod vt periculi temeritatíſque plenum auerſati commilitones recipere ſe ad caſtra cœperant, Vlmenſi etiam auctores, ne inutili furore in perniciem ſuam rueret fratrem non vindicaturus ſed ſecuturus. Nihil

VLMENSIS MILITIS INCOMPARABILIS AVDACIA.

Digitized by Google

ea dicta potuere. obteſtatus ipſe viciſſim eſt, ſpectatores ſaltem funebrium ludorum aſſiſterent, quos fratri eſſet daturus; & quoquo verſum cogitata reciderent, teſtes redirent in patriam ſuæ pietatis. cum dicto in aquas inſiliens tranauit ad hoſtes. Decem erant numero, quos ipſe latrones iam ex palude ingeminans ſtringere paricidiale ferrum iuſſit fratris ſui ſanguine imbutum;

VNVS DENIS CONGRESSVS, ET VICTOR.

emerſúſque tandem cœno & vligine obſitus, atque ob id ipſum horridior in globum furum irruit, & vnâ contra tot manus dexterâ in omnem partem fulminat, nullóque, vt inter confertos, fallente ictu, breui nouem ante ſe cadauera vidit. decimus per paludem elapſus cum aquis luctari maluit, quàm cum inuictâ & poſt tot cædes indefeſſa manu; cuius facinora totis vulgata caſtris fidem niſi tot innixa teſtibus non repeririſſent. Pudori Dynaſtis fuit, à gregariis militibus tam luculenta ſtatui trophæa, ſua nulla conſpici.

PROCERVM VIRTVS.

Vdalricus maximè Kiburgius & Fridericus Bergenſis Theobaldi Batauenſis ſiue frater ſiue propinquus accenſi æmulatione omnia

penè

penè montium latibula, per quos ad Thyatiram iter eſt, excuſſere, repreſſáque latronum audaciâ tutum exercitui iter reddidere. Eandem venationem Conradus Comes Dornbergius BOIVS gente feliciter exercuit, conſpicatúſq; latronum in amœna valle tentoria, cum globo equitum eodem inuectus cœnantes oppreſſit. noti calles iis ſaluti fuerunt: equi & collecta rapto ſpolia, auri argentíque ingens vis in prædam ceſſerunt. XI. Kal. Maij in campos Philadelphiæ ventum; vbi frumentatorum impotentiâ in ſegetes inuolantium tumultus eſt ortus; ciuibus ſua tuentibus & à verborum aſperitate ad arma progreſſis. Cædes vtrinque facta eſt, ſed oppidanis quàm noſtris damnoſior. Præfectus vrbis ſacramento multóque magis humanitatis officiis fidem fecit, iniuſſu ſuo pugnatum. Quingenti nihilominus equites noſtros inde digreſſos opportunis locis aſſecuti carpere extremum agmen auſi ſunt. ſed nimirum in paratos incidére. cæſi multi; reliqui cum ignominia domum reiecti ſuis deinde affirmarunt, nõ cum hominibus, ſed ferreis

ITEM COMITIS BOII.

PHILADELPHIENSIS TVMVLTVS.

Nicetas Chon. & Expedit. Aſiatica.

Nn 5 ſtatuis

Digitized by Google

ſtatuis ſibi rem fuiſſe. Laodiceæ deni-
que per infida & iniqua omnia iactatis
reſpirare licuit. Ea vna vrbs, ne Græca
fides nomenque vniuerſum infame
Germanis & deteſtabile redderetur, in-
ſolitâ beneuolentiâ effecit. Comiter il-
lic omnes præ quàm in aliis vrbibus ac-
cepti ſunt; benignè cumulatéque, quæ
ipſis, quæque iumentis vſui eſſent, præ-
bentibus oppidanis; vt hîc demum
Chriſti nomen, quæ hoſpitalis piorum
teſſera eſt, agnoſci haberíque in pretio
appareret. Viciſſim miles noſter delini-
tus humanitate certare cum ciuibus
modeſtiâ, nequid vltra vſum neceſſa-
rium ſumeret. Cæſar flexo poplite at-
tollere manus cœlo & commendare
Numini hunc verè Chriſtianum cando-
rem, ab eóque læta omnia & profutura
vniuerſis ſingulíſque expoſcere; quo-
rum ingenia ſi reliquis Orientis vrbi-
bus ſortitò obtigiſſent, iter ſuum tri-
umphi imaginem, & Europam Aſiám-
que ſpeciem vnius ciuitatis habituram,
alterámq; in alterius complexum nuda
& inermi manu venturam fuiſſe. Sed
Laodicena Hilaria & breuem guſtum
hoſpi-

LAODICENSIVM HVMANITAS.

GRATI ANIMI IN CÆS. AFFECTVS.

Digitized by Google

hoſpitalitatis effera Turcarum immanitas, cum qua mox diebus viginti continuis colluctandum fuit, obruit & extinxit. Nondum extabant implacabilis odij in totam Piorum nationem in illa gente exempla; quin adeò Soldanus Iconienſis Friderici amicitiam vltro expetierat,&, cognito illius in Syriam adventu, largè omnia, miſſis Norinbergam primùm, deinde Adrianopolim Legatis, promiſerat; iique vt telam perfidiæ doctè pertexerent, etiamnum in Cæſaris comitatu vt principes amicorum hærebant, quo minùs prouideri tam atrox tempeſtas potuit tot argumentis ſerenitatis celata. Proinde cùm per ſylueſtres Turcas, qui Bedebini ſuâ linguâ cognominantur, iter fieret, edicto Rex cauit, ne quis illorum opes, quæ pecore ferè conſtant, contingeret. Sed malè relata gratia eſt. vbi pecus in tuto fuit, ex paſtoribus prædones effecti nullo maleficij genere abſtinuere. vis tamen vtcunque ſuſtinebatur, vel repellebatur etiam. aduerſus famem, quo maximè nos telo, omnibus vitæ ſubſidiis auerſis, petebant, nec remedium

CONFLICTVS CVM TVRCIS.

EORVND. PERFIDIA.

FAMES CASTRA INFESTAT.

nec

Digitized by Google

nec conſilium fuit. Kalendis Maij aperto Marte noſtros inceſſere auſi in caſtra irruperant à primis ordinibus iam deſerta. Cæſar palantes conſpicatus tentoriis miltem abſcondit, & iniecto in nemus vicinum igne, fumo tutiores latebras facit. Fit deindè in irrumpentes Turcas impetus, cæduntúrque non minùs trecenti: ex iis, qui primum agmen incurſauerant, quingenti deleti; ſtrenuè lætitiam vultu ſimulantibus Legatis, & grates etiam Cæſari agentibus, quòd indomitam ferociam & aſperiora ſuis rupibus hominum monſtra repreſſiſſet. parum ſeriam gratulationem fuiſſe, quotidiana prælia & iidem vbique mores oſtendêre. Quæ res Cæſarem perpulit, vt de mutanda ratione itineris cum captiuis ei fuerit conſultandum. Delectus denique ex deſperata colluuie, qui malorum optimus eſt viſus, eique ducem per notos calles ſe profitenti hactenus fides habita, vt ſi falleret, pretium mendacij inſtare mortem ſibi ſciret per vltimos cruciatus exigendam. Ille accepta conditione per iuga montis aſcenſu ardua deſcenſu præcipitia V. Non.

TVRCÆ CÆSI.

DVX ITINERIS TVRCA.

Non. Maij cum ingenti hominum vexatione & iacturâ mille amplius equorum timidè ſubſequentes ducit. Auxit periculum Turcarum vltimis imminentium propinquitas, qui feſſis nullóque certo nitentibus veſtigio per inuia & deuia aſſultantes leui momento impulſis certam perniciem creabant; equis potiſſimùm ad diſſonos clamores eóſque, vt inter nemora, repercuſſos geminatóſque conſternatis, ſuâque mole ôbuia omnia proruentibus. Cæſar, qui pro more vltimum agmen ducebat, quantumuis iniquo loco conſiſtere ſigna iubet, ſuóſque ad pugnam conuertit, filio cum expeditis & acerrimo quoque viro ad opem ferendam accurrentibus. Pugnatur fortiter, quoad Anteſignani Turcarum ſexaginta, robur ſine dubio exercitûs, ſtetere. iis ad vnũ omnibus cæſis, momento cætera fæx euanuit. Cæſaris filius, perfoſsâ malâ vnóque multatus dente inde diſceſſit. Pater id ei vulnus gratulatus multo quàm antea formoſiorem dixit, & felicem inſuper, qui perpetuum præconem ſuæ virtutis ore ſit circumlaturus. Quartis

Friderivs Cæs. fil. honesto vulnere decoratur.

tis deinde caſtris Philomelium (ita vrbem, quæ noſtris Philomena eſt, Nicetas appellat) inter diurna pariter nocturnáque prælia ventum. ea quamuis cæde Turcarum & fugâ ſemper finirentur, nihilominus furioſi pacem noſtris auro venditabant, magno redimendam ſperantes, cùm Cæſar eam per ludibrium vno non ampliùs argenteo licitaretur, quem inter eos diuidi, quàm ferro concidi ſatius eſſe dictitabat manũ Germanicam toties expertis. Subtilior fuit Legatorum argutia, qui polliciti ſe de Turcarum impotentia & iniuriis ad Soldanum relaturos, haud difficulter commeatum impetrarunt, & ex optimatibus comitem Gottfridum nomine; quo mox in vincula abrepto eadem iniecta ſibi Legati mentiti ſunt, illiberali commento Iuriſiurandi religionem, quo ad reditum tenebantur, eluſuri. nihilominus ſua repetentibus reddi Cæſar cum fide iuſſit, ne ſpoliis perfidorum inhiaſſe vel eguiſſe etiam argueretur. Ad Philomelium Nonis Maij iuſto prælio concurſum eſt. Sena hoſtium millia, Friderico Sueuo & Bertholdo Meranio

PAX VENALIS REPVDIATA,

LEGATORVM TVRCICORVM NEQVITIA.

PERFIDIA.

Meranio in prima acie fortiſſimè pugnantibus, cæſa. vrbi direptæ faces ſubditas Nicetas ſcripſit. Sed iam fames neque ferri neque diſſimulari poterat, rebus omnibus in cibum verſis, ipſiſque adeò proceribus equinam & aſininam inter delicias numerantibus. Ea neceſſitas deteſtabile nonnullis ad hoſtes transfugium perſuaſit. plures, quibus pietas cordi, fortunarum ſuarum reliquias inter amicos partiti, diſpeſſis in Crucis formam brachiis, proſtratíque ſolo vltro ſeſe barbaris victimam obiicere læti hilaréſque, quòd emittere animam per vulnus liceret, quam fames iis mox ſine gloria erat extortura. Quinto Idus Maij geminata victoria rerum aliarum omnium egenis obtigit. Caſtra à flumine, quod Gindarium Nicetæ nominari exiſtimo, moturus Cæſar inſidias hoſti ſimulatione metus tetendit. Iter primos fugæ ſimile accelerare cùm iuſſiſſet, ſuos in tentoriis paratos continuit. Turcæ diſtractos inter ſe adorti ſanguinem prædámque ſitiebant: ſed ipſi mox vtraque dedére. Fridericus Sueuus per otium omnia contempla-

FAMES EXTREMA.

CHRISTIANORVM ÆQVANIMITAS IN MORTE.

VICTORIA GEMINA.

tus

tus conuerſo repente agmine in caſtra rediit. hoſtis vndique circumuentus à fronte & tergo cædi cœptus, effugiis etiam præſtructis, niſi quà flumen vaſto lacum alueo ſubit, qui fugitiuos certatim irruentes magno numero ſepeliit. Haud procul inde ad mõtis radices iter agentibus supernè tela incidêre. Locus audaciam iaculatoribus dabat promittebátque impunitatem; quòd ad ſua luſtra & auios receſſus armatos aſcenſuros non putarent. ſed ſpe citiùs ſuprà caput vltor fuit, & clandeſtina furta apertâ virtute oppreſſit. Pentecoſtes ſolennia III. Idus Maij ſine tumultu, ſed non abſque futuri metu malignè paſti exegere; quòd Melichum Soldani filium cum trecentis millibus haud procul abeſſe exploratores retuliſſent. Cui multitudini vt paribus animis, quando viribus non licuit, obuiam iretur, Godefridus Würceburgius alloquendos ſibi Milites putauit; opportuna tempori locutus & illud inprimis haud dubiè diuinitatis inſtinctu, vti ſuppetias cælo accerſerent, Georgij ante omnes expertam vltimis caſibus neque vnquam fruſtra

INGENTES HOSTIVM COPIÆ.

D. GEORGIVS M. IN VOTA VOCATVS.

ſtra

ſtra inuocatam dexteram; in eo vno multorum millium inſtar eſſe. Accendit Diui nomen piorum animos, totíſque ingeminatum caſtris eſt, ne velut ope indignos aſpernaretur. ſub lucem cæleſti cibo præmuniti in aciē prodiere. Eam triquetram fieri placuit. Frons ſacris viris Monaſterienſi & Würceburgio permiſſa: procurrentia vtrinque latera Cæſar & filius tutati. Auxit numerum Candidata legio, Georgiana haud dubiè, eo cultu, quo videri Cælites amant, inſignis; cuius etſi vim omnes ſenſere, adſpectu tamen perpaucis frui licuit. Ludouicus Helffenſtainius ex noſtris ea fide vir, vt vel iniurato quiduis crederetur, iureiurando quàm ſanctiſſimè potuit concepto, ſuis vſurpata oculis miracula affirmauit. Ex Armenio etiam transfuga poſtea cognitum eſt, fuiſſe inter Melichi purpuratos, qui ſublatum humo Turcæ equitis brachium, ſicut erat cataphractum & ferro probè munitum, Melicho oſtētarit, quæſierítque, an elanguiſſe dexteras aut hebetatos enſes putaret, qui ferrum & oſſa vno ictu demetant? cùm appareret nonni-

Aciei diſpoſitio.

Divi avxiliares palam aſpectabiles.

Appendix apud Radeuicum.

Oo hil

hil Barbarum moueri, digitum eidem in formidabile agmen Albatorum intendit; vtique enim tot vnicolores chlamydes, quæ frontem aciei prætexant, indicio eſſe, poſt principia itidem ſuis diſtincta coloribus agmina amplis ſpatiis diffundi. Melichus nihil diuinum ſuſpicatus ſignum certaminis propoſuit, rectáque in frontem inuectus vbi pedem contrà ferentium ardentes vultus, coruſca arma, intrepidas qualéſque triumphantium eſſe ſolent voces, habitúmque corporis heroibus parem animaduertit, pugnare in poſtremos ſtatuit, tenues illic vmbras & ora pallida ieiuniis offenſurum ſe ratus. Sed nimirum in Ahenobarbum incidit & Prætoriani militis indomitum robur; cuius vim cùm nulli inundantium Barbarorum torrentes ſiſterent, nouus iam turbatis Filij aduentu terror acceſſit; qui cum delectis cohortibus ſibi Patríque ſimilis cædem & funera geminauit. decem millia primo impetu, quod niſi Superis in partem iuuantibus fieri non potuit, occidione occiſa. Melichus ipſe effuſus equo, ſed ſuorum operâ repoſitus

Pvgna cvm Melicho.

Insignis victoria.

tus fugam in vicinum montem intendit; ſed illâ quoque ſtatione deturbatus Iconij ſe mœnibus incluſit. Humani aliquid paſſos victores Tageno noſter ſignificat, neque Deo victoriam gratulatos; quæ ſiue obliuio ſiue negligentia meritiſſimi officij præſentibus è veſtigio ſuppliciis eſt exagitata. Dux viæ Barbarus, qui datam initio fidem manifeſto ſcelere nondum corruperat, vt ferè malus officij magiſter eſt metus, freno illo excuſſo ad ingenium rediit; indignatúſque gentis ſuæ conatus omnes perpetua Germanorum felicitate eluſos, cogitare cœpit, quanta ſua futura eſſet gloria, ſi annulatus ipſe & compeditus, quod armatorum tot millia nequiſſent, noſtros peſſundaret, impenderétque vilem animam patriæ, nunquam, etſi immoriẽdum cœptis eſſet, honeſtiore comitatu periturus. Id conſilium plenum furoris ſecutus, ouantem victoriâ exercitum ſub veſperum in locis deſertis cultúſque humani expertibus collocat. Omnia illic deſiderantibus acerbiſſima aquarum penuria fuit. Siticuloſas arenas vapor ſolis accenderat, idémque de

INGRATVS DEO EXERCITVS PVNITVS.

DVCIS ITINERIS PERFIDIA.

NOSTRI SITI VEXANTVR.

Digitized by Google

pugna & itinere non feſſis ſed penè to-
ſtis interclusó ſpiritu vix reciprocandæ
animæ dabat facultatem. Multi ante ca-
ptum caſtris locum iumentorum cada-
ueribus eâdem ſitis impatientiâ extin-
ctorũ ſuperfuſi illorũ ſe ſanguine ingur-
gitabant, nullum iam humorem faſti-
MAGNANIMITAS CÆSARIS. diente natura. Suſtentabat tamen vt-
cunque magnitudine animi ſui defici-
entes Imperator. eadem ſecum tole-
rantem qui vidêre, erubuerunt à Princi-
pe Orbis terrarum patientiâ vinci. Ab-
iectis denique in ſabulo corporibus in-
ſomnem inter tormenta inteſtina noctem
egere; quæ multis leuare lotio aut
glebarum altiùs effoſſarum ſuctu pudo-
ri non fuit. lacrymæ denique, quas de-
ſperatio expreſſerat, guttatim, ante-
quam areſcerent, irritamentum veriùs
quàm remedium labris humectandis
libatæ. Caſtris primo diluculo motis ad
limoſam paludem ventum, cuius nau-
MISERABILES EPVLÆ. tea aridis pro nectare fuit, neque bi-
duum illic hærentibus deſipuit. lautio-
res aſininam equinámque, ephippiis &
detractis corpori veſtibus ad alendum
ignem incenſis, decoquebant vel infu-
mabant

mabant veriùs, & ſemicrudam inſulſámque inuidentibus egenis vorabant: iis enim præter herbas temerè natas, quas magna ſolertiâ toto latè agro rimabantur, edule nihil ſuppetebat. Hoc in ſtatu res erat, cùm miſſi à Soldano legati trecenties centena auri pondo à Cæſare ſeorſim conuento exegere, pacati tranſitûs pretium & duraturæ in poſterum amicitiæ pignus. Id ſi perſoluere grauaretur, omne in ſe Turcarum nomen concitaturum, neque cum millenariis aliquot cohortibus, ſed cum gente vniuerſa enutrita in armis craſtino die depugnaturum. Cæſar extemporali reſponſo negauit ſui moris eſſe, dum ferrum in manu ſit, aperire auro viam; neque Germanis eouſque pace empta opus fuiſſe eius mercis causâ nullum vnquam aſſem in zona ferre ſolitis. Dimiſſis in hunc modum legatis, de poſtulatorum impudentia ad conſilium retulit. Perrogatis ſententiis ea vicit, quæ oppugnandum Iconium cenſuit. Eò igitur Cæſar, vota D. Georgio Æde, XVI. Kal. Iunij paſtum epulo immortalitatis militem duxit. Regis Vi-

SOLDANI POSTVLATA FVRIOSA.

REIECTA À CÆS.

PVGNA AD ICONIVM.

Digitized by Google

naria metandis caſtris deſtinata Turcarum acies in Lunæ morem, cùm corniculata viſitur, ſtructa prætexebat. ij tamen vtcunque numero vincerent, ſimul ac ruere in pugnam noſtros ſenſere, intra hortorum munimenta, ex maceriis minore periculo in ſubeuntes tela ſparſuri ſe recepêre. Sed id quoque ſuffugium noſtrorum iis virtute ereptum eſt. Equites ſinguli peditem in clunes equi receptum erigentémque inde ſeſe & propè ex æquo loco cum hoſtibus pugnantem tantiſper ſuſtentabant, donec iis deiectis vacuo ſepto potirentur: tum ipſi quoque viâ vi factâ ingreſſi hortos cædibus impleuere. numerum inde æſtimes, quòd Iſmahelita quidam apud Iſaacium Imperatorem per ſacra ſua deierauit, octingentas drachmas à ſe Libitinariis numeratas, vt viridarium ſuum priuatum elatis cadaueribus expurgarent. Vbi dies illuxit, diuiſis bifariam viribus, vrbi expugnandæ Auguſtus filium præficit. ipſe circumfuſas vrbi copias quadringentorum non minus millium ſibi depoſcit. In vtrumque paratis Legati ſuperueniunt

ALACRITAS CHRISTIANORVM. *Nicetas.*

NVMERVS CÆSORVM BARBARORVM INNVMERABILIS.

niunt pacem orantes, ſed oratione ita perplexâ, vt facilè appareret, eo vaframento ad diſtinenda fortia conſilia Soldanum abuti. Reſponſum nihilominus, ſi Gottfridus Legatus fraude nuper interceptus redderetur, poſſe de pace agi. Intendebatur ſubinde per inutiles moras æſtus, cùm pater iterato imperio filium admouere vrbi copias iubet. Penetrandum per ſexcenta hominum millia fuit; niſi in Tagenonis numeros vitium irrepſit; perrumpenda fortiſſimæ vrbis mœnia pauculis & emaciatis, omni machinarum apparatu defectis & gladio duntaxat, ſuáque Cruce nitentibus. Sed nimirum in illâ omnia ſita ſunt piis. Soldanus velut peſtifero ſidere ictus, vix tentata impreſſione, ex prælio in arcem refugit. Noſtri auerſum hoſtem ſtrenuè conſecuti mixtis agminibus & nunquam interruptis per patentes portas vrbem inierunt. Inde ruinæ ſimilis ſtrages cœpit vrbem exhauſtura. Arcem ſua firmitas defendit. Non eadem foris Cæſaris fortuna fuit tantis obſeſſi copiis, vt ne ad lanienam quidem, etſi vis abeſſet, robur ſup-

ICONIVM EXPVGNATVR.

peteret. Iam ſacerdotes ſtolati nudato iugulo mortem expectabant; multi expetebant etiam. Iam Cæſar, quem lachrymantem nemo vnquam viderat, ore ſuffuſo pro ſalute exercitûs caput deuouerat, nulla ſui curâ & propè amiſsâ ſpe meliorum: cùm repente vigor menti redditus & ſanctior impetus reſides vires excitauit: ſimul etiam ſerenitas auguſtæ frontis & radij oculorum velut benigni ſideris aſpectus torpentem exercitum recrearunt. Iam illæ eius voces, CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT, omni claſſico potentiùs totius exercitus aures animóſque penetrarunt, & pro lætiſſimo acceptæ omine priſtinæ laſſitudinis vel ſenſum vel memoriam abſterſerunt. Ipſum Iudæ Machabæo ſupparem (talis certè Tagenoni noſtro viſus eſt) & aliquid ſupra hominem ſpirantem, laxatis habenis admiſſóque in hoſtes ruentem equo vniuerſæ copiæ ſecutæ: metum pauorémque præ ſe agere crederes; ita repentè Turcarum omnis vis deſæuiit. ipſi impotes ſui rerúmque omnium præter fugam immemores,

CÆS. PRO EXERCITV SE DEVOVET.

TESSERA CÆSARIS.

GLORIOSE VINCIT.

res, ne telum quidem mittere in paulo antè victos auſi, quò quemque deſperatio diſtulit, præcipites abiere. Sic duplex victoria maximo hoſtium damno, noſtro penè nullo, eodem tempore parta. Inter ſocios exercitus ſalutatio facta: vrbs gratulantium vocibus exſonuit. Præda, vnde diteſcere omnes poſſent, egeſta domibus centum *marcarum* millibus æſtimata: cuius dulcedo lætum præſentibus militem præteriti temporis ærumnis coëgit ignoſcere. Poſtero die Soldanus ex arce Legatos pacem veniámque oraturos de reconcilianda quibuſuis conditionibus gratia ad Cæſarem miſit, quibus temporis magis causâ, quàm quòd ita meruiſſent, benignè reſponſum: viginti obſides primi procerum imperati: cautum etiam de præbendis benignè commeatibus, quoad prouinciâ Soldani exceſſiſſent. Nihil detrectantem Cæſar cum Melicho F. aſpectu & ſalute dignatus eſt, caſtigatum tamen priùs ob perfidiam, quæ cùm priuatos etiam homines exoſos reddat, tum in Principibus maximè ſit

SOLDANVS PACEM ORAT.

CÆS. SOLDANO PERFIDIAM EXPROBRAT.

Digitized by Google

deteſtabilis; quòd nullæ vnquam tantæ incidere cauſæ poſſint, quæ falſos eos fieri ſubigant; niſi famæ gloriæque prodigi, dum lucris ſuis inhiant, iacturam vltro faciant maximi inter humana omnia boni, peſſimóque errore pacta, fœdera, iuſiurandum, quæque alia animorum vincula ſunt, pro hamo habeant & illicio, ad amicos in fraudem inducendos; cùm vtique quem beneuolentem ſperes quàm profeſſum hoſtem minore cauendum cura, imò ne cauendum quidem exiſtimes. Soldanus confeſſus verè ea dici, neque exprobrationem modò ſed & ſupplicia infra meritum ſuum eſſe, gratias tamen habere ſe Numini affirmauit, quòd ab æquiſſimo eodémque fortiſſimo Rege debellatus ipſe quoque inter vtilia olim exempla producendus ſit, ſcelere ſuo tam egregiè vindicato, aliis futurus Magiſter virtutis. Domitori ſuo nihil addi ad gloriam poſſe, niſi cuius vim expertus ſit ſentire ſe gratiam patiatur. Xenia dein Regia proferens maleuolentiæ veteris memoriam nouis ſtudiis inſtitit oblitterare: quod Melicho etiam in Auguſti filio

MVNERA REGIA SOLDANI.

lio exornando propoſitum. Id certamen officiorum quatriduum tenuit; donec graueolentiâ cadauerum offenſus miles vrbem deſeruit; in hortis tamen regiis quatriduo altero commoratus VII. Kal. Iunij iterum in viam ſe dedit, necdum ab ingenio deſciſcentibus barbaris, & in cunctatores aut à ſignis digreſſos more ſuo graſſantibus; donec obſidum diligentiâ, quorum maximè periculo peccabatur, repreſſa ferocia eſt. Fortè euenerat, vt Iſmahelitæ quinquaginta in militem Germanum eúmque incomitatum inciderent. is pedetentim, vt equo parceret, quem loro trahebat feſſum, carpebat iter ſeipſo fretus, quæque illum dubiis rebus nunquam feſellerat, grandi machæra. Fiducia viri vetuit barbaros, ne centum manibus eum cominus laceſſerent, eminus telorum imbre, nullo ſuo periculo, obruendum; quibus ille non magis mouebatur, quàm Herculem fabulæ ferunt, cùm pumilorum exercitu premeretur. Tam generoſum vnius hominis faſtum cæteris iactantior vindicaturus, omiſſo arcu equum in eum concitat & vndi-

Nicetas. STVPENDA GERMANI MILITIS FORTITVDO.

que

que aſſiliens vanis ictibus nuſquam vulneri locum inuenit: cùm denique feſſus noſter moleſti luctatoris pertinaciâ primores equi pedes neque multum conniſus culmorum inſtar demetit: & tum demum repetito ictu barbarum quantus erat, à vertice medium diuidit, ephippio quoque diſſecto, & luculentâ in equo plagâ relictâ. Socij Heroicam manum adorare quàm experiri ſatius rati ad ſpectandum inuſitati roboris miraculum populares euocarunt. In Armeniam deinde quartis caſtris peruentum eſt. illic, vt inter Chriſtianos, minus cum hominum ingeniis, cum locorum iniquitate acrius etiam conflictandum fuit. Sed cætera vtcunque ferentibus vna res æternum mœrorem obiecit, & hodie quoque triſti repetitâ memoria imperitos cæleſtium conſiliorum cogit de fatorum inclementia conqueri. IV. Idus Iunij in patentibus Seleuciæ campis vniuerſi conuenerant, velut ad malorum metam, vani ſine dubio augures & quid ille ipſe veſper veheret ignari, quem Imperatori Deus vltimum præfixerat. Improuiſo occu-

MORS FRID. CÆSARIS.

patum

patum letho inter omnes conuenit; de genere ipſo mortis diſceptatur. Præfocatum flumine certius eſt; ſiue refrigerandi ſui, ſiue vadi aperiendi causâ id intrauit. Flumen nonnemo Cydnum exiſtimat, in quo Magnus olim Alexander obriguit. Defectum viribus & ſera inclamantem auxilia miles proximè adnatans, quà potuit, iuuit: ſed fluctus præualuere; quibus præter Cæſarem ſexaginta quinq; abrepta corpora Chronico Auſtrali perſcribitur. Tam leui momento, quæ rerum humanarum vanitas eſt, ſummi Imperatoris gloria vitáque concidit: quanquam, ſi vera Stadenſis ſcripſit, ipſe ſibi hunc exitum vltimis vocibus gratulatus eſt, vt cui in aquis renaſci & denaſci, Chriſtianum & Martyrem fieri, contigerit. Rerum deinde ſumma ad Fridericum filium delata. Iuſta funebria patri Antiochiæ perſoluta ſunt. quo loco in reliquum etiam exercitum morborum vis adeò impotenter incubuit, vt mortuis Libitina vix ſufficeret. Ita præter funera, ex Orientis rebus expeditionéque tota, quod commemorem, vix quidquam eſt reliqui.

Otto de S. Blaſ.

Hieron. Mercurialis.

CÆSARIS VLTIMÆ VOCES.

LVES EXERCITVM DEPASCITVR.

Digitized by Google

qui. Batauenſis Epiſcopi ſocij ſex ſummo loco nati, ſacris dignitatibus cum laude functi ad vnum omnes obiere. Ex quibus Burchardum Chambenſem & Rudigerum Ahaimium noſtratium periti familiarum agnoſcent. Eos Dietboldus Epiſcopus III. Non. Nouemb. Ptolemaide ſecutus eſt: cuius morte comperta Wolfkerus mitram ſequenti anno V. Idus Martij induit. Tageno denique Sacri Ordinis Decurio, ex cuius monumentis pleraque hauſimus, Tripoli deceſſit. Fridericus reliquiarum Dux Ptolemaidem obſidentibus fortem aliquamdiu operam nauauit, donec ipſe quoque decimo tertio Kal. Febr. pugnandi viuendíque finem fecit dubium fortior an ſanctior Miles. Lenari morbo poſſe decumbentem Medici affirmabant, ſi vti Venere vellet; quibus ille animo verè Chriſtiano reſpondit, Mori ſe quàm contaminari malle; dignus proinde, qui cælum non cum Lauro tantùm ſed Lilio etiam ſubiret, pulchriorem de victa libidine quàm aliis quibuſcunque hoſtibus acturus triumphum. Henricus deinde menſe vno; & ſeſqui-

ETIAM FRID. CÆS. F. DECEDIT.

Godefridus Monachus. CASTITATIS AMOR VITA POTIOR.

Digitized by Google

ſeſquialtero Gerardus ignoti ambo imperium in ſuperſtites copias tenuere; donec aliis ſuper alios dilabentibus, ex illo olim innumerabili agmine, cui par geminúmue haud aliàs Germania orbi oſtentauerat, præter tumulos & magni nominis famam eximium nihil ſuperfuit. Bertholdum tamen Andecenſem Meraniæ Ducem & Conradum Ratiſbonenſem Epiſcopum haud dubiè non incomitatos BOIARIA recepit.

Nunc quæ ſub Henrico VI. quem Fridericus Pater ante ſuſceptam in Aſiam expeditionem Regem inaugurandum curauerat, rerum forma fuerit, explicabimus, initio ab Henrico Leone ducto, quem ſub Friderici profectionem in Saxoniam rediiſſe, ſupra demonſtratum eſt. Is Stadenſi primùm vrbe receptus, contractis repentè copiis, cùm Bardeuicum expugnatum direptúmque incendiſſet, Lubeca inſuper & Lauenburgo potitus fuerat, inflatúſque primis ſucceſſibus in ſpem veteris fortunæ aſſurgebat. Non potuit Henrico Regi, etiamſi nihil redux mouiſſet, præmaturus exulis in patriam regreſſus non

VI. HENRICVS SEXTVS IMPERATOR. Res Henrici Leon.

REDVX ET VICTORIIS INCLITVS ODIVM HENR. CÆS. INCVRRIT. Arnold. l. 4. c. 3.

non diſplicere, ſuſpicanti ſcilicet, contemptu ætatis ſuæ inſoleſcere veteranum militem; & æmulum paternæ gloriæ multo minus ab animo impetraturum, vt ſe filio gereret minorem. quid illi iam ſatis fore, cuius cupiditatibus BOIARIA olim Saxoniáque & porrectum à mari Germanico Imperium ad Tyrrhenum vſque figere metam nequiuerint? Igitur ſegetem ambitionis in prima herba oppreſſurus Brunoniſuicum repente aduolat, cælo iam hyemante & talibus conſiliis infeſto. Illic cùm operam perdidiſſet, Limbergam nihilo meliore ſucceſſu tentauit; quò felicior deinde Leoni ad eius amicitiam aditus fuit, Conrado Wittelſpachio Moguntino Antiſtite, & Philippo Colonienſi ei patrocinantibus. Fuldæ igitur his conditionibus in gratiam receptus eſt: Brunoniſuicum ad quatuor cœli plagas mœnibus nudaret; Lauenburgum ſolo æquaret; Lubecam æquo iure cum Adolpho Comite poſſideret. quarum rerum nihil deinde à Leone præſtitum eſt. Ludgerum tamen filium pacis fideique obſidem apud Cæſarem eſſe

HENRICVS VI. CÆS. CONTRA EVM ARMA CAPIT.

IN GRATIAM RECIPITVR LEO.

HENRICI LEON. FF.

eſſe paſſus eſt, qui poſtea Auguſtæ obiit.
Henricum natu maiorem militare Re-
gi cum cohorte quinquagenaria iuſſit;
cui cùm Romæ per Cæleſtinum Ponti-
ficem coronato aſtitiſſet, & ad res Apu- MCXCI.
liæ componendas magno vſui fuiſſet,
Caſſini nec opinantem inſalutatúmque
deſeruit, caput etiam cum Tancredo,
qui ſe Apuliæ Siciliǽque Regem fere-
bat, contuliſſe creditus; ſiue Patris vin-
dicandi ſtudio, ſiue prôpriis iniuriis da-
tam fidem extinguentibus. Paulò pôſt
cùm copias Germanicas Neapolitana
obſidio & æſtiui calores ad inſignem
paucitatem redegiſſent, ipsúmque adeo
Cæſarem mortuum, quantumuis falſo
rumore, in Germania percrebuiſſet, gli-
ſcere confeſtim noua ſtudia fieríque
coitiones tacitis votis ſibi aliíſue re-
gnum deſtinantium cœpêre, Leone
conſiliorum omnium arbitro & mode-
ratore; quem rerum vſus & duplici E-
xilio totidémque exauthorationibus
nondum exoleta gloria omnium ocu-
lis animíſque ingerebât. Is tamen æſtus
maturato Cæſaris in Germaniam redi-
tu, facilè deferbuit. Sed neque parta

Digitized by Google

LEO PROVINCIÆ PARTE SPOLIATVR.

Leo tueri potuit; poſtquam Adolphus Holſatius ex Aſia reuerſus veteres in eum æmulos concitauit; vt breui præter Lauenburgum trans Albim nihil ei relictum ſit.

A.MCXCII. LVD BOIVS BALTHEO ACCINCTVS.

Anno ſupra Nonageſimum ſecundo Ludouicus Dux BOIARIÆ IX. Kal. Iun. in Wormatienſibus Comitiis, vnà cum Sueuiæ Duce Conrado Imperatoris fratre, ſcuto cæteríſque militiæ inſignibus more Maiorum indutus eſt, qui Heroum filios ex Ephebis egreſſos ferrum non niſi auſpicatò ſumere paſſi ſunt, vtique cùm in hominem acuatur reuerenter tractandum. Et Ludouico quidem, bimeſtri vixdum elapſo, rudimenti ponendi occaſio in hunc modum oblata.

Chron. Reicherſp. Auent. Hund. Stero.

POGIORVM CVM ORTENBVRGIIS BELLVM.

Albertus Pogius Comes inquieti vir ingenij cum Ortenburgiis fratribus Ratpotone & Henrico graues inimicitias exercebat, quæ denique in bellum erupere. BOIARIA ferè omnis in partes diſceſſit. Sacra profanáque iuxtà habita; prædæ vtrinque actæ; non Diuûm oſſa auro argentóque cluſa, non ſacra veſtis, non patrimonia pauperum, templis, ob ſacroſanctum aſyli ius, re-

cor-

Digitized by Google

condita, auaras manus effugerunt. Bohemos Albertus exciuerat, quòd Ottocari ſororem Laodamiam ſeu Ludmillam in matrimonio haberet; quorum vim Ludouicus, qui copias contra eduxerat, non tulit. ad fugæ dedecus alter, ex captiuis magno numero in Bohemiam abſtractis, dolor acceſſit. Octobri menſe Leopoldus Auſtrius nuper à morte Ottocari Stiriæ Ducatu auctus in Comites Ortenburgios more turbinis inuectus clades duplicauit. Res ex compacto geſtæ. aduerſo ipſo Oeno; Bertholdus Meranius ſecundo graſſati, velut geminæ tempeſtates agrum Ortenburgicum omnibus calamitatum exemplis inundarunt. in tecta hominéſque ſæuitum. funera alibi, alibi incendia; neque frequentior rei vllius, quàm buſtorum aut miſerorum agreſtium ruinas ſuas lamentabili quiritatu explicantium occurſus fuit; quo excitatus Cæſar tumultuantes diſcedere ab armis & apud ſe diſceptare iure iuſſit. Leopoldus in Auſtriam regreſſus de Richardo Angliæ Rege Viennæ deprehenſo fit certior. Inimico in eum animo erat,

Lvdovicvs Boivs à Bohemis fvgatvr.

Leopoldvs Avstrivs et Bertholdvs Meranensis bello se miscent.

ANGLI ET AVSTRII SIMVLTATES.

memoriâ inſignis iniuriæ, priore anno Ptolemaide ab eo acceptæ. Primus vrbis mœnia Leopoldus conſcenderat, deturbatóque hoſte ſua ſigna ſuffixerat. ea Anglus, prauâ ambitione, primas gloriæ eripi ſibi indignatus deiecit procul-cauítque, ſuis ſuppoſitis. contumeliæ fœditas belli ſacri ardorem omnem in Leopoldo extinxit, eúmque ad repetendam citiùs, quàm cogitârat, patriam

ANGLI NAVFRAGIVM ET ERRORES.

ſtimulauit. Anglus Adriatico mari naufragium paſſus eiectúſque in oram Illyrici, cultu regio poſito, perpaúcis comitantibus, terreſtri itinere progreſſus oculos tamen hominum in ſe conuertit. Primus illum Menhardus Goricienſis Comes agnouit, & de familiaribus octonos, Rege iam elapſo, prehendit. ſenos item Fridericus Boteſouius Friſaci in agro Saliſburgenſi excepit. Regi terni duntaxat ad fugam relicti, quæ illum rectâ in Auſtriam, peſſimo errore, abſtulit. Haud procul Vienna in taberna meritoria lixæ munus occupantem, ſtruentem ſuâ manu focum, & veru ad ignem verſantem annulus prodidit haud ſanè cum extemporali ſqualore

Ex lit. Imp. Henrici ad Regem Franciæ apud Baron.

AGNOSCITVR EX ANNVLO.

coci

Digitized by Google

coci conſentiens. neque facies deinde ſuſpicioſum exploratorem feſellit nuper in caſtris adorata, & priſtinæ maieſtatis etiam in illa fortuna retinens. Delatus extemplo ad Leopoldum mimus. Regi iniectæ manus ſunt; quod vt ad exſaturandam iram opportunum fuit, fœdis tamen Leopoldi nomen gloriámque notis, & cladibus etiam commaculauit. Rex VIII. Kal. Ianuar. in conſpectum Cæſaris Ratisbonæ captiuus adductus cùm cauſam ſuam iratis non probaret, Leopoldo in ſequentem annum permiſſus eſt. cùm repeteretur, ad Ramaliam, Cæſari iterum ſiſtendus, Angli, quos miſeratio domo exciuerat, in BOIARIA eum ſunt aſſecuti. Cæleſtinus Pontifex & rei indignitate & Reginæ Matris acerbiſſimis literis motus Leopoldum diris deuouit, Rege iam cum Imperatore paciſcente. Ingens argenti pondus exactum; cuius pars Cæſari, pars Auſtrio penderetur. Adiecta etiam mulcta eſt, propter Henrici Leonis patrocinium ingratiis Cæſaris ab Anglo olim ſuſceptum. Interim obſides, donec fidem exſolueret, imperati. Has

Roger. in An. Angl.

ANGLVS LIBERTATEM REDIMIT.

Digitized by Google

conditiones Deo cordi non eſſe, inuſitatis infortuniis admoneri Leopoldus poterat. Paſſim orta incendia ſunt, quorum auctores ne ſuſpicio quidem nominauit. Danubius præter morem cum pernicie mortalium exundauit; ſterilitate damnati agri; ſi quid viruiſſet, ceſſit erucis in cibum: graſſata etiam in homines peſtilitas nobiliſſimo cuique infeſta; quæ cùm vt fortuita princeps contemneret, in ſuum denique caput iram Numinis concitauit. Feriis D. Stephani equo prolapſus crus fœdè quaſſauit. acceſſit ad tuber gangræna, cui ferrum vltima Medicorum deſperatio admouit, id quoque cum fruſtra fuiſſet, Dei vindicis manum plagámque agnoſcens abſolui obſides & cum ære mulctatitio ad Regem remitti iuſſit, receptúſque in cenſum piorum meliore iam ſpe tormenta ſuſtentans deceſſit, anno poſt regem captum quarto. Porrò Ratiſbonenſibus Comitiis, de quibus ſuprà docuimus, pax concordiáque ſancita, quique eius turbatæ culpam ſuſtinuit Albertus Pogius Reip. hoſtis declaratus patriâ pulſus eſt. Gottfridus Stainius è Bibur-

CALAMITATES PVBLICÆ.

LEOPOLDI AVSTRII CLADES ET MORS.

Chron. Reicherſp. Hundius. Auent. Herman. Altah.

Biburgenſium Comitum ſanguine, quòd limites aduerſus Bohemos vel munire vel tueri neglexiſſet, capitis damnatus. Welfonum interim ſanguini in Sueuia quidem ad occaſum ſpectanti, in BOIARIA poſt Henrici Leonis abdicationem penitus extincto, noua alibi lux oborta. Henricus Leonis filius cum Cæſare in gratiam reuerſus in intimum eius vſum familiaritatémque irrepſerat, prohibitus à patre regiâ excedere, priuſquam honoribus auitis reſtitutus foret. Is tamen promiſſis & inani expectatione in aulæ faſtidium adductus, eâ valere iuſſâ, ad patruum Imperatoris Conradum Rheni Palatinum ſe contulit, morúmque elegantiâ primum apud eum gratiæ locum facilè occupauit; vt cùm maritum Agneti vnicæ filiæ quæreret, illum abſque dubitatione procis omnibus anteferret. Quæ affinitas etſi Imperatori initio parum probabatur, poſtea tamen egregiis Henrici officiis delinitus non modò in patrui iudicio acquieuit, ſed eo paulò pòſt mortuo, Palatinatum Rheni, quæque eam dignitatem comitantur, ſine vlla imminutio-

MCXCIV. WELFONVM SANGVIS PALATINO MISCETVR.

HENR. HENRICI LEONIS F. à PALATINO RHENI GENER ADSCISCITVR.

MCXCV. *Alb. Stad. Stero. Otto de S. Blaſ. Cranzius.*

MORS HENRICI LEONIS ET WELFONIS.

ne Henrico confirmauit. Proximus annus Leonem patrem & Welfonem patruum abſtulit. hic Staingadij in Monaſterio à ſe condito; ille Brunoniſuici tumulatus eſt. Mauſoleo eius imago Leonis ænea impoſita eſt, opportunum incepto fabulatori argumentum; qui cùm de Henrici Leonis peregrinatione fando inaudiſſet, longiores Vlyſſeis errores confinxit & plenos monſtrorum caſus, nihil veritus ſcribere Ducem inſutum corio à Gryphe neſcio quas in oras deportatum in Draconis cum Leone duellum incidiſſe; Leonem eius opera auxilióque victorem Principi in poſterum pro ſatellite fuiſſe, & ſepulchri tutelam nunc quoque gerere, aliáque nihilo his ſomniis puriora.

NOVA EXPEDITIO ASIATICA. *Iidem. Godefrid. Arnold. Vrſperg. Paul. Langius.*

Per idem tempus noua in Aſiam adornata expeditio eſt, Henrico Imperatore Geilenhuſij primùm, tum deinde Wormatiæ Belli ſignum efferente. nobiliſſimus quiſque fortiſſimúſque Germanicæ Iuuentutis excitati paſſim nomina ingenti numero dedere: quos inter natalibus gloriáque eximij fuere Conradus Wittelſpachius Antiſtes Moguntinus-

gunti-

guntinus, Conradus Cæſari ab Epiſtolis Hildeſienſi tum mitræ deſtinatus, quam Würceburgia denique mutauit; Henricus Rheni Palatinus Leonis filius, Fridericus Auſtrius, Dux Brabantinus, Hermannus Thuringus; Comites Limburgij & Schauuenburgij; Hartuicus Bremenſis, & Rudolphus Verdenſis, Bertholdus Cicenſis, Gardolphus Halberſtadius, Wolfgerus Batauenſis, Conradus Ratiſbonenſis Epiſcopi; ex quibus vltimus priore quoque expeditione res memorabiles geſſerat; quò illuſtrior illius virtus fuit, quam recens ærumnarum, quantas illic exantlatas docuimus, memoria à conſilio tam arduo non potuerit deterrere. Nominandi cum his etiam Henricus Calatinus Mareſcallus Pappenhemius & Albertus Pogius, qui quòd primus nati ex vxore Conſtantia Filij nuntio Henricum Cæſarem exhilaraſſet, delicti exiliíque veniam & Ottocaro Bohemo dignitatem recuperauerat. Mira extat in Bohemicis Annalibus, qui vulgo leguntur, de Ottocari, qui idem etiam Premislaus dictus eſt, variante Fortuna narratio, eo-

PROCERVM AVTHORATORVM SYLLABVS.

Stero.

Dubrau. l. 14.

OTTOCARI BOHEMI IN BOIARIA CASVS.

rundem fide (aliam enim non præſtamus) referenda. Eum ferunt Henrici Pragenſis Epiſcopi, qui Interregis nomine prouinciam adminiſtrabat, morbo comperto, cum Vladislao fratre ſubitarium agmen è Morauis, inter quos exulabat, collectum Bohemiæ infudiſſe: verùm à Bohemis vndique malè multatum, fratre captiuo abducto, rebus omnibus ſpoliatum, vnico ex clientibus comite, Ratiſbonam elapſum. illic ad vltima inopiæ ſubſidia conquirenda operam fabris cæmentariis locaſſe, & circumagendâ truſatili rotâ, qua lapides in altum ſubuehuntur, dies decem continuos inter ærumnas exegiſſe: ſubinde cum ſocio laxandi animi cauſa per pontem Danubio impoſitum inambulanti rumuſculum de Henrici Cæſaris morte ad aures accidiſſe: quo mirificè recreatus erectûſque in nouam ſpem diei quod reliquum erat otio hilaritatíque conſecrârit. cúmque comes in obſonium aureolos duos proferret, iis in Danubium iactatis, negaſſe in BOICA ſe comeſſaturum; in patriâ baſilicè cœnandi perpetuam copiam fore.

Digitized by Google

fore. Fines regni ingreſſus de Vladiſlao fratre rerum ſummâ potito fit certior. Nuper illum Bohemi, Henrico defuncto, eductum è cuſtodia Principem conſalutârant. Is de fratris reditu per literas edoctus in certum locum colloquij cauſa eum ſeuocat, quódque maior natu eſſet, raro & commendabili pietatis exemplo, principatu illi ſponte cedit, anguſtiore in Morauos Imperio contentus. Quæ ſi vera ſunt, habent ſanè, qui à Fortunæ ore manúq; pendent, in Primiſlao ſpei ſuæ pabulum, qui ad Rotam lapidariam alligatus tamen de regno non deſperauit, ab ipſa calamitatis ſuæ machina admonitus, in orbem perpetua vertigine humana volui omnia, & depreſſa in imum iterum in altum erigi; ſæpe haud aliâ gratiâ, quàm vt caſu grauiore ruant. Illud quidem, vt cætera feramus, in hac narratione manifeſtè falſum eſt, Primiſlaum non ante Henrici Cæſaris mortem dignitati ſuæ redditum fuiſſe; quam ſequenti demum anno oppetiit. Eum porrò, vt in viam regrediamur, copias in Orientem ducere non placuit, ne quid per eius abſentiam RARVM FRATERNI AMORIS EXEMPLVM.

Impe-

Digitized by Google

Imperium detrimenti caperet, eſſetque qui commeatus, quæque alia vſus poſceret, ſuppeditaret cum fide. Mutata etiam itineris ratio, & repudiato terreſtri, maris tentare fidem, quàm expertam Græcorum pati perfidiam Barbarorúmque immanitatem opportunius tutiúſque viſum. *Godefrid.* Cæſar ad claſſem inſtruendam in Apuliam præceſſit, réſque illic multo quàm metuebat impeditiores breui maiore felicitate quàm gloria compoſuit, in expetenda de aduerſariis vltione humanarum legum oblitus: vt cùm Iordano Siculorum nobiliſſimo reo ambitûs diadema regium clauis in verticem ſuffixit, acerbè cauillatus compotem eum voti factum, & amittendæ, cui tam impotenter inhiârit, coronæ ſecurum. Richardum Comitem de Cerra velut inſidiatum capiti ſuo caudæ equi alligatum tractúmque per compita in furcam ſupinis pedibus capite prono egit: alium lebete excoctum amicis in caniſtro miſit, obſonium in epulas ſcilicet. Ad quem modum facta eius complura nihilo mitioris exempli referuntur, ne iis quidem pro-

HENR. VI. CÆS. CRVDELITAS. *Nicetas l. 2. Alb. Stad. Arnold.*

Chron. Foſſæ noua.

probata, qui nihil datum ſuſpicionibus credidere. Sexaginta hominum millia è Boiis, Sueuis, Franconibus cæteriſque Germaniæ populis lecta circum ſe Cæſar habuit, cùm denique etiam nauales copiæ quadraginta quatuor nauibus Meſſanenſem portum ſunt inuectæ. Ea claſſis multo poſtea auctior, pleriſque è Cæſariano exercitu bellum ſacrum depoſcentibus, ſub initium Septembris anni nonageſimi ſeptimi è Sicilia profecta ante finem eiuſdem menſis portum Ptolemaidis ingreſſa eſt, ſub idem tempus, quo Henricus Campaniæ Comes Ieroſolymæ Rex miſerabili fato eſt extinctus. Ioppen à Saracenis obſeſſam liberaturus quantis maximis poterat itineribus proficiſcebatur; cùm interim oppidani, non expectato eius aduentu, rebus ſuis conſulturi in hoſtem eruperunt, reiectíque intra vrbem, nondum omnibus ſuis receptis, ne vnà Saracenus irrueret, portis clauſis fœdè deſertos ſocios lanienæ obiecerunt, digni qui paulo pòſt captâ vrbe, ſimili cæde perfidiæ ignauiæque pœnas darent. Ea tam inſigni clade cõſternatus Rex rebus infectis

Nvmervs sacri exercitvs.

MCXCVII,

Miser obitvs regis Hierosol.

Digitized by Google

Imperium detrimenti caperet, eſſétque qui commeatus, quæque alia vſus poſceret, ſuppeditaret cum fide. Mutata etiam itineris ratio, & repudiato terreſtri, maris tentare fidem, quàm expertam Græcorum pati perfidiam Barbarorúmque immanitatem opportunius tutiúſque viſum. Cæſar ad claſſem inſtruendam in Apuliam præceſſit, réſque illic multo quàm metuebat impeditiores breui maiore felicitate quàm gloria compoſuit, in expetenda de aduerſariis vltione humanarum legum oblitus: vt cùm Iordano Siculorum nobiliſſimo reo ambitûs diadema regium clauis in verticem ſuffixiſſet, acerbè cauillatus compotem eum voti factum, & amittendæ, cui tam impotenter inhiârit, coronæ ſecurum. Richardum Comitem de Cerra velut inſidiatum capiti ſuo caudæ equi alligatum tractúmque per compita in furcam ſupinis pedibus capite prono egit: alium iebete excoctum amicis in caniſtro miſiſſe, obſonium in epulas ſcilicet. Ad quem modum facta eius complura nihilo mitioris exempli referuntur, ne iis quidem

pro-

Godefrid.

HENR. VI. CÆS. CRVDELITAS. *Nicetas l. 2. Alb. Stad. Arnold.*

Chron. Foſſæ noua.

probata, qui nihil datum ſuſpicionibus credidere. Sexaginta hominum millia è Boiis, Sueuis, Franconibus cæteriſque Germaniæ populis lecta circum ſe Cæſar habuit, cùm denique etiam nauales copiæ quadraginta quatuor nauibus Meſſanenſem portum ſunt inuectæ. Ea claſſis multo poſtea auctior, pleriſque è Cæſariano exercitu bellum ſacrum depoſcentibus, ſub initium Septembris anni nonageſimi ſeptimi è Sicilia profecta ante finem eiuſdem menſis portum Ptolemaidis ingreſſa eſt, ſub idem tempus, quo Henricus Campaniæ Comes Ieroſolymæ Rex miſerabili fato eſt extinctus. Ioppen à Saracenis obſeſſam liberaturus quantis maximis poterat itineribus proficiſcebatur; cùm interim oppidani, non expectato eius aduentu, rebus ſuis conſulturi in hoſtem erupe-runt, reiectíque intra vrbem, nondum omnibus ſuis receptis, ne vnà Saracenus irrueret, portis clauſis fœdè deſertos ſocios lanienæ obiecerunt, digni qui paulo pòſt captâ vrbe, ſimili cæde perfidiæ ignauiæque pœnas darent. Ea tam inſigni clade cõſternatus Rex rebus

NVMERVS SACRI EXERCITVS.

MCXCVII.

MISER OBITVS REGIS HIEROSOL.

infectis

Digitized by Google

infectis Ptolemaidem regreſſus dum incautiùs ſumma ædium liberioris auræ captādæ causâ perreptat, fallente veſtigio præceps delatus ceruicem fregit. Noſtri exſcenſione vixdum facta in hoſtem rectà mouent, pleni adhuc animorum & gloriæ pariter, prædæque auidi. Sed vtramque ſpem fruſtratus eſt Saracenus euerſa vrbe cum ſpoliis dilapſus.

PRIMA ADVERSVS SARACENOS IMPRESSIO.

Sidonem inde petentibus Saphadinus Saladini hæres occurrit; ſigna tamen conferre non auſus leuibus præliis aliquam-multis vires Alemannicas, magno ſuorum damno, tentauit. Vacuam vrbem Sidonij reliquerant. noſtri intecta ſæuierunt. Berytenſes quoque in arcem refugerant, annona omníque telorum genere in plures annos inſtructiſſimam. terreſtrium tamen copiarum contempta paucitate effuſi portis prælium ineunt. Adolphus ibi Schaumburgicus Barbarorum Ducem in inſidias pellectum equo præcipitat conantémque aſſurgere haſtâ tranſuerberat. Auerſis in id certamen omnium animis oculíſque, claſſis portum ſubiit: quam vbi intexta velis Crux Chriſtianis in vrbe capti-

Godefrid. Arnold.

SECVNDA.

TERTIA.

CAPTIVI CHRISTIANI VIRTVS.

captiuis prodidit, quidam confeſtim audentior cæteris effracta turri ſpeculatoria euadit ad vigiles, & commodùm ſopitos obtruncat; mox inde prolato ſigno opportunis nutibus ad inuadēdam arcem egreſſos in littus inuitat. Nulli dubium erat præſenti Numine regi pios. creſcente in omnium animis fiduciâ caſtrum extemplo captum; hoſtes cæſi fugatíque. Ita ſe dabant initia, cùm repentè triſtes de Henrici Cæſaris morte allati nuncij plauſus mœrore obruerunt. III. Cal. Octob. Meſſanæ exceſſerat, morbo inter venandum contracto, maximi animi Princeps & Germaniæ Imperium, ſi vita longior obtigiſſet, in eodem gloriæ faſtigio repoſiturus, quò Caroli Magni immortali virtute aſcenderat. Iam Orientem quoque ſui nominis famâ compleuerat, quidquid terrarum inter Epidamnum & Theſſalonicam intereſt, ab Alexio Comneno auſus repoſcere, &, ſi pacem vellet, eidem imperare tributum, Alemannicum ab indignabunda Græcia dictum; ad cuius ſummam conficiendam cùm neque regum tumulis parceretur, & auri argentíque

HENRICI CÆS. INTEMPESTIVA MORS.

VIRTVTES HENR. CÆS.

tíque ſeptuaginta folles centenarij coa-ctí iam eſſent, mors Henricum oppreſ-ſit;in cuius laudibus non immeritò Ni-cetas homo Græcus ſummum Reip.ſtu-dium commemorat, cui dies totos ita impenderit, vix vt ſpacium curandi corporis ſibi relinqueret,raróque pran-dentem quiſquam videret: quas tam ſobrias eius curas cùm interpolare ami-ci conarentur, importunos inuitatores planè regiâ ſententiâ refutauit,Homini priuato nullum eſſe intempeſtiuum conuiuium,dictitans; Regibus,ſi ſuo ſa-tisfacere nomini velint, ſatis eſſe debe-re,ſi eos Reſpub.à ſe ad cænam dimittat.

CVRA REIPVBL: PRIMA LAVS IMPERANTIVM.

Eius morte ardor ſacrorum militum re-frixit,pleriſque patriam reſpectantibus; cùm metus alios, alios nouæ ſpes per-culiſſent, eſséntque qui vel ſine ſe, vel præter ſe etiam regnare neminem vel-lent. Ii animorum fluctus ſic denique compoſiti,vt ſacramẽtum, quod Fride-rico Henrici filio puero adhuc quadri-mo dixerant,ratum eſſe vellent. Eum tota nuper Germania Imperio deſtina-uerat,freta vtique Iuuenta patris omnia alia promittẽtis, quàm vagiente adhuc

FRID. HENRICO PATRI SVCCEDIT.

filio

Digitized by Google

filio moriturum. Igitur illic quidem ſopita in præſens ſtudia, ſacrúmque bellum continuatum. Chorutum (Thurim alij vel Thoronium nominant) arx eſt Tyro diei itinere diſtans, difficili aditu & penè inacceſſo, artéſque oppugnãtium, ni ſuffoderetur, facilè eluſura. Erant in exercitu Henrici Palatini Rhenani foſſores argentarij non pauci in ſe-ćturis Goslarienſibus opus olim facere ſoliti: ij cuniculorum agendorum artifices, monte cæſo iniećtóque in cauernas igne, petrarum firmitatem æſtu maceratam, ſubſidẽtibus vnà qui ſuperſtabant muris, ruperunt. Aduerſus ea damna quòd prouiſum caſtellanis nihil eſſet, cum Henrico de deditione agi cœptum. Conditiones honeſtiſſimæ ferebantur; cum ſingulis veſtibus vitam duntaxat paćti, exituros ſe obſeſſi pollicebantur, excutiendos etiam ſinus præbituri, capitis in eum latâ ſententiâ, qui aurum argentúmque extuliſſet. Vicit nihilominus imbellem vićtoriã aſpernantium ferocia, cogentiúmque vt penè vićtis ne vita quidem relinqueretur. Eius conſilij ſtultitia aućtoribus ſui ma-

Henrici Palatini opera egregia.

Avara crvdelitas sibi exitio.

Qq gno

gno ſtetit; ad extrema adactis tantundem virium deſperatio dabat, quantum nimia fiducia noſtris ademerat; nihilque illic remiſsè, nihil hîc ſtrenuè factum. ducta quin etiam aduerſus cuniculum foſſa latebras aperuit, & peruias omnis generis miſſilibus fecit; iactis alij facibus, alij telis exanimati. qui viui in poteſtatem venerant, reſectis ceruicibus ad ſuos cum ludibrio ſunt remiſſi. Iam commeatus etiam quotidie anguſtior fieri, & propior cum ingentibus copiis Saphadinus, tanto Ducum pauore, vt cùm pridie Deiparæ luſtratæ ſignum pugnæ propoſuiſſent, ipſi deſertores facti, ante ſolis ortum, in vicinas vrbes ſint dilapſi, increpante cælo fugitiuos & mixtam grandine pluuiam inter tonitrua & fulmina in noxia capita effundente. Neque vlli deinde religio fuit dilabi à ſanctiſſimis ſignis, & poſitis recuperandæ Palæſtinæ cogitationibus, patriæ Chriſti præferre lares priuatos. Ineunte Martio ſimul ac miteſcente cælo apertum eſt mare, præter Conradum Wittelſpachium & Rudolphum Verdenſem teneri ſe procerum nullus ſuſtinuit.

MCXCVIII.

DESERITVR S. CRVCIS SIGNVM.

nuit. Aberat tum à caſtris Wittelſpachius ad Leonem Armenum Romani Pontificis & Cæſaris nomine regio diademate cohoneſtandum profectus; per quam occaſionem ſanctiore etiam munere functus eſt, & iuris diuini inſcitiâ à vero aberrantes in ſemitam & Eccleſiæ Romanæ ſinum reduxit, Pacem inſuper Leonem inter & Antiochiæ Principem ſanxit. Fluctuabat interim quantis antehac nunquam factionum æſtibus Germania, diſcordibus Imperij membris ſine capite trepidantibus, & inſociabile regnum, dum in diuerſa conſulunt, deferentibus ad plures. Philippus Henrici Cæſaris Frater Sueuiæ Dux tutelam Friderici Infantis profeſſus ſimul ac ex Italia in Germaniam rediit, circuire ipſe per ſe, quóſque coram non potuit, hortari literis, ne ſacramenti pupillo dati immemores de alio Rege cogitarent. non poſſe ſine ſcelere eius infantiam contemni aut deſeri, cui ſummum nomen ſanctiſſimo iureiurando in cunis obtuliſſent. Maieſtatem & inſignia (quando ita Superis viſum) puero relinquerent; Vim Imperij & curas penes

CONRAD. WITTELSPACH. ARMENOS AD ECCLESIAM REDVCIT.

Epiſt. Antiſtitum Armeniæ apud Baronium.

FACTIONES IMPERIVM DISTRAHVNT.

Otto de S. Blaſ. Godefr. Arnold. Vrſperg.

LVD. BOIVS PHILIPPO TVTELAM FRIDERICI ADDICIT.

quemcunque vellent, nullo Reip. incommodo, futuras. Primus eius ſententiæ Ludouicus BOIARIÆ Dux acceſſit; idem ſacris Antiſtitibus Adalberti Saliſburgenſis auctoritate motis optimum factu viſum. Bernardus Saxo ſuæ gentis purpuratos; Magdeburgius Præſul mitratos Proceres eodem attraxere; dictáque Comitiis dies eſt, quâ Philippo præter Friderici tutelam eius inſuper in moderando Imperio vices, cum ampliſſima poteſtate, attribuerentur. Parte alia Colonienſis & Treuirenſis Epiſcopi, coniectis in Bertholdum Zäringenſem oculis, vltro ad Imperium non ambientem vocarunt. Prono in eum animo etiam Innocentius Pontifex erat, qui Cæleſtino nuper ſucceſſor datus Philippum æquè atque Fridericum auerſabatur, Philippi facta permulta commemorans eo faſtigio indigna; & cõmunes vtriuſq; maiores ita de Eccleſia meritos exiſtimãs, vt illius ſanguinis indoles Romæ haud iniuriâ eſſet ſuſpecta. Zäringius cùm conditionem oblatam initio haud reſpuiſſet, ſecum poſtea reputans quibus procellis objiceretur quie-

BERTHOLD. ZARING: DESTINATVR REGNO.

1. Decret. c. 34. t. 4.

quietem ſuam; quanto plus hoſtium eſſet habiturus, quàm amicorum; inter ciuilia bella patriæque ſanguinem innatantem haud alium curarum laborúmque omnium fructum, præter inuidiam laturum: Germaniæ propter ſe pacem eripi, & tot capitum periculo, capite ſe coronato inceſſurum; negauit ſuam patriæue ruinam purpurâ emptu-rum; vtque omnem de ſe cogitandi ſuffragatoribus ſpem eriperet, palàm ad Philippum tranſiit; iſque VIII. Idus Martij Mülhuſij oblatum ſibi regium nomen, nullâ amplius Friderici pueri factâ mentione, acceptauit. Aduerſa factio Othonem Henrici Leonis Filium ex ipſa vſque Anglia, honeſtiſſima Legatione adornatâ, cuius principes Albertus Dagsburgius & Emicho Liningenſis Comites fuere, euocauit; íſque à Richardo Rege auunculo ſuo animatus cum egregio comitatu & magnis opibus in Germaniam profectus Coloniæ Rex eſt ſalutatus: vtque more Maiorum & iure, quo qui optimo, regnum adiiſſe videretur, Aquis, vbi Caroli M. Solium & Regia eſt, illud auſpicari boni ominis causâ

RECVSAT IMPERIVM.

Guillman. Habſpurg. l. 6.

PHILIPPVS NOMEN REGIVM SVMIT.

EI OTHO OPPONITVR HENR. LEON. F.

AMBO CORONANTVR.

Chron. Aquicinctinum. causâ voluit. Ea vrbs Philippi præſidium, Ducibus Walramo Limburgio & Henrico Dapifero Waldburgenſi, acceperat, cúmque vim per ſeſqui menſem tuliſſet, Ottoni dedita eundem ab Epiſcopis Colonienſi & Treuirenſi regio more excultum vel inuita adorauit. Philippum, penes quem regni inſignia erant, Tarentinus *Pontifex Moguntiæ inaugurauit: Boii, Sueui, Francones & magna Saxoniæ Procerum pars ei applauſere. Ottocarus Bohemus augendæ pompæ causâ, ipſe quoque diademate inſignitus Regium Pugionem Philippi anteambulo tulit. Ab his auſpiciis ad arma & ciuilia bella decurſum plures deinceps annos cruentatura; à quorum aſpectu etſi haud inuiti oculos auertimus, neque domi tamen in multo lætiora incidemus. ſub idem tempus Adalbertus Saliſburgenſis Antiſtes, incompertum quibus ex cauſis, à beneficiariis ſuis cõiectus in vincula Werffæ in cuſtodiâ per dies quatuordecim eſt habitus. Factum atrox & impietatis plenum fama longè lateque diſtulit. Clauſis eapropter Diuorum templis ſacra con-

al. Tarantaſienſis *Arnold.* *Alb. Stad.*

Stero. Chron. Auſtral.

ADALB. SALISB. ARCH. CAPTIVVS.

conticuerunt, aris earúmque Miniſtris ad oſtentationem luctus ſqualentibus; tenuítque triſte ſilentium BOICAM ferè omnem, donec de Libertate Pontificis cognitum eſt. Paulò pòſt Wolfgerus Batauenſis Epiſcopus ex Oriente redux cum Ratpotone & Henrico Ortenburgiis fratribus cruentum bellum geſſit. Abuſi eius abſentia Epiſcopatum populando prædíſque agendis vexauerant. ea damna Wolfgerus iis cum fœnore eſt remenſus, arcibus eorum pluribus exciſis & mortalibus multis ferro necatis.

EPIS. PASSAV. BELLVM, CVM COMM. ORTENBVRGIIS.

Tutandis etiam in poſterum rebus, Obernbergam Oeno imminens oppidum adiecta arce muniit. Iis rebus agendis pars etiam anni ſequentis, qui ſeculi eius vltimus fuit, impenſa; quo denique etiam Conradus Wittelſpachius in Germaniam rediit, eámque furore Principum diſtractam miſeratus omni ſtudio reducere in concordiam inſtitit, eò tendentibus conſiliis, vt ſi voluntariam abdicationem æmulorum neutri perſuaſiſſet, at certè pacem in quinquennium ſanciret, ratus morâ ipſa conſeneſcere deſpumaríque calorem ferociámque ambi-

OBERNBERGA MVNITVR.

MCXCIX. *Godefr.*

CONRAD. WITTELSP. PRO PACE CONATVS.

ambitionis poſſe; multáque humanitus accidere odiis vel finem poſitura vel modum. Quas Philippo, quem priorem tentauit, machinas admouerit, foras elatum non eſt. Otto ne agi quidem ſecum ſuſtinuit; euocatúſque Bopardiam infra maieſtatem ſuam duxit agnoſcere arbitrum ſui iuris dignitatíſque. Conradus ſpei irritus Coloniam abiit cum vrbis Antiſtite & Primoribus, quorum auctoritate Othoniana factio potiſſimum nitebatur, in medium conſulturus. vnus omnium morbus fuit, & intractabile ambitionis vlcus medentis manum eadem vbiq; impatientiâ reſpuit. ergo quod vnum ſuperfuit, conclamata patriæ ſalute, ne ruentem aſpiceret, quam ſeruare nequiiſſet, in Vngariam abiit periclitaturus, an ſpreta domi conſilia foris rectiùs collocarentur. Eadem regni illius, quæ Imperij Germanici, facies fuit, affectis haud abſimili lue mortalium animis, & ſtulta regnandi cupiditate in rabiem efferatis. Duos Filios Bela Rex ſuſceperat, Emericum & Andream; priorem regno deſtinans, collocatâ eidem in Matrimonium Antio-

Nusquam auditur.

C. Wittelsp. in Vng. abiit.

Status regni Vng et fratrum regum discordia.

Digitized by Google

tiocheni * Principis filiâ; minorem bello ſacro deuotum gloriam armis iuſſit quærere, & quantamcunque concupiſceret fortunam ſua ſibi parare virtute; congeſtâ auri magnâ vi in ſtipendia militum, quos duceret in hoſtes Crucis. Cùm optimi erga vtrumque Patris officia expleſſet, viuere deſiit. Emericus regnum ex voto eius adiit. Andreæ militia cordi non fuit corrupto vſitatis adoleſcentiæ illecebris & indole per inertiam emaſculata. Ita ærarium militare cupedinarium factum, non in rei bellicæ peritos ſed in magiſtros improbarum artium & ganeones effuſum; neque eo exhauſto ſatiata voluptatum ſitis, ſed ex vſu flagrantior. Hinc inconceſſa primùm vota & coniecti in fratris fortunam liuentes oculi: cur enim, cui natalium conditione æquatus ſit, felicitate tantopere cederet? illum in regio ſolio adorari; ſibi ex paternis opibus in miſerum exilium tenue viaticum ſeorſim numeratum. obiici ſe barbarorum gladiis, & per ſpeciem recuperandi ſanctiſſimi ſepulchri iuſſum ſibi in Syria tumulum quærere, indigno ſcilicet, qui

*Chron. Auſtral. Arragonia Principis F. facit.

INVIDIA FRATERNA.

ASSENTATORES PALATINI REGIVM IVVENEM CORRVMPVNT.

illic ſpiritum poneret, vbi eundem acceperat. Fodicábant aſſiduè ægrum animum aſſentatores domeſtici, in quorum contubernio decoxerat, egentes, factioſi, quibus domi nulla ſpes, & nunc deuorato Andreæ patrimonio, duplicata erat inopia; ius ſuum ſi aliter nequiret, repeteret armis & hæredem ipſe ſe à patre neglectus institueret; traderet fratri vices ſuas, donec is quoque ſenſiſſet, quàm iniqua ſorte ſint, qui reges nati priuati coguntur viuere. Valuerunt impia conſilia hactenus, vt Andreas, implorato Leopoldi Auſtrij auxilio, breui iuſtum exercitum contra fratrem educeret, atque vt erat apparatu ſuperior, victoria etiam potiretur. Verùm id cupido animo ſatis non fuit, parum effectum à ſe exiſtimanti, niſi fratre euerſo etiam coronam inter ſpolia legeret. Igitur ne reſpirandi illi facultatem morâ concederet, bellum continuò reparat. Sed ab Emerico Teutonicorum Militum, quibus Hoſpitalitas nomen dedit, auxiliis adiuto profligatus nec ſceleris nec prioris felicitatis fructum tulit. Bonfinius, quem in concinnandis Vngariæ

BELLVM FRATERNVM.

BONFINII NARRATIO.

Digitized by Google

gariæ Annalibus ſæpe fidis monumentis deſtitutum comperio, negat inter fratres ſigna collata: ſed cùm vtrinque inſtructæ ſtarent acies, Emericum poſitis armis & paludamento, ſolâ cauſæ fiduciâ, ſceptrum coronámque manibus præferentem per fratris cohortes inceſſiſſe concionabundum, Deum hominéſque teſtantem, impij belli neque au- ctorem eſſe ſe, neque adeò ſpectatorem futurum, cædem in ſuo iugulo auſpicandam. fœdatis paricidio nullum deinde ſcelus inconceſſum viſum iri. aut ſi vnum ſe petant, malle incomitatum mori, & ciuium ſibi lacrymis quàm ſanguine parentari. Ideo coronam ſponte exuiſſe, neque morari, quò minus digniori, ſi quem noſſent, imponatur; quin ſi cuiuſquam eam damno aut incommodo tulerit, nudum eſſe caput, neque grauatè vſurpatos malè honores ferro expiaturum. Quòd ſi nullo ſuo merito, ſed fratris duntaxat ambitione corrupti in Regem ſuum, in legitimum D. Stephani ſucceſſorem ferrum ſtrinxerint, in vtrumque paratum prodiiſſe, ſiue vt monendo iras ſopiret, ſiue

EMERICI RARA MODESTIA.

Digitized by Google

, ſiue vt moriendo extingueret. Si tam
, vile vobis regis eſt caput, ſi tam exoſa
communis parentis vita, pridem mo-
, riendum fuit, ne ad hæc tam impia vota
, & ſceleratos conatus veniretur. Dabitis
, tamen vtcunque de vobis merito, ne
, quem eorum, qui me viuum quàm
mortuum malunt, violetis. ſit impune
, meis, quòd parricidæ eſſe noluerunt. ſer-
, uate fratri meo has quoque copias, vt
, gloriari poſſit ſibi præter me ad regnum
, neminem obſtitiſſe. Mihi ſatis erit ad
, gloriam, amicos pariter inimicóſque
, morte ſeruauiſſe, & regiam patriæ coro-
, nam vitámque impendiſſe, vt ciuicam
, vel mortuus mererer. Hæc eo aliáque in
eandem ſententiam dicente, repenti-
nam, quod neceſſe fuit, animorum mu-
tationem factam; elapſa flentibus arma,
& deteſtabiles iras in impij belli conci-
tatorem verſas; Emericum Patrem Pa-
triæ ſalutatum; Andream rebus ſuis dif-
fiſum è conſpectu abripuiſſe ſeſe; repre-
henſum tamen è fuga parum abfuiſſe
quin ſuorum manibus concerperetur:
Sed interceſſiſſe Emericum, & redinte-
gratâ ſinceriſſimo amplexu gratiâ, in-
cruen-

Digitized by Google

cruentæ victoriæ fructum in amicos pariter hoſtéſque, nullo diſcrimine, diſpenſaſſe. Atque hæc quidem Bonfinij eſt narratio, cui gratiæ quàm veri plus ineſſe certum habeo; cùm præter ea, quæ ex Godefrido æquali horum temporum ſcriptore retulimus, etiam Innocentij Pontificis extent Epiſtolæ, Andreæ aſſeclíſque, nî impia arma ponant, ſacrum fulmen intentantis. Quo metu perfuſum Conradus Wittelſpachius eò impulit, vt voti exſoluendi feria cogitatione ſuſcepta, militiam ſacram profiteretur; idque vt maiore lubentia faceret, eandem Emerico mentem iniecit; de cuius iure regio cùm ambigi non poſſet, ſponte tamen ad eandem cum fratre aleam ſubeundam deſcendit pollicitus, ſe regno Leopoldi Auſtrij tutelæ permiſſo, cum fratre in Palæſtinam abiturum; vt quem illa ſuperſtitem patriæ remiſiſſet, regnum ſine inuidia poſſideret. Sed tam ampla promiſſa & propè ſupra Regum exaggerata Modeſtiam recrudeſcens ambitio facili negotio euertit. Prior Emericus calorem pietatis ſuæ velut leuitatem accuſare,

C. WITTELSP. VNGARIS FERR. SACRAM MILITIAM PERSVADET.

SVBIT POENITENTIA PII CONSILII.

cuſare, pacta reſcindere, & nequid benignioris ſpei fratri reliquum faceret, fraude ad ſe pellectum ferro onerare & tetro carcere abdere: quem quo die Andreas ſubiit, vertente anno (eæ ſunt

FORTVNÆ LVDVS.

Fortunæ vices) Emericus ingreſſus eſt; permutatis vtrinque ornamentis, Emericus fratris vincula, Andreas Emerici coronam tulit; atque vt mores etiam alternant, melior Princeps non ſuo modò fratre ſed ſeipſo etiam priuato fuit; quod ſubinde, rebus exigentibus, oſtendemus. Porrò Conradus qualicunque

MCC. CONRAD. WITTELSP. MORS. *Conradi Epiſcopi Chron. Moguntinum.*

pace inter fratres ſancita, Anno ſeculari domum regrediens in itinere deceſſit. Wolfgerus Batauenſis Epiſcopus in ſua prouincia mortuo iuſta pro dignitate & virtutum merito perſoluit, pompámque funeris è BOICA Moguntiam vſque duxit, commemorabili pietate; cùm interim Ludouicus BOIARIÆ

PROBRVM LVD. BOIAR. PR.

Dux ſacram patrui ſupellectilem vltimo eius voto Eccleſiæ deſtinatam velut hæreditario iure ad ſe auerteret: quæ illum hominum inuidiæ & ſiniſtris rumoribus, triſtibus quin etiam votis capiti eius malè ominantium obiecit. Eodem

dem anno VI. Idus April. Adalbertus Salisburgenſis viuere deſiit. Eberhardus Truchſenius Brixinenſis Epiſcopus ſucceſſit. Innocentius Pontifex tranſitionem ad auguſtiorem mitram diu ratam non habuit, neque Pallium per Legatos petenti annuit. Romæ denique ſibi ſupplicem factum ſacræ poteſtatis inſignibus exornauit. Primum publicorum Eberhardi operum, de quo quidem conſtet, Kunegundis Auguſtæ D. Henrici Coniugis conſecratio fuit. Famâ mirandorum operum, quæ de tumulo patrabat, permotus Innocentius Pontifex cæleſtes illi honores decreuerat. Germani Antiſtites Memoriæ nominique incomparabilis Reginæ fauentes magno numero Babenbergam confluxere & leuatam humo inter Diuos in Ara collocarunt: extátque id ſaltem triſtium annorum bonum factum, & rareſcentibus, quæ produci cum laude poſſint, vivorum facinoribus, illuſtris virtus quæſita in tumulo & in exemplum propoſita eſt.

MORS ADALB. SALISB.

S. KVNEGVNDIS IMPERATRIX è TVMVLO IN ARAM LEVATVR. MCCII. *Stero. Literæ Innocent. Pont. Ann. Bamberg.*

VIII.

Feruebant inter Reges æmulos non odia tantùm, ſed bella; ad quæ extinguenda

BELLA INTER ANTICÆSARES.

guenda Wolfgerus Batauenſis tumulato Moguntiæ Conrado Wittelſpachio, medio Andernacum inter & Confluentes loco, pacis interpres conſedit. Eodem Treuirenſis, Colonienſis & Monaſterienſis Epiſcopi acceſſere, viri omnes magno vſu rerum & vtile Regibus conſilium expedituri, ſi eſſet, qui obſequeretur. Offerebatur inſuper præclara occaſio diuertendi aliò, cum gloria, belli. Alexius Iſaacij Conſtantinopolitani Cæſaris F. Alexij patrui tyrannidem fugiens iuſtiſſimis querelis Occidentem implebat, & apud Philippum Cæſarem ſororis ſuæ maritum exilij immeriti mala, & inflictam patri cæcitatem deplorabat. Optima erat cauſa, & propriè ad Reges pertinebat, violata in ſumma dignitate iura humanitatis vindicare. Potiora nihilominus inteſtina bella viſa, & nobiliſſimus cliens ad alios patronos reiectus. Franci Flandríque Proceres cum Bonifacio Ferratenſi Venetorum nauibus in Illyricum tranſgreſſi, Iadara expugnatâ & Venetis redditâ, ſacrum bellum meditabantur. His commendatus eſt, eorúmque virtute in patriam reductus.

ALEXIVS EXVL IN OCCIDENTE AVXILIA CONQVIRIT.

Digitized by Google

ctus. Vbi cùm ſuorum ſcelere ipſam breui vitam amiſiſſet, Latini & hanc & priores Græcæ perfidiæ iniurias vindicaturi non antè deſtitere, quàm regiâ potiti vrbe, euerſóque Græco Imperio, Latinum conſtituerẽt, ad Balduinum Flandrum ſummâ rerum cum Auguſti nomine delatâ. Sub vnius hominis iura redigi Orbis Christianus poterat, & priſtina Imperio facies reddi, altero Romanæ Aquilæ capite dempto, niſi ipſum Germaniæ regnum ambitio biceps effeciſſet. Fauorabilior erat Othonis cauſa & probata Pontifici; cuius partibus cùm Primiſlaus Bohemus acceſſiſſet, regio nomine, quod Innocentius cum Philippo ſentienti negârat, Merſburgi à Guidone Cardinali eſt auctus. Verùm ſimul ac Romæ percrebuit, eum repudiatâ Miſnenſi iuſtâ coniuge Vngaram ſibi copulaſſe, tota prioris facti gratia extincta eſt, mandatúmque Saliſburgenſi Epiſcopo, vti causâ penitus cognitâ diem ei diceret Pontificis de ſe Romæ ſententiam expectaturo. Erat ſub id tempus in armis Saliſburgenſis Epiſcopus. Conrado Ratiſbonenſi foe-

Constantinop. erepta Græcis.

Pontifex Othoni favet.

MCCIII.

Godefrid.

Innocent. Ep. 84. Arnold. l. 6. c. 5.

Stero. Chron. Auſtral. Metrop. Saliſb.

SALISB. ET RATISB. EPP. LVDOVICO BOIO BELLVM MOVENT.

dere iunctus Ludouicum Ducem armis laceſſiuit, quæſitâ causâ, quòd profani homines Patrocinium Ædium rerúmque ſacrarum profeſſi, *Aduocati* vulgò dicti, raptores veriùs quàm tutores eſſent. quos cùm ab ea procuratione Epiſcopi amotos vellent, Ludouicus potiùs quàm de iure veteri quidquam detrahi pateretur, communem ſibi ſuiſque cauſam vi defendendam putauit. Inde promiſcuæ cædes & nihil cuiquam per omnem BOICAM tutum; in arces aráſque nullo diſcrimine ſæuitum; & direptis aliis ſpoliis, Diuûm etiam cineres ſublati, iniuria ad cælum pertinente, & ſubinde claris prodigiis vindicatâ; cuiuſmodi ad D. Goaris fanum, quod in Prouincia Treuirenſi opportuno ſitum loco arcis vſum ea tempeſtate præbuit, non ſine ſtupore mortalium ſpectatum eſt. Wernerus Bolandus tormentis eius Ædis muros verberabat, aduerſus quam vim præter religionem loci nihil admodum prouiſum fuerat ſe ſuáque inde tuentibus; ídque vt conſtaret hoſti, prolata Seruatoris in Crucem ſuffixi Icon

Cæſarius l. 10. c. 19. & 20.

IMPIETAS IN CRVCEM VINDICATA.

eſt.

eſt, eóque depacta loco, qui vnus omnium maximè petebatur. Non erubuit tamen impius miles hanc quoque communem Orbis tutelam violare, & libratum arte telum brachio infixit. Eo ſcelere læſum Numen ſanguis prodidit largè velut è viuentis olim corpore profluens. quod oſtentum Würceburgi repetitum eſt, cùm pendentem ſublime Chriſti effigiem chlamyde, quâ inuoluta viſebatur, deſpoliare miles haſtatus conaretur; excrrante enim in coſtas ferro, rubentibus, quas temerè fecerat, plagis Imaginem omnem cruentauit. Et credi poteſt etiam BOICAM iras Numinis ſenſiſſe; etſi præter mortem Conradi Epiſcopi, qui bello cauſam præbuit, nihil eſt annotatum. IX. Kal. Maij deceſſit, locúmque Conrado Comiti Frontenhuſio gentis ſuæ vltimo hæredi reliquit. Friſingæ ſummæ Ædis Præpoſitus fuit, cùm ad Mitram vocaretur. Eodem anno etiam Wolfgerus Bataueńſis honore auctus eſt, Patriarcha Aquileienſis, Pilegrino mortuo, renunciatus: in eius locum Batauis Poppo ſucceſſit. Memoranda etiam Bertholdi Meranenſis

CRVX SANGVINE MANAT.

MCCIV. *Stero.* EP. RATISB. MORTVVS.

MORS BERTHOLDI

MERANENS. D. EIVSQ. SOBOLES.

ſis Ducis ex Comitibus Andecenſibus mors venit, cuius virtutem Aſiatica potiſſimùm expeditio ſub Friderico I. illuſtrauit. tumulus eius vti & Maiorum Dieſſæ oſtenditur. Ex Octonis liberis, quaternis maribus, totidémque ſequioris ſexus, Otho cognomento Magnus paternam dignitatem ad poſteros propagauit. Ecbertus Babenbergenſem Epiſcopatum biennio ante Patris mortem adiit. Bertholdum Colocenſem Epiſcopum Patriarchatus Aquileienſis expectat. Henricus Limites Iſtriæ & Carniolæ Marchionis titulo tutatus eſt. Gertrudis Andreæ Vngaro, cuius cum fratre ſimultates paulo antè explicuimus, iuncta Eliſabetham Thuringam eximium ſanctitatis ſidus felici partu edidit. Heduigis Henrico Sileſio nupta ſuapte virtute cælum noménque Diuæ meruit. Agnetem Philippus Franciæ Rex eo nomine II. Engelbergæ Danæ per cauſam propinquitatis dimiſſæ ſuperinduxit, ex eáque filium ſibi cognominem tulit; quam iuſtam Regis ſobolem Pontifex pronunciauit, etſi matrimonium id reſciderat, manifeſto argumen-

Paul. Aemil. Chron. Andecenſe.

gumento, ab Agnetis facto dolum malámque mentem abfuiſſe. Atque hæc illa Agnes eſt, quæ aliquot Coronæ ſpineæ ſurculis, quam Iudæorum furor Seruatori impoſuit, Andecenſis arcis Sacrarium ditauit. Albanus Religione Monachus loci Æditimus Christi pendentis effigiem, quæ nunc in Forſtenriedenſi Æde magna religione colitur, erexerat ea ferè tempeſtate, qua genuinam Crucem à Saladino ereptam Chriſtianis luximus. Opus rude & ſimplicitati ſeculi ſui conſentaneum, mirè tamen, etiam hoc æuo, quo pictura ſculpturáque propè cum natura certant, ciet afficítque animos non alienos à pietate; quò faciliùs credi poteſt antiquis in pretio fuiſſe & veneratione. Agnes certè & cùm in paternâ arce verſaretur, adoraſſe illam præcipuâ religione, & incrementa fortunæ ſuæ ei accepta tuliſſe, quódque in Gallia pretioſiſſimum nacta eſt, coronæ, quæ dixi, ſegmenta deſtinaſſe imaginis vertici exornando dicitur: ſiue diuinitus ad id excitata eſt, quod fama affirmat, ſiue affectui, quo imbuta à teneris erat, indulſit.

CRVX FORSTENRIEDENSIS.

ſit. Nobile donum Mechtildis eiuſdem familiæ Herois, cùm coronâ aureâ ex voto Imaginis caput redimiret, inuentum agnitúmque membranæ adiacentis indicio inter reliqua loci ſacra Cimelia aſſeruandum maiore cura repoſuit. Quarta Agnetis ſoror ipſa quoque Mechtildis dicta florem pudicitię Chriſto in Kizingenſi Parthenone innupta conſecrauit. Agneti Gallicarum rerum nuperi ſcriptores Mariæ nomen fecerunt; quódque Meranenſis Principatus appellatio vt pridem deſita ignota iis eſſet, Duce Morauienſi natam, magno quidem errore, ſed tamen ignoſcendo, ſcripſere. Id illis credimus, ante patrem, inſperati diuortij impatientiâ victam extabuiſſe, neque fratrum calamitates, quæ tamen haudquaquam immerentibus paulò pôſt acciderunt, vidiſſe. Hic ipſe annus quartus ſupra ducenteſimum Natalis eſt Landiſhutæ elegantiſſimæ vrbium. Tutela prouinciæ, vnde illi nomen eſt, eius conditioni cauſam præbuit. Moſpurgum inter & Dingolfingam, longo Iſaræ tractu, nihil munitum, tutandis in fœda latrociniorum licen-

Stero. Arenbek. Andr. Presb.

LANDSHVTANÆ VRBIS ORIGO.

licentiâ viatoribus viſebatur. Monti ergo, cui nunc Regia incubat, ſpecula primùm impoſita ædéſque perpaucæ. ea cunabula fuere hodiernæ molis. Mira loci opportunitas & certantis cum cæli clementia vbertas ſoli, ſpes non modò lætiſſimæ ſegetis, ſed vindemiæ quoque è circumpoſitis collibus aliquando petendæ, paſſim vicinos ad transferenda in tam fortunatam regionem domicilia pellexit. Eo concurſu delectatus Princeps præcipiénſque nouæ Coloniæ celebritatem, ne paſſim, omiſſo ſui alienique diſcrimine, tecta molientibus nulla diſtinctione ædificia ſurgerent, naſceretúrque forma vrbis occupatæ quàm diuiſæ ſimilior, directis ſtudioſè vicorum ordinibus, diuiſiſque ſpatiis viarum, nitori iuxta ſalubritatíque conſuluit; vt magnitudine quidem pares maioréſque oſtentare Germania ciuitates poſſit; quæ venuſtate cum hac certent, oppidò paucas. Concurrunt cum Landishutanis originibus Ludouici cum Ludmilla ſeu Laodamia Alberti Pogij vidua nuptiæ fœmineo aſtu conciliatæ. Ictus erat Laodamiæ forma

SOLI FERTILITAS.

LVDOVICI PRINCIPIS NVPTIÆ.

Digitized by Google

Ludouicus, neque diſſimulabat vulnus frequens amatæ hoſpes, & vel cum iniuria potiturus voto ſuo, ſi in prodigam pudoris incidiſſet. Negauit illa ſui copiam fore, priuſquam fidem matrimonij feciſſet. Id quoque dicis causâ annuentem, ſeuocatum in thalamum ad ſponſionem inuitat, & ad depictos in aulæo tres milites conuerſa, teſtes eos pactorum inuocat. Ille nihil moratus pictos arbitros, quibus vtique conuinci non poſſet, largè omnia appromittit. Ibi Laodamia reducto ſipario calliditatis ſuæ ſcenam aperit, quóſque illic abdiderat optimi ſanguinis equites producit, qui tergiuerſantem, ſi opus eſſet, ad officium compellerent. Ita ſcilicet amator captus eſt, leuémque cupidinem maritali affectu mutauit. Laodamia ſaluum pudorem thoro Principis intulit tantò perſeuerantiùs dilecta, quantò certioribus documentis indolem ſponſo probârat. Ne quis tam lætis rebus næuus intercurreret, nouum fœdus cum Epiſcopo Ratiſbonenſi ictum, veterum offenſarum obliuione inductâ & arctiſſimis beneuolentiæ vinculis com-

FOEMINÆ PRVDENTIA.

Digitized by Google

communi conſilio excogitatis, ſpondente Ludouico, ſi prolem iuſto thoro nullã tuliſſet, Kelheimium ſe, Lengenueldam aliáque trans Danubium loca plura; cis flumen illam ipſam tam auſpicatò conditam Landishutam Epiſcopis Ratiſbonenſibus traditurum. Viciſſim Toparchia Inalpina, quà Oenus flumen è montibus erumpens per plana diffunditur, Ludouico iure beneficiario permiſſa; ſpes etiam emolumentorum aliunde capiendorum facta, ſi ad poſſeſſiones enumeratas Ducis etiam titulum Eccleſiæ fruendum adieciſſet. Conceſſum inſuper, vt Comitiis Pontificiis iure quo qui optimo intereſſet, & cum ſuffragatoribus in medium conſuleret. De arce Khufſtainia cùm diu diſputatum eſſet, præſtarétne dirui eam funditus, an in Principis ditionem tranſire, eſséntque, qui mediam viam ſecuti poſſeſſionem eius inter Principem & Epiſcopum diuiderent, ita denique conuenit, vt Ducis tota eſſet. Iura quoque quæ Epiſcopus cum Principe in vrbe communia habet, carpi viciſſim contrectaríque ſolita, ne quotidiana-

Digitized by Google

rum litium ſeminaria eſſent, diſtincta accuratiùs certíſque limitibus circumſcripta, vti alio loco opportunius trademus. Fœderis conditiones firmatæ tabulis ſunt, quas Philippus Rex probatas ſuo nomine vulgari iuſſit certiſſima pacis fundamenta; cùm interim ipſius & Othonis ambitione Germania ciuili ſanguine flueret: tanto facilius eſt aliis leges dare, quàm imperare ſibi. Eorum bella etſi ex inſtituto non damus, Ottonis tamen Wittelſpachij, qui Ludouici Boii patruelis fuit, rebus commemorandis officium facimus. Adornarat alteram hoc anno in Thuringos expeditionem Philippus, Hermanno gentis Principi Othonianarum partium ſtudioſiſſimo imminens, quem in Weiſſenſeenſi vrbe obſeſſum ad vltimas redegit anguſtias. Vna erat in Ottocaro Bohemo ſpes, qui cum ingentibus copiis aduentare ferebatur. Is tamen vltra Orlamundam non progreſſus belli impetum in ſe vnum auertere non eſt auſus; preſsúſque propinquitate hoſtis, tranſitione ad Philippum ſimulatâ, iter ſibi explicauit. Fugientem Otto Wittelſpa-

Arnold. l. 6. c. 8. Godefr.

OTTO WITTELSP. BOHEMVM FVGAT.

ſpachius cum expeditis quadringentis inſecutus continenti vſque ad Bohemicos ſaltus curſu fatigauit. Id Philippi res magnis acceſſionibus auxit, ſummis vtriuſque Ordinis viris cauſam eius amplectentibus; quos inter Adolphi Colonienſis plus quàm deſultoria leuitas eminuit; cùm regia inſignia, quibus nuper Othonem ſua ipſe manu exornauerat, in Philippum tranſtulit, eíque adiumento fuit, vt Coloniâ quoque, quæ in fide Othonis perſtiterat, poſt biennium potiretur: quibus rebus Otho in eas difficultates eſt adductus, vt ex arce VVaſſinberga duobus non amplius familiarium ſtipato fuerit profugiendum. In hunc modum vtramque viciſſim fortunam expertos Henricus Pappenhaimius in colloquium contraxit, fruſtra concepta ſpe, vel ambos vel alterutrum certè ad prenſandi acceptandíque mitioris conſilij patientiam detumuiſſe. Sed re infecta diſceſſum eſt. Otho, ne quid intentatum relinqueret, ad accerſenda noua ex Anglia auxilia, eodem nauigauit. Non difficile interim Ludouico Boio fuit, Bohemum, quem Othonis

PAPPENHAIMIVS IN CONCILIANDIS ÆMVLIS REGIBVS OPERAM PERDIT.

Stero. Dubrau. l. 15.

BOIVS BO-

HEMVM PHILIPPO CONCILIAT.

nis pigere iam cœperat, Philippi partibus adiungere. vt firmior eſſet amicitia, affinitate etiam firmata eſt, Kunegunde Philippi filia VVenceslao Ottocari Filio deſponſa. quo ferè tempore Poppo

Arnold. l. 7. c. 6. Alb. Stad. Godefr.

Batauenſis Epiſcopus moriens Mangoldo Chremenſi & Tegerenſi Abbati ex Bergenſium Comitum ſanguine mitram reliquit. Anno ſeptimo Cardinalibus duobus Internunciis Innocentius PontifexReges ad concordiam nequidquam inuitauit; neutro ad parem, nedum

MCCVIII.

priorē ferendum deſcendente. Mitiorem tamen in Philippum animum Innocentius cepit, maximè poſtquam anno proximo VVolfgerus ex Batauenſi Epiſcopo Patriarcha Aquileienſis eius Romæ cauſam egit, ſpe etiam nonnulla iniecta ſedandorum motuum, ſi Philippi Filia, annuente Pontifice, Othoni iungeretur; vtique enim ſocero generum aliquà ceſſurum. Sed priuſquam ea res perfici potuit, Philippus x. Kal. Iul.

Godefr. Laz. de Rep. Rom. l. 12. Nicolaus Vignierius in Chron. Burgund.

de medio eſt ſublatus. Fratris ſui Othonis Burgundiæ Ducis Filiam Beatricem Othoni Meranenſi deſponſam in Tirolim proficiſcentem aliquouſque honoris

ris cauſâ deduxerat, impletóque officio regreſſus Babenbergam Spirenſi duntaxat Epiſcopo, Henrico VValdpurgio & Cubiculi præfecto retentis, curas etiam ſepoſuerat, quòd inciſâ vtriuſque brachij venâ quiete remiſſionéque indigeret. Obſeruauit eam ſolitudinem Otto VVittelſpachius, vt opportunam meditato ſceleri, & per ſpeciem ſalutandi Regis, nemine prohibente, cum inſigni comitatu, quem illi Henricus Andecenſis Marchio Iſtriæ, eiúſque frater Ecbertus Babenbergenſis Epiſcopus addiderant, in intimam regiam penetrauit. illic nudum armigeri enſem ex vſitato laniſtarum artificio perdiu ventilans ad ipſum denique Regem ludibundus ingreditur: qui etſi Ottonem minimè ſuſpectum haberet, offenſus tamen crudâ licentiâ ferrum in ſuis oculis vibrantis iuſſit intempeſtiuum gladiatorem faceſſere & aliud ſibi quærere theatrum. Nihil opus eſt, inquit Otto; hîc habeo « feram meam, quæ Imperium biceps ef- « fecit, & fidem vnicum humanæ ſocieta- « tis vinculum ex orbe terrarum ſuſtulit; « vnáque cum dicto ſecundum ceruicem paruo

PHILIPPI CÆDES.

OTTO WITTELSPACH. CÆSAREM INTERFICIT.

paruo ſed lethali vulnere nec-opinantem icit; VValdpurgij etiam Dei hominúmque opem inclamantis obdentíſque peſſulum oſtio malam luculentâ plagâ diſcidit, & inter tumultum ela-

ELABITVR. pſus rebus omnibus ad fugam neceſſariis multò antè præuiſis, nullam ſui conſequendi ſpem regiis amicis inaudito ante illum diem parricidio attonitis reliquit: cui excuſando palliandóque etſi nullus color ſuppetit, aperiendæ tamen

CAVSÆ ODIORVM ET CÆDIS. *Conrad. Fabar. c. 7. Arnold. l. 7. c. 14. Vrſperg. Otto de S. Blaſ.*

cauſæ ſunt, quæ nobiliſſimi ſanguinis virum, Philippici exercitus ducem, & nuper admodum, fugato Bohemo, eximiæ fortitudinis fideíque laudem adeptum in tantam immanitatem impulerunt. Filiam Ottoni deſponſam Philippus murata voluntate alteri elocauerat, offenſus ſanguinario eius ingenio tum potiſſimùm ſeſe oſtendente, cùm in BOIARIA VVolfonem bonis natalibus & virtute ſua Principi percharum de medio ſuſtuliſſet. Sugillatus eâ repulsâ Otto iram tamen in poteſtate habuit, donec maior iniuria patientiam efferauit.

PHILIPPI ERGA OT- Nam cùm amorem ad Henrici Poloniæ Ducis filiam tranſtuliſſet, à Philippo flagita-

gita-

gitauit, id ſaltem ſuis erga ſe meritis daret, & auctoritate regia interpoſita pactis nuptialibus robur adderet; ſimul tabulas prolixè annuenti in manus dedit; quæ deinde Philippi iuſſu vitiatæ obſignatæque ſunt. Fraudem tralucens per membranam litura detexit. Otto reſignatum libellum literarum ipſe rudis ad interpretem defert, comperítque aliâ prorſus ſententiâ ſcriptum quàm vellet, & exemplum Bellerophontis inſerepetitum eſſe. nullum verbum inerat niſi atrox natúmque ad inuidiam Ottoni conflandam, ne quiſquam eum ſibi generum vellet. Deteſtatus ergo plus quàm Punicam perfidiam & alieniſſimum à candore Germanico facinus cupidum vindictæ animum exſaturare niſi Regis morte non potuit. Cæſarius Religioſiſſimus Scriptor æqualis horum temporum alia etiam ferocioris ingenij argumenta in Ottonem congerit, quem vitioſè Bertholphum nominat; nam & triobolaria eum furta laqueo vindicare ſolitum; neque vnquam foras prodiſſe, niſi multa reſti ſuccinctum, ne in furum venatu ſcilicet illi

TONEM INIQVIS ANIMVS.

Cæſar. l. 6. c. 26.

SEVERITAS OTTONIS IN SCELERATIS PERSEQVENDIS.

retia

Digitized by Google

retia deeſſent. Olim etiam ad conſue-'tam indaginem comparanti ſe, vocem neſcio vnde allapſam, quæ agi ab eo in furcam iuberet, qui primus iter ingreſſo ſeſe obtuliſſet. Neq; dubitauit oraculo obſequi, & honoratiſſimum virum iuri dicundo à ſe præfectum haud alio quàm fortuiti occurſus indicio reum peractum laqueo addicere. qui vbi de ſententia dimoueri Ottonem poſſe deſperauit, palàm faſſus eſt haudquaquam innocentem ſe plecti; ſed latrociniorum, rapinarum & multiplicis perfidiæ, quorum tamen præter Deum conſcium haberet neminem, pœnas exſoluere. Philippi morte vulgatâ, ad Othonem Imperij æmulum ſine dubitatione omnia reciderunt; & Saxones quidem Halberſtadenſibus Comitiis; Boii, Francones & Sueui Francofurtenſibus regnum illi confirmarunt. Otho viciſſim Ludouico Boio hæredibúſque Principatûs iura ſtabiliuit. Eidem Toparchiam Möringenſem & certum agri modum, quo Philippi Regis filiæ fruebantur, contradidit. Iure præterea omni ad repetenda bona, quibus pater eius Henricus Leo,

AD SCELESTVM HOMINEM SVSPENDENDVM DIVINITVS EXCITATVR.

Arnold. l. 7. c. 15.

OTHO ABSQ; ÆMVLO IMPERAT.

OTHO CÆS. IVRE PA-

cùm proſcriberetur, exciderat, ſponte ceſſit, fratribus etiam inductis, ne litem Ludouico, qui ea occupaſſet, motam vnquam vellent. Quidquid denique Wittelſpachij & Andecenſes beneficio Cæſarum poſſederant, ſine exceptione in Ludouicum tranſtulit. Ea dum fiunt, Beatrix Philippi filia à Spirenſi Epiſcopo in conſeſſum Procerum adducta necem paternam ne iis quidem, quorum commodo patrata fuerat, probatam vindicari in auctores ſuos poſtulauit, ſic paucis ore lacrymis infuſo prolocuta: Quæ me res eloquentem facere debuit, eadem non elinguat tantùm ſed penè exanimat, Patres. Nefas inuiſum inauditúmque, neque vllo antehac æuo exprobratum Germaniæ, Cæſarem in ſua oppreſſum regia Cæſaris filia ingerere veſtris auribus cogor. Ad quod ſcelus exaggerandum etſi natura fœminam lacrymis, pietas filiam ſingultibus inſtruxit, verba tamen vtrique deſunt; quòd quæ maiores noſtri futura nunquam putarunt, ea ne nominibus quidem afficienda crediderint. De dolo, de fraude, de vi conquerar? latrocinij, aut quo

TERNO IN BOICAM CEDIT.

PHILIPPI FILIA PATERNÆ CÆDIS VINDICTAM POSCIT.

Digitized by Google

nullum atrocius habemus crimen, parricidij reos peragam infandiſſimos Sicarios? facinora nimirum nominabo capitalia illa quidem & culeum merita, etiam cùm in plebeio ſanguine exercentur: ſed progeniem Cæſarum, coronatum Regem intra domûs ſuæ penetralia, manu, quam amicam credidit; ferro, quod ſtringi antea pro ſalute ſua viderat, mactari non inermem modò, ſed iam ſaucium obligatúmque, id denique flagitium eſt, quod ſicuti nomen non habet, ita neque piaculum neque ſupplicium dignum ſua immanitate reperiet. Et ſanè idipſum in cauſa eſſe dicam, quòd quintum iam menſem Cæſar inultus iacet. ampliatus ſcilicet eſt reus, necdum inuentâ pœnâ, quæ conueniat Interfectori Cæſaris. Vnum hoc crimē nōdum vindicauit Germania, nec vidit. Noſtrum demū æuum hoc ſtigma feret indelebile ad poſteros, & priora omnia ſæcula ſi nō abſoluet, faciet tamē innocentiora. Veſtrum erit cogitare, Patres, ne ſummā infamiam etiam altera exaugeat; quæ quantacunq; futura eſt, vobis tota luenda erit; ſi regio ſanguini per ſum-

ſummã crudelitatem fuſo defuiſſe vindex dicatur, quæq; obſcuriſſimus quiſq; legum tribunaliúmq; beneficio impetrat ſolatia, Cæſaris filiæ inultos patris ſui Manes vobis commendanti negetis. Reipublicæ proinde ſummæq;, quæ in terris eſt, Maieſtati, quo quidẽ modo videbitur, parẽtabitis; me & orbam, & luctu oppreſſam, ſi non regio at certè publico iure frui patiemini; ne parricidæ veſtrâ indulgentiâ ſubleuati aut iudicio elapſi cauſa approbata, & pater meus iure cæſus videatur. Plura loqui conantis vocẽ dolor oppreſſit. Principibus verecundiæ fuit, in re tam manifeſta admonendos ſe officij à fœmina fuiſſe. Æqua eius omnibus poſtulata viſa. Otto hoſtis Reip. declaratus: Ecbertus Babenbergenſis Epiſcopus & Henricus Andecenſis fratres Coniurationis ſocij pariter proſcripti; & quia metu iam profugerant, hic quidem in Palæſtinam, ille ad affinem ſuum Andream Vngariæ Regem, vbicunque exularent, id eis iuſtum exilium eſſe Principum Senatus concordi ſententia ſciuit: quæ deinde Norimbergæ, & ſequenti anno, Regalibus,

VLTIO PARICIDII.

CONSCII PROSCRIPTI. MCCIX.

Digitized by Google

Auguſtæ repetita, & tam Otto, quàm Henricus Andecenſis ex formula Iuris Boici titulis poſſeſſionibúſque exuti ſunt, ſpe omni reſtitutionis præciſâ. Palatinatus BOIARIÆ, proxima à Principatu dignitas, in Ratpotonem Ortenburgium tranſlatus: Otto ipſe cùm vagus & exul aliquandiu latuiſſet, Oberdorffij ignobili ſupra Ratiſbonam vico, ab Henrico Pappenhaimio & Wolfonis ab eo interfecti filio deprehenſus conciſúſque eſt. caput reuulſum à ceruice in Danubium abiectum; truncus Vndenſtorfium delatus diu ſepultura caruit. Nominis etiam memoriæ delendæ arx Wittelſpachia à Ludouico Boio exciſa; area Deiparæ conſecrata, eidémque Ædes illic poſita. reliquiæ Aicham deuectæ; è quibus locus ille in vrbis formã excreuit. Nihilo meliore Andecenſe caſtrum fortunâ fuit. Otho id Phaleiæ Comes cum Henrico Calatino & Ludouico Principe ſolo æquarunt. Oratorium aliquamdiu ſuperfuit. Crucis imago, quam illic magna religione cultam diximus, imminentem cladem prodigioſo ſudore portendiſſe traditur.

OTTO WITTELSPACH. OCCIDITVR. *Arnold. Vrſperg. Stero. Ann. Schir.*

WITTELSPACHIVM EXCISVM.

ITEM ARX ANDECENSIS.

Otho

Otho cæſi Wittelſpachij nuncium Hagenoæ accepit, vbi de Beatrice Philippi filia connubio ei ſocianda actum eſt. Pontifex auctor fuit; neue inauſpicatò iungerentur, legibus eos ſoluit, quibus ob propinquam neceſſitudinem tenebantur. Sponſalia Herbipoli VII. Iunij data, Ludouico BOIARIÆ Duce & Leopoldo Auſtrio Paranymphis. Otho deinde cum exercitu in Italiam tranſgreſſus Imperij inſignia noménque Augusti, Innocentio inaugurante, aſſumpſit. E noſtra gente præter Principem, Batauenſem etiam Epiſcopum in Othonis comitatu fuiſſe comperio; quorum tamen beneuolentiam, vti & Pontificis, haud diu retinuit, D. Petri patrimonium violare auſus & Fridericum Siciliæ Regem contra pacta bello laceſſere: quibus ex cauſis ſequenti anno anathemate fulminatus eſt. Nutare confeſtim eius fortuna & piorum ab eo animi alienari. Primi Ludouicus BOIARIÆ Dux cum Bohemiæ Rege, Leopoldo Auſtrio & Hermanno Thuringo eius partes deſeruere, déque Friderico Siciliæ Rege, quem Henricus pater ad-

OTHONIS CÆS. NVPTIÆ.

Otho de S. Blaſ.

Guiliman. l. 6. Habſburg.

OTHO CÆS. EXCOMMVNICATVR.

MCCV.

Vrſperg.

DESERITVR.

huc puerum, Germania conſentiente, Cæſarem deſignauerat, aduocando conſilia contulere. ea Innocentius rata habuit, & Fridericum aduerſus Othonem omni ope iuuit. Nonnullis tamen Germaniæ proceribus fides Othoni data voluntate Innocentij potior fuit, iam prouidentibus animo tempeſtates vixdum morte Philippi ſedatas eodem vel maiore etiam impetu erupturas. Igitur cùm Babenbergæ anno vndecimo iterum conuentum eſſet, & pro Friderico Moguntinus Antiſtes ſtrenuè laboraret, obtineri non potuit, vt Othoni Imperium abrogaretur. Ecbertus tamen eius vrbis Epiſcopus, quem ob Philippi cædem ſuſpectum profugiſſe diximus, ſedi ſuæ reſtitutus eſt, ſiue purgatâ, ſiue condonatâ noxiâ. Sub id tempus Otho de motibus Germaniæ certior factus ex Italia rediit; conuocatíſque Norimbergam Principibus ſuſceptæ cum Pontifice ſimultatis rationem reddidit. mox Thuringum, iniquiorem præ aliis in ſe animo, bello perſecutus, grauiſſimis cum damnis afflixit. Celebratis deinde nuptiis, quarto die vxorem

FRID. EI ÆMVLVS OBIICITVR.

Godefrid.

MCCXI.

MCCXII.

OTHO PRINCIPIBVS SATISFACERE CONATVR.

Vſp. Conr. Fabar. c. 8.

rem amiſit, acceleratâ, vt quidem ſuſpicio tum fuit, morte; Othone haud ignaro, ſi non etiam autore. Fridericus interim Regni æmulus emenſâ Italiâ, comperto, obſeſſa ab Othonianis itinera, inuia Ræticarum Alpium perreptans iuga à Curienſi Epicopo & Sangallenſi Abbate Conſtantiam deductus eſt, Vberlingam cum exercitu tenente Othone, multò minore gratiâ, ob repetitas inçum ab Epiſcopo Barenſi Diras. Rhenum tranſire nuſquam auſus dextram fluminis oram legens Briſaci aliquamdiu ſubſtitit; vbi breui in tantum Ciuium contemptum venit, vt correptis armis in copias eius impetum facerent, ipſúmque iam omnia metuentem in Saxoniam reijcerent. BOIARIA bello inteſtino flagrabat, Manegoldo Batauenſi Epiſcopo & Ratpotone Palatino inter ſe digladiantibus. Non ſtetit intra cædes furor. Religio etiam afflicta eſt, ſacris profaníſque opibus eodem turbine inuolutis. Templis Cœnobiíſque iniectus ignis; inter quæ Aſpacenſe, S. Andreæ peruigilio, penitus conflagrauit. Albertus Pogius Laodamiæ ex priore

FRID. IN GERM. VENIT.

OTHO FVGATVR.

Stero. Hundius in Metrop. & Stemm. Lib.

TVMVLTVS BOICI.

Digitized by Google

marito filius cum Epiſcopo arma conſociauerat, impatiens otij & grauis Monaſterio Altahenſi vicinus; cui cùm Helingerſpergam arcem Altmannus teſtamento legaſſet, eámque Poppo Abbas vt frenum libertatis ſuæ exſcindere cogitaret, Albertus id non niſi multo auro expugnatus conceſſit.

IX.
Alb. Stad. Godefrid. Ann. Colmar.
PVERILIS EXPEDITIO.

Cæterum annus hic memorabili & ante hoc æuum inaudita expeditione ad poſteros inclaruit. Puerorum ex omni Germania conglobati greges eodem repente omnes calore animi incitari, maiora ſpirare annis ſuis, & pro crepundiis arma poſcere; nil niſi bellum, ſanguinem & trophæa loqui; nullis ætatis ſuæ illecebris, nullis parentum blanditiis capi: certatim aſſuere veſtibus Cruces, & mirâ conſtantiâ Palæſtinam ſibi & ſanctiſſimum Chriſti ſepulchrum deſpondere. Ea primùm vt ſomnia lymphatorum adultis eſſe riſui, explodi pumilorum cum gruibus certamina, & ſolennibus eius ætatis ſuppliciis intempeſtiua ferocia caſtigari. Poſt vbi non vnius vrbis ſed pleræq; Germaniæ Ephebi agere eadem & ſeriò accingi ad iter, com-

Digitized by Google

comportare neceſſaria vſui, centuriare copias ſuas, & viginti non minus capitum millia ducere ſub ſignis conſpecti ſunt; attoniti prodigio mortales alij ad ſecreta Dei conſilia, alij ad præſtigias & humanarum mentium ludibria puerile conſilium retulére. Parentes maximè, qui chariſſima ſibi pignora, ſpem poſteritatis auelli è ſinu ſuo dolebant, vi abreptos arctiſſimis domi cuſtodiis ſepſerunt, rati mentem iis redituram, vbi à conſpectu & contubernio œſtro percitorum eſſent abducti. Vana ea quoque diligentia fuit. effractis repagulis, eluſis cuſtodibus, etiam per præcipitia de feneſtris tectiſque ædium, periculoſo ſaltu librantes corpora ad ſua ſigna euaſere. Ita paſſim creditum, non vecordiâ eos ſed impulſu Numinis agi; collata liberaliter ſubſidia apta fouendis cœptis; quacunque irent, expreſſæ gaudio vel miſeratione ſpectatum effuſis lacrymæ; votis precibúſque proſequebantur candidam pubem; irent noui Dauides contra Gigantes Philiſtæos, & commodarent teneras vires Infirma Mundi eligenti Deo ad humanæ impietatis fa-

NVMERVS PVERILIS EXERCITVS. *Nauclerus.*

CONSTANTIA IN VRGENDIS COEPTIS.

SENSVS POPVLI IN ILLO INFANTIÆ MOTV.

Digitized by Google

ſtum debellandum; ſtatuerent trophæa negata viris, & parum ſanctis manibus tractatam Crucem puri caſtique in ſuam ſedem reponerent; quémque olim triumphum Pueri Chriſto Solymis adornaſſent, in eadem vrbe cum palma lauróque repeterent, obſcuraturi tot Regum Cæſarúmque expeditiones Aſiaticas inuitis Superis ſuſceptas, paritérque monſtraturi orbi terrarum, non viribus tantum armíſq; quantum Innocentiâ in bellis nitendum. Summus adeò Pontifex rei nouitate miraculóque attonitus exclamaſſe fertur, Ignauiam viris à pueritia exprobrari; iíſque injurias Numinis diſſimulantibus, prodire tales vindices; vt ore manúque Infantium & lactentium eius gloria impleatur; tantóque ardentiùs miſſis quoquouerſum Epiſtolis excitare pios omnes ad capeſſendam ſanctam militiam inſtitit. Porrò ſiue eò duntaxat Diuinitatis conſilia ſpectarent, vt hoc præludio robuſtior ætas euigilaret; dum vtique pudori eſſe viris debuit, ſi, cùm primas his tironibus conceſſiſſent, etiam ſequi dubitarent, quà illi præiuerant;

PONTIFICIS VOX.

Digitized by Google

rant; ſiue compendium iis ad cælum quæſitum, ſiue reuera faſcino quopiam ſimplicitati puerili illuſum eſt, certè ardor ille præcox in fumum breui abiit. Multi inſolentiâ laborum, fame, ſiti, laſſitudine periere: qui per Alpes eluctati ſunt, latrunculorum improbitate ſpoliati, aut in piraticas naues illecti mari poſtea merſi, vel, quod miſerabilius etiam fuit, Saracenis, ad quos debellandos iter ſuſceperant, in ſeruitutem pretio addicti ſunt. Sequenti anno, Feriis Virginis luſtratæ, Fridericus Rex acclamatus BOIARIAM adiit, & Ratiſbonæ Procerum Conuentus egit. Paulò pòſt de Gertrudis Vngariæ Reginæ, quam ex Andecenſi ſanguine Bertholdi Ducis Meranenſis filiam alibi diximus, indigna nece cognitum eſt. Andreas Rex Gertrudis maritus in Ruthenos arma mouerat. Eius abſentia Petrus quidam nefarius homo abuſus Reginam inopinantem cum ſociis coniurationis opportuno loco aggreſſus occidit. Conſcium ſceleris Strigonienſem Epiſcopum fuiſſe conſtat, vt qui coniuratis Epiſtolâ perplexè ſcriptâ animos addiderit,

PVERILIS EXPEDITIONIS TRISTIS EXITVS.

MCCXIII.

Stero.

CÆDES GERTRVDIS ANDECENS. REGINÆ VNGAR.

rit, quam iiſdem, quibus concepta eſt verbis apponam: Reginam occidere nolite timere bonum eſt. Si omnes conſentiunt, ego non contradico. Quæ ſentẽtia nullâ notâ diſtincta tam vetantis quàm iubentis eſt; quo pacto & à Sicariis poſſet intelligi, & Epiſcopum, ſi quæſtio cædis inſtitueretur, manifeſtè non teneret. Emanauit nihilominus ſcelus & Annalibus Altahenſibus, qui Hermanni Abbatis ſunt, ſed Steroni vulgò, quo notario vſus eſt, attribuuntur, perquam commodè inſertum, ad eluendam improbæ calumniæ fabulam, quæ in Reginam Innocentem conficta multis ſcriptoribus impoſuit. Ita enim Bonfinius ſcripſit, Petrum Banebanum, Andreâ in Aſiam profecto, regno toti vicaria poteſtate præfuiſſe. in cuius vxorem cùm Reginæ frater oculos conieciſſet, faſſum ſorori amorem, ab ea impetraſſe, vt potiundi copiam ſibi faceret: ita ſcilicet Lucretiam Tarquino proſtitutam. Id probrum cùm vxoris relatu Petrus cognouiſſet, occultato ſub veſte telo, ad reginam ingreſſum pœnas ab ea lenocinij morte exegiſſe. Populo dein-

EPISCOPI AD FALLACIAM COMPOSITA EPISTOLA.

Dec. 2. l. 7.

BONFINII NARRATIO REGINÆ PROBROSA.

Digitized by Google

deinde conuocato, ferróque, vti erat cruentum, oſtentato, facinus ſuum eiúſque patrandi neceſſitatem ſine ambagibus aperuiſſe; profeſſum palàm nullius ſe mortalium neque ipſius adeò Regis iudicium defugere, ſuámque cauſam apud eius tribunal acturum. Rectà mox ad Regem profectum, cùm ad Boſphorum Thracium hærentem offendiſſet, ſine fuco, id quod res erat, denarraſſe ei immoto & cauſam integram in ſuum è Syria reditum reijcienti. Tum denique de vxoris ſcelere quæſtione habita, iure eam cæſam videri, Petro liberali ſententiâ abſoluto, pronunciaſſe. Quod commentum etſi Abbatis Hermanni laudatiſſimi viri & horum temporum æqualis teſtimonio, ſi vel ſolum ſit, conuellitur, qui Petrum parricidam proxima à patrata cæde nocte cum ſociis iugulatum ſcripſit, ſuamet inſuper vanitate corruit, & auctorem non ignorantiæ modò ſed falſi etiam conuincit; qui nullâ Ruthenicæ expeditionis notitiâ, Aſiaticam præ quàm fidenter ſubiicit, quinque annis reginæ morte poſteriorem, quod vel ex domeſticis Ioannis Thu- REFELLITVR.

Digitized by Google

Thurocij chartis diſcere potuit; qui etſi Reginam proditæ pudicitiæ inſimulat, de Petro tamen parricidij cauſam agente verbum nullum habet; ſed id potiùs, non in illius modò caput, ſed proximas etiam neceſſitudines, execrabili & horrenda ſanguinis effuſione (hæc enim Thurocij verba ſunt) ſæuitum: vt manifeſtum ſit, appendicem illam fabulæ ad oſtentationem ſcenæ, mulcendis auribus, aſſutam: qua fingendi licentiâ nonnemo ex noſtris etiam territus Ecberto Bambergenſi Epiſcopo adulterij notam; alius Bertholdo Aquileienſi inuſſit, æquali in vtrumque iniuria; cùm prior ante biennium ex Vngaria emigrârit, poſterior Colocenſis hac ætate Archiepiſcopus haud temerè ad Patriarchium Aquileienſe aſcenſurus fuerit, ſi famam tanto ſcelere commaculaſſet: cùm eius nomen Andreas Rex in multo minore cauſa ad Pontificem Innocentium detulerit, repetundarum eum ob theſauros vxoris ſuæ auerſos inſimulans, minimè omiſſurus adulterij ſugillationem, ſi fœdatum eo probro agnouiſſet. Addamus velut ex ſuperuacuo

Staindel. *Arenpek.*

Extat Epiſtola Andreæ in To. 1. Geſtorum Dei per Francos.

l. 6 c. 8.

cuo Theodorici, à quo res Eliſabethæ Thuringæ Gertrudis noſtræ ſanctiſſimæ filiæ literis commendatæ ſunt, haud ſanè leue argumentum; qui ſupplicaſſe matrem filiæ è piacularibus flammis, & vnica eius prece inde ereptam optima fide ſcripſit: cùm lenæ vtique & crudeli pudoris hoſti tam expeditum ad beatitatem iter patuiſſe animus refugiat credere. Anno ſequenti Otho Bouinenſi pugnâ memorabili in paucis à Philippo Franciæ Rege victus eſt nunquam ab illa ſtrage reſpiraturus. Cauſam bello illatæ fœderatis iniuriæ, & illa etiam propria, dedére, Othonem ad capeſſendum Imperium per Gallias iter agentem riſerat Gallus, quaſi vanæ ſpei nimiùm indulgens haud pro modulo fortunæ, tum quidem mediocris, ſeſe metiretur; auſus etiam pignore certare, coronam in eius caput nunquam aſcenſuram. Ipſe ſibi ex equis, quos plurimos auro graues Otho ex Anglia adduxerat, optandi quem vellet, copiam faceret; ſe viciſſim Imperatori ſalutato Pariſios, Aurelianum, & Stampas reſignaturum. Accepta vtrinque conditio eſt. Sed Gallus

OTHO PRÆLIO VICTVS. MCCXIV. *Godefrid. Alb. Stad. Vſperg. Arnold. Chron. ſlau. l. 7. c. 17. Mõ. Paduan. l. 1. &c.*

QVANTO INTER OTHONEM & PHILIPPVM R. GALLIÆ PIGNORE SIT CERTATVM.

Gallus promiſſi admonitus accuſari le-uitatem ſuam, quàm multari pignore tolerabilius duxit, ſemper Othoni ad-uerſus & æmulis eius Philippo & Fride-

MCCXV. EPISCOPATVS CHYMENSIS INITIA.

rico arctiſſimo fœdere annexus. Annus quintus decimus Lateranenſi Concilio inclaruit, vnde in BOICAM priuatim id boni deriuatum, ut Chymenſi Epiſco-pio augeretur. Rudigerus Radekius pri-mus omnium ei præfectus eſt; quo ferè tempore Manegoldo Batauenſi Vlricus frater eius vti & Henrici & Theobaldi, quos in eadem ſede omnes aſpeximus, ſucceſſit, raro ſine dubio exemplo, vt eadem mitra quaternis fratribus impo-neretur, cùm quintus Otho nomine

Godefrid.

Friſingenſem hoc ipſo tempore lauda-biliter ferret. Kal. Maij Fridericus An-dernaci cum Proceribus de Rep. con-ſultauit; quo in loco Ludouico BOIA-RIÆ Principi iniecta religio eſt, vt Cru-ce inſignitus ſacræ ſe militiæ deuoue-

LVD. BOIVS CRVCE SIGNATVR.

ret. moti eius exemplo nobiliſſimi qui-que idem ſacramentum dixere. Ipſe ad-eo Fridericus VIII. Kal. Aug. Regiis A-quiſgrani inſignibus à Sifrido Mogun-tino acceptis Ducem Chriſto auctora-

tis

tis fore ſe profeſſus eſt; certatim nomina dantibus vtriuſque Ordinis ſummis viris; quos inter Otto Meraniæ Dux eiúſque frater Ecbertus Babenbergenſis Epiſcopus, quemque paulò anteà Batauis inauguratum diximus, Vlricus, fuere. Ea promiſſa à multis in plures annos extracta ſunt; ſiue pietas intepuit, ſiue res domeſticæ transmarinis potiores viſæ. Primi ſe in viã anno MCCXVII dederunt Andreas Rex Vngariæ, Leopoldus Auſtriæ, Otto Meraniæ Duces, Ecbertus Babenbergenſis Epiſcopus & Dynaſtæ complures; quibus Iacobus de Vitriaco Ducem BOIARIÆ annumerat; quem certum eſt quatuor adhuc annos domi ſubſtitiſſe: vt Ottonem Meranenſem ipſum quoque BOICI ſanguinis Ducem hoc ab eo nomine affici veriſimile ſit; qui eo quidem bello ſuis dedecoris plus, quàm gloriæ ſibi peperit, vt quem Chriſtiani acriorem hoſtem, quàm Saraceni ſenſerunt. Contrà Ducis Auſtriæ Leopoldi virtus incomparabilis fuit. Vngarus Iordane flumine ablutus, quaſi ea tantùm gratia veniſſet, properè domum rediit, tumultibus

A. MCCXVII. *Stero. Iacob. de Vitriac. l. 3. Godefrid.*

CRVCE SIGNATORVM DIVERSA STVDIA.

Tt regni

regni per abſentiam ſuam exortis retractum ſe apud Honorium Pontificem, qui Innocentio ſuffectus fuerat, cauſatus. Eius & ſi qui præterea patriam pietati prætulere, vicem nouæ claſſes ex Germania Inferiore, Anglia, Francia, Italiáque penſarunt. Iis viribus Damiatam tentari placuit nobilem ad alterum Nili oſtium, quod è Syria Ægyptum intrantibus occurrit vrbem, ſed penè inacceſſam, quòd & ferrea catena vtrumque littus committeret, & lateritia turris obſtaret ſubeuntibus omni genere telorum & egregiis propugnatoribus referta. Sed catenam impunè rupit Chriſtiana virtus. turris expugnatio multo ſanguine ſtetit. Cùm alia artificum machinamenta parum ſuccederent, reuinctis inter ſe nauibus turris lignea perpetuâ contabulatione, tignis firmiſſimè confibulatis, in parem barbarorum turri educta altitudinem, remis aduerſus eam impulſa eſt; ſpacium inter vtramque relictúm ponticulo, qui erigi inclinaríque ad arbitrium poſſet, inſtratum, per quem miles procurrens rectà in hoſtem iret. Ad eam molem diffici-

Extant l. 1. G ſtorum Dei per Francos, in fine.

MCCXVIII. DAMIATÆ OPPVGNATIO.

MACHINA MILITARIS.

diſiiciendam non modò tormenta Barbari diſpoſuerant, ſed malleolis inſuper & Græco igne fulminabant eminus cominúſq;, oleo etiã infuſis trabibus, quæ explicato ponte ipſorum ſtationem cõtingebãt, vt eò auidiùs conciperent flãmam. Ad eã extinguẽdam pluribus proſilientib⁹, nimio depreſſum põdere ſcalæ caput ſigniferũ Ducis Auſtriæ, qui in primam frõtem euaſerat, cũ ſociis quadraginta, quos inter etiam Bertholdus Pogius fuit Ludmillæ ex priore marito filius, in Nilum effudit. Barbari vexillo potiti victoriam conclamabant. Noſtri cælo manus leuantes & circumfuſi præſenti in caſtris Cruci admouebant vim Numini, donec illius magis quàm mortali vlla ope manúque pons ſopito incendio erectus firmum noſtris iter præbuit. Primus ex Eburonibus oriundus Iuuenis ad hoſtem tranſiliit. tum aliis ſuper alios irruentibus ſumma ſtatio deſerta inflammatáque eſt. Inſtabant tanto ardentiùs noſtri, & diurno pariter nocturnóque laſſatos conflictu Leopoldo Auſtrio deditionem facere coëgere. Propiùs deinde vrbi admota obſidio,

BERTHOLDI POGII MORS.

Stero MS.

MIRACVLVM S. CRVCIS.

OBSIDIONIS DIVTVRNITAS. LEOPOLDI AVSTRII VIRTVS.

dio, quæ per annum integrũ & aliquot mẽſes tolerata cladibus alternis noſtros pariter Barbaróſque afflixit. Leopoldus eius exitu non expectato, gloriæ magis quàm laborum ſatur patriam repetiit in Teutonicos Templarióſque milites tam munificus, vt dubium reliquerit, liberaliórne an fortior haberetur. Numerum, eo decedẽte, Sigefridus Auguſtenſis Epiſcopus cum honeſtiſſimo comitatu, in quo etiam Vohburgenſis Comes cenſebatur, ſuperueniens expleuit. Nonis denique Nouembribus anno eius ſeculi vndeuiceſimo, Damiata malis omnibus humanis diuiníſque, ac potiſſimùm, vt mihi quidem videtur, potentiſſimis Franciſci Seraphici viri, qui in caſtris præſens aderat, precibus expugnata venit in poteſtatem; cùm ex ſeptuaginta incolarum millibus tria duntaxat millia famam peſtilentiámque euaſiſſent; quibus vitæ gratia facta, ſi vrbem cadaueribus, quæ paſſim inſepulta tabo fluebant, purgauiſſent. Domi interim Wolfgero Patriarcha Aquileienſi defuncto, Bertholdus Andecenſis, quem ſupra ſuſpicione fœdiſſimi

Vrſperg.

MCCXIX.

D. FRANCISCI PRÆSENTIA AD VICTORIAM CONFERT.

ſimi flagitij exemimus, ſuffectus eſt; eodémque anno Straubinga Ludouici Principis operâ impenſáque formam vrbis induit, digna poſtea viſa, quæ Prætorio inſignita vni ex BOIARIÆ tetrarchiis iura daret. Sequenti anno Halenſis vrbis munitio cœpta; iámque vicinum montem operibus complexus erat Ludouicus, cùm Salisburgenſis Antiſtes molitioni interceſſit; ipſe viciſſim Secouienſi Cathedræ ab ſe recens erectæ Carolum Friſacenſem Præpoſitum Epiſcopum dedit; qui mox cum Friſingenſi, Batauenſi, Gurcenſi, Chymenſi Epiſcopis Concilio Prouinciali ab Eberhardo indicto interfuit. Ratiſbonenſis domeſticis tumultibus impeditus Legatos pro ſe miſit. Præſules minorum gentium, qui abſentiæ cauſam Patribus non probarunt, contumaciæ & proditæ Religionis inſimulati deuotíque ſunt. Paulò pòſt Hæglvverda Cœnobium conſecratum eſt, & Leutholdi Plainij Comitis, qui excuſſo ad Damiatam oculo Taruiſij occubuerat, oſſa eò illata; quod argumento eſt, eius voto opibúſque ſedem illam creuiſſe.

A. MCCXVIII.

STRAVBINGÆ VRB. ORTVS.

SECOVIENSIS EPISCOPATVS.

CONCILIVM PROVINCIALE.

Chron. Salisb.

COENOB. HÆGLVVERD:

uiſſe. Dedicationi Vlricus Batauenſis interfuit, cuius operâ Montis iugo, qui vrbi Batauenſi imminet Sancto Georgio ſacer, arx eſt impoſita. Iam etiam Otho Imperator deceſſerat, expiatus tamen & ab Hildeshaimenſi Epiſcopo piorum cœtui reſtitutus, tanto animi ſenſu, vt atrienſibus etiam ſeruulis ſe proculcandum ſubſterneret: qua pietate etſi propitiatum ei Numen confidimus, prodigio tamen, quod Philippus de Bona villa Othonis familiaris ſub mortem eius contigiſſe narrare ſolitus eſt, fidem ægrè habemus; Chriſtum Deum, quem ſub panis ſimulachro præſentem adorabat, è ſacerdotis manu elapſum per pectoris ſponte hiantis rimas medium cordis ſinum occupaſſe. Auguſtalia inſignia ad Henricum fratrem Rheni Palatinum, Friderici poſthac ſine inuidiâ futura tranſmiſit; quibus acceptis proximo anno (vigeſimus fuit) Romam, Ludouico Boio honoris gratiâ eum deducente, abiit, & X. Kal. Decembris in S. Petri Baſilica Imperator ſalutatus eſt. Repetitum ibidem Aſiaticæ Expeditionis votum; quo ſe Ludouicus

OTH. IMP. MORS, & VLTIMA PIETATIS RARÆ EXEMPLA.

VValſinghamus in Ypodigm. Neuſtria.

MCCXX. FRID. CÆS. CORONATIO PRÆSENTE LVD. BOIO.

douicus quidem mox exſoluit; Friderico in plures adhuc annos, magna bonorum omnium offenſione, iterata promiſſa extrahente. Friſinga interim Ottonem Epiſcopum maximis rebus patratis & optimè geſtâ Republicâ charum omnibus publico luctu extulit; quem Geroldus ſucceſſor eius adeò non minuit, vt duplicarit etiam, donec, quod in tempore dicemus, digniori locum dedit. Inter Ottonis opera etiam belli cum Monacenſibus & Ludouico Duce, ob vectigal Salinarium, geſti fit mentio; cui Philippus Rex pro ſummo Iure interceſſit, certam auri ſummam ærario Epiſcopali inferendam ſanciens. quo temperamento Epiſcopis denique eſt ſatisfactum. Porrò Ludouicus cum Vlrico Batauenſi & inſigni noblilitate tranſgreſſus in Aſiam præter ſpem in ingratas ferias incidit. Elanguerat intra Damiatæ mœnia Chriſtiana virtus, pleriſque, velut in eam coloniam deſcripti eſſent, à re bellica ad rei familiaris curam auerſis, & prædæ, quæ ingens parta fuerat, incubantibus. Pelagius Pontificius Legatus concionabundus obibat

LIS & BELLA BOIO-FRISINGENSIA OB VECTIGAL SALINARIVM SOPITA.

MCCXXI.

LVDOVICVS BOIVS IN ASIAM COPIAS DVCIT.

Vrſperg.

Stero.

P. Æmilius.

Digitized by Google

inter monentem exprobrantémq; medius, quòd vincere ſcirent, neſcirent victoria vti. vnum idémq; modicũ Saracenicæ ſuperſtitionis caput ab iis cõtritum eſſe; quod, ſpatio belluæ conceſſo, mox renatum magno ſuo malo eſſent experturi. Bellum inferre ſi ceſſent priores, grauius, quod propulſent, paulò pòſt habituros. Cairum identidem oſtentabat Sultanorum & ipſius impietatis arcem. non niſi eâ exciſâ ſtatui trophæum poſſe dictitans, cùm Nilo iniectæ compedes eſſent, & ſeruitus, quâ Syria eouſque oppreſſa fuerat, translata in Ægyptum. Parum promouebat iis dictis maximè apud Brennum Regem, cui bellum in Ægypto trahi nullius conſilij videbatur. Hieroſolymam, vnde ipſe regium nomen ferat, iacere in ruderibus, & præter Christi tumulum & Dauidis turrim nihil à Coradino integrum illic relictum. quid ergo potius eſſe, quàm vt ea loca recuperent excolántque, quæ diuino inundata ſanguine, ſuo redimenda maximi Heroës Godefridus aliíque poſt ipſum cenſuerint? Quo iure quáue religione iuratas in terræ

Diſſensio opinionvm de sede belli.

Brennvs pro Hierosolyma nititvr.

ræ ſanctæ ſubſidium vires, in Ægyptum effundi? Iordanem Chriſti contactu ſacratum cogi Nilo cedere; quique ad adoranda Dei veſtigia venerint, ad inſanas Pyramidum moles, & Alexandri monumenta duci. Quid denique his ambagibus quæri, niſi vt vbique bellum, pax nuſquam habeatur? cùm naturâ prius ſit, tuis defenſis aliena ire oppugnatum. Fundato domeſtico regno, quod vnum potiſſimúmque ereptum impiis cupiat Chriſtianus orbis, proferenda, ſi videatur, pomœria Religionis. aliàs cui non viſum iri Hieroſolymæ Chriſtianos pœnituiſſe, & opum magis cauſâ (etſi contingat ſic vincere) quàm pietatis in Aſiam eſſe tranſgreſſos. Haud ſcias vter rectiùs cenſuerit. Legati auctoritas vicit: ſententiam eius infelicem fuiſſe exitus comprobauit. Ludouicus tamen integris adhuc viribus ferox cupidúſque nominis ſui egregio aliquo facinore commendandi poſteritati, primus ſe in Pontificij Legati poteſtate futurum pollicitus ea ſibi virum promptitudine ita deuinxit, vt Brenno cunctatori prælatum, quod bene verteret, ducere

LVDOVICI BOII MAGNANIMITAS.

FIT DVX COPIARVM.

Digitized by Google

Aemilius. *Godefr.*

agmen iuſſerit. Ducenta millia fuiſſe Godefridus auctor eſt: Æmilius ſeptuaginta tantùm agnoſcit, & propius vero eſt. Quatuordecim millia paſſuum proceſſerant, vſque ad Nili biuium, cuius alterum brachium extemporali ponte inſternendum putarunt, frementibus barbaris & cœptum opus quacunque poterant vi turbantibus. quotidiana illic prælia commiſſa, ferè ſecunda noſtris: vnum præſertim latè editâ ſtrage nobile, cuius infamiam vt detergeret Soldanus, iniecto clàm in naues noſtras igne Græco, ſeptingentas quinquaginta cum commeatu & mortalibus non paucis exuſſit. Eodem ferè tempore conſpiraſſe cum ignibus in perniciem noſtram aquæ viſæ. Annuis tum Nilus incrementis aſſurgens exonerabat in agros ſeſe more ſuo, fœcunditatem allaturus terris, quam raris illic aut nullis pluuiis omnem in ſua habet poteſtate. eius curſum Ægyptij longo docti vſu canalibus & emiſſariis temperant, coërcitúmque cataractis diſpenſant per agros; vt proinde nihil factu promptius fuerit, quàm reuulſis obicibus totam aqua-

INFELICITAS CHRISTIANI EXERCITVS.

aquarum molem caſtris noſtris ſuperfundere; quæ conſultò depreſſioribus locis poſita fuerant, vt aggeres & cliui pro vallo eſſent. ergo penè momento temporis verſa rerum facies, & vndis omnia operientibus perpetuum mare triſti Chriſtianos carcere incinxit. nihil immune aut eximium à communi calamitate, viris ſarciníſque innatantibus, & ignaris omnibus, iráne Numinis an Barbarorum aſtu perirent, nullo conſiliis viribúſque loco relicto, & ſumma rerum iniquitate humanam opem ſuperante. Dum ſe mutuò reſpiciunt ſemianimes, aut deſperata ab æquè miſeris ſalute, Deo ſupplicant, ſupra caput hoſtis fuit, & iam altera imago mortis, creſcentibus continenter aquis, quas ſuo mox ſanguine eſſent infecturi. Præter ſpem tamen paciſci ſe paratum oſtendit Soldanus, cúmque omnia in poteſtate habeat, vitam ſe donaturum victis & vltima exempla meritis, ſi Damiatâ ſibi redditâ Ægypto Chriſtiani abſtinerent. Id vt morte leuius, ſic probroſius vtique fuit reputantibus ſuos ſuorúmque commilitonum labores & præ-

CHRISTIANI AQVIS OBRVTI.

PACTA BARBARA.

DAMIATAM REDDERE IVBENTVR.

Digitized by Google

præmia, pretium vitæ capitúmque ſuorum expoſci: eâ ſcilicet gratiâ aliorum virtute Damiatam captam, vt eſſet, quod ipſi ſtultitiâ ſuâ perderent. qui Chriſtianorum infeliciſſimi ex Aſia in patriam eouſque redierint, irritos conatus ſuos deploraſſe; ſibi ne id quidem relictum, vt fortunam tantum accuſent; ſed deteſtabiles vulgò malóque natos publico pro miſeratione odium laturos. Iratis ſibi animis repetebant, *Godefrid.* quas nuper conditiones ſecundis rebus inflati reſpuiſſent, cùm Hieroſolymam priſtino nitori reſtitutam traditurum ſe barbarus polliceretur, & regione omni, quæ ad xx. millia paſſuum Damiatæ adiacet, vltro ceſſurum, ſi illum vtriuſque Imperij limitem futurum ſacramento firmaſſent. nunc eò ventum eſſe, vt quibus læta otioſáque pace obtinendi omnia ius fuerit, infelici & temerario bello omnia amittendi triſtis neceſſitas incumbat. Cuius aſperitatem illa tamen res leniit, quòd Crucis partem à Saladino nuper ſpolium factam, & captiuos vnâ omnes per regnum conquiſitos cum fide manumiſſurum ſe polliceretur.

Digitized by Google

tur. Datâ in hunc modum acceptáque à barbaro fide, nouum cum Chriſtianis ipſis certamen fuit. Nam poſtquam de Damiata reddenda, qui illic domicilium fixerant, appellati ſunt, plerique immemores humanarum rerum & ſuis tantùm iacturis ponderantes conditionum grauitatem, negarunt iis ſe ſtaturos, neque vitam ſalutémque deſperantis exercitus, quem ſua temeritas hoſti prodiderit, tanti eſſe debere, vt Chriſtiana res vniuerſa, dum perire dignis conſulitur, euertatur. Damiatæ tot generoſas animas, vti caperetur, impenſas eſſe, vt hos condonare caſum ſuum Reipub. æquius ſit, quàm pro capitibus ſuis tanto pretio paciſci. Contrà alij impium facinus & non modo à Chriſtiana manſuetudine ſed communibus humanitatis legibus abhorrens clamare, fortiſſimos Duces, tantum Europææ nobilitatis barbaris ad lanienam dedi, & quibus præter infelicitatem obijci nihil poſſit, in eos tam inclementer conſuli, aut graue cuiquam videri, leui fortunarum impendio, quæ ex ſpoliis cuique accreuerint, eorum vitam redimere, ad

CHRISTIANI DAMIATENSES REFRAGANTVR.

quos

Digitized by Google

quos ſeruandos vel vitam, ſi opus ſit, prodigere non modò Deus & natura communis, ſed etiam iura belli iubeant. Iis momentis cùm parum moueri obſtinatos appareret, è concilio, qui mitiùs cenſebant, effuſi, ſuis aduerſariorúmque correptis armis vim paratam in ferocia perſiſtentibus denunciarunt. Obſeſſi etiam de ſalutis ſuæ periculo admoniti acturos ſe de reddenda Ptolemaide cum manſuetioribus ingeniis minati ſunt, ſi Damiatenſibus tam vilis ſua vita videretur. Hoc ariete fracta pertinacia, & Damiata cum gemitu deſerta eſt. Cæterùm Barbaro fides conſtitit. captiui cum cura redditi ad XXX. millia: diſcedentes commeatu adiuti, nemine victis inſultante. Vlricus tamen Batauenſis Epiſcopus ſiue ægritudine animi, ſiue viæ incommodis fractus in itinere deceſſit, prid. Kal. Nouemb. quem de ſanctiore diſciplina in mores Ordinis Eccleſiaſtici reducenda ſeriam cogitationem ſuſcepiſſe vel id argumento ſit, quòd Canonicorum Summæ Ædis cenſus liberali acceſſione auxerit, lege lata, ne iis fruerentur, ſimul ac Dominicis

DAMIATA HOSTIBVS REDDITA. *Alb. Stad. Godefrid. XXM.*

VLRICI PASSAV. EPIS. LAVS.

diebus

diebus eodem accubare triclinio, vſurpandi antiqui moris causâ, deſiiſſent. Idem etiam in ſacris Comitiis de viceſima reddituum, ex præſcripto Concilij Lateranenſis, Romam triennio continuo mittenda edixit, Pietati, ſine vlla rei domeſticæ iniuria, intentus, & poſſeſſionibus egregiè auctis magnum ad poſteros nomen ſortitus. In eius locum Gebhardus Comes Plainius Luitoldi, quem ad Damiatam oculo captum diximus, frater lectus eſt. Sequenti anno, qui vigeſimus tertius fuit, BOIORVM erga Superos Pietas cæleſtibus beneficiis extimulata eſt, DD. Viti & Modeſti Corporibus in Æde D. Andreæ Lauentina à Carolo Secouienſi repertis, & religioſi cultus officia prodigioſâ munificentiâ compenſantibus. Diui, vt auguſtiùs colerentur, Saliſburgum in triumpho traducti, pompam Saliſburgenſi, Batauenſi & Chymenſi Epiſcopis ducentibus. Lauentinæ Ædi triennio pòſt proprius Epiſcopus datus. Per id tempus Landauum ad Iſaram Ludouici operâ caput extulit. Schärdingam ad Oenum Leopoldus Auſtrius, Ludoui-

MCCXXIII. Stero. Chron. Salisb.

STIMVLVS BOICÆ PIETATIS.

MCCXXIV. Stero.

LANDAVVM VRBS.

Vrſperg. Agnetem vocat.

co probante, adiecta arce muniuit, & Margaritam filiam Henrico, quem Fridericus pater Regem inaugurandum curauerat, deſpondit. Nuptiæ Norimbergæ tanta populi frequentiâ celebratæ, vt mortales quadraginta, neque ij de fece vulgi, ſed ſacris etiam Ordinibus dignitatibúſque clari elisâ animâ perierint. Henrici conſiliis regendis quà priuatim quà publicè Ludouicus Boius additus eſt, Sapientiæ præiudicio, & ob inſignia fidei documenta, quibus Fridericum Patrem & Henricum Filium ex æquo ſibi deuinxerat. Sequenti Anno Franciſcus Aſſiſias altera Mundi Columna beata morte procubuit; cùm Dominicus, quinque abhinc annis, Bertholdo Andecenſi Aquileiæ Patriarchâ præſente, tumulo illatus fuiſſet. Quorum virtutem non modò imitatione, ſed ne prædicatione quidem mortale os expreſſerit. Dei Filium vterque ſibi ſuíſque exemplar eſſe voluit, eiúſque viuam imaginem Franciſcus etiam in corpore diuinitus vulnerato circumtulit, priuilegio ante illum hominum nulli conceſſo: quos Atlantes orbis

LVD. BOIVS CÆSARIS F. MODERATOR ADDITVS.

MCCXXVI. DD. DOMINICVS ET FRANCISCVS COLVMNÆ ORBIS TERRARVM.

orbis dixiſſe me nunquam pœnitebit; quando illorum virtute doctrináque veriſſimè ſuffultus eſt, & irato Numini iuſti furoris telum extortum, quod ſcelera merebantur communi ruina cum ſuis auctoribus inuoluenda. Operæ pretium iis hæredibúſque ſanctitatis eorum Prouinciarum nulla, in quas pietatis ſtudia & cæleſtis Philoſophiæ cultum inuexere, vnquam reddiderit; in quarum numero BOIARIA hoc ipſo anno, qui Franciſco vltimus fuit, domicilium iis Ratiſbonæ aſſignauit; Conrado Epiſcopo in Chriſti Seruatoris Ædem eos inducente. vbi poſtmodum adiectis Alberti Pogij & Ottonis Ducis areis, Aſceterium modeſtiæ eorum cōueniens conditum eſt. Reliquas colonias, vt & Dominicanæ familiæ, ſuis locis commemorabimus. Conradus cùm huius quoque operis laudem tuliſſet, fato functus eſt, VII. Idus Aprilis. Illius etiam Xendochium eſt ad pedem Danubiani Pontis ſitum, qui Ratiſbonam cum oppido ripenſi iungit; cui dotando ſeptem *librarum* millia, gentilitiæ arcis Frontenhuſanæ Ludouico Duci vendi-

D. FRANCISCI SODALES IN BOICA RECEPTI.

CONR. RATISB. EPI. OPERA.

tæ pretium largè impendit. Arces fundóſque reliquos, quos ſtirpis ſuæ vltimus plures ampliſſimóſque habuit, Epiſcopio legauit. In ſucceſſoris electione factionibus certatum eſt. vicit illa, quæ iuris minus habuit, & Gotfridum Præpoſitum Mitra exornauit inutilem rebus gerendis & decoctorem. cum Gregorius Nonus Honorio per idem tempus ſuffectus faceſſere & Sifrido darelocum iuſſit, ſuffragatoribus illius gradu deiectis & ad cauſam dicendam Romam excitis. Id tamen diſſidium ſine ſanguine ſopitum. non item alterum, quo Albertus Pogius & Ratpoto Ortenburgius pacem BOIARIÆ conuulſerunt. Vetera odia malè ſopita recruduerant in apertum bellum, ſacris profaníſque opibus, nullo diſcrimine, calamitoſum. Altahenſe potiſſimùm Monaſterium Inferius damna ſua fleuit; in cuius agro ſedes belli & furoris inobuia omnia ferro flammáque graſſantis fuit. Caſtrum Liechtenvverda iuſtæ vrbi vel magnitudine vel ædificiorum gloria comparandum, quod Albertus Monaſterio adiunxerat, in fauillas redactum.

BELLVM PROCERVM BOIORVM.

ctum. Plerique tum Germaniæ Principes ad Imperatorem in Italiam properabant, Cremonæ cum eo de Repub. collocuturi. Sed Lombardi Pylis Veronenſibus inſeſſis, commeandi facultate erepta, id conſilium diſturbarunt. Henricus Rex cum inſigni Procerum comitatu ſeſquimenſem Tridenti moratus in Germaniam rediit. Sub eius diſceſſum vrbs fortuito incendio fœdè deformata eſt. Sequenti anno, verno ieiunio ad exitum ſpectante, Aquiſgrani cum Henrico Rege in concilium frequentes rediere. Saliſburgenſis Antiſtes cum Ludouico Principe memorantur inter primos. Paulo pòſt Henricus Palatinus Rheni Othonis Imperatoris frater ſine prole maſcula obiit, Agnete filia Othoni Ludouici Boi i Filio deſponsâ, quæ in reliqua dote Palatinatus dignitatem & quidquid terrarum ei contributum eſt, ampliſſimum BOICÆ gloriæ incrementum ad ſponſum attulit. Filium cognominem ante annos tredecim Henricus Schænauiæ tumulauerat; de quo cum Frehero compertum nihil eſſet, cippum ipſum, in quo diſertè

MCCXXVII.
Godefr.

Alb. Stad.

PALATINATVS RHENANVS AD BOIOS DELATVS.

Digitized by Google

Conradi ex Filia nepos, itémque Henricus Iunior appellatur, falſitatis arguere auſus eſt, & Saxo inuito Filij epigraphen ad Patrem rapere, cùm vtriuſque fata Alberti Stadenſis indicio tam promptum eſſet diſcernere. Ex eo tempore Palatini Leones, quod bene vertat, BOIARIÆ Rhombis aſſociati, & pictura gentilitij ſcuti nouo emblemate aucta; Welfonum ſanguine, quorum res tribus hiſce libris explicauimus, vnde hunc quoque Henricum perpetua ſerie deduximus, BOIARIÆ vicem reddente, próque Principatu illi familiæ aliquammultos annos conceſſo, æternam, ita ominamur, Palatinatus poſſeſſionem in Domum Wittelſpachiam inuehente: cuius hæreditatis decora vt agnoſcat æſtimétque poſteritas, maioribus vſi auſpiciis rem à capite accerſemus.

VIR-

Digitized by Google

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER XIV.

Breviarium rerum Geſtarum LVDOVICO IV. OTHONE IV. LVDOVICO V. ET HENRICO XIII. FFRR: DVCIBVS BOIARIÆ.

Nomenclatio Comitum Palatinorum indagatur. Ludouicus Dux BOIARIÆ *etiam Saxoniæ imminet. Expeditio Aſiatica cæleſtibus prodigiis promota, detrectante militiam Cæſare, refrigeſcit. Inde Pontificis in Cæſarem odium. Ludouicus Othonem F. Straubingæ Baltheo donat; & ab immiſſo per Cæſarem Sicario de medio tollitur. Manibus* I.

Digitized by Google

eius placandis Parthenon Felicis Vallis conditur. Otho F. imperium à nobili Liberalitatis documento auſpicatur. D. Eliſabetha ingens cælo terríſque nomen merita humana deſerit. Eberhardus Epiſcopus Paſſau: ob ſuſpicionem cæſi Canonici, de ſede ſuâ deturbatur. Friderici Cæſ. Filius in BOIOS *mouet. Eoſdem etiam Fridericus Auſtrius vexat. Cæſar filium à ſe diſsidentem belloque captum Othoni Duci* BOIARIÆ *cuſtodiendum tradit. Fridericus Auſtrius proſcriptus, totiúſque Imperij viribus appetitus bello tamen ſuperior euadit. Otho cum Conrado Friſingenſi Epiſcopo colliditur; ſacríſque ab eo armis afflictus ad Pontificem appellat.*

II. *Albertus Bohemus Archidiaconus Paſſauienſis, Nuncius Pontificius* BOICAM *& ferè Germaniam omnem tumultibus implet. Otho illi addictus cum Moguntino inimicitias ſuſcipit; cum*

cum Friſingenſi conciliatur, inuito Alberto & cicatricem iam coaleſcentem iterum rumpente. Idem Salisburgenſem, Ratisbonenſem & Paſſauienſem Antiſtites ſub iugum mittere conatur. Diras iis aliiſque extra Prouinciam intentans EXCOMMVNICATIONIS *fulmen in contemptum adducit. Salisburgenſis* BOIARIÆ *Ducem ab impotenti homine auellere ſtudet irrito conatu. Otho Fridericum Auſtrium cum Rege Bohemo in concordiam redigit, & huic ſuum ſuffragium ad Comitia Regia ituro permittit: ipſe Auſtrio Viennam oppugnanti auxilia adducit. Ericus Daniæ Regis F. à Corona Imperij capeſſenda patris auctoritate & oratione abſterretur. Bohemus ad Cæſaris partes, nequicquam reuocante Othone, deſciſcit. Debilitata eius abitu factione, Otho Cæſareis literis, miniſque percellitur. Vacillantem Albertus ſomniorum*

Digitized by Google

terriculamentis, & metu Septemuiralis dignitatis auferendæ firmare laborat. Præualente denique Ratubonenſis Conuentus auctoritate, Otho Albertum planè deſerit & in vltimas anguſtias fugitiuum adducit.

III. *Tartarorum irruptio diuinitus incuſſo metu reprimitur. Schönfelda Deo & Virginitati ſacratur. Albertus Pogius Othonis Frater ex Matre infelici fato defungitur; Heduuigis Andecenſis gente, feliciſſimo. Fridericus Cæſar cœtu piorum motus Auſtrios Duces Archiducum dignitate impertit. Friderici, qui id nomen primus tulit, Mors.*

IV. *Henricus Raſpo Landgrauius Thuringiæ AntiCæſar creatur; Cæſaris Filius ab eo victus in* BOIARIAM *refugit: Otho ei Filiam deſpondet. Hermanno Badenſi Auſtriam conciliat. Conradum VVaſſerburgenſem armis appetit & Patriâ pulſi bona occupat. VVilhelmus*

Digitized by Google

mus Hollandus Landgrauio ſufficitur, Othone inuito. Epiſcopi Muldorffij coacti ſpe abſtrahendi à Cæſare Othonis excidunt. Pro Mitra Paſſauienſi fœdum bellum & patriæ noxium geritur. Fridericus Cæſar extinguitur. Conradus Filius ſtructas in caput ſuum inſidias ægre euitat. Bohemi BOICAM *vaſtant. Teiſpachium ab Othonis F. in poteſtatem adductum.*

Auſtriæ Principatus Henrico Othonis Filio defertur. Cunctantem Bohemus præuertit. Henricus Belæ ſocero eidem ſpei imminenti operam nauat. Otho pater populi odia incurrit; oſtentis inſuper iræ diuinæ perculſus parum felici fine decedit. Mors Beata Ignoti in BOICA *Abbatis eidem oppoſita. Incrementa potentiæ* BOICÆ. V.

Ludouicus & Henricus Parenti in Principatu ſuccedunt. Conrado Rege vi veneni & fratris Spurij violentiâ VI.

Digitized by Google

de medio ſublato, BOII *proceres Conradini F. tutelam ſuſcipiunt, ſed Manfredi aſtu ſubmouentur.* BOII *Fratres infelicibus auſpiciis & læuo conſilio Prouinciam partiuntur. Ludouicus Palatinatum ſortitus Vrbes finitimas fœdere colligat. Mariam Coniugem iniquis ſuſpicionibus abreptus interficit; expiata cæde in Cæſare creando munere ſuo fungitur. Salisburgenſi Antiſtiti ſucceſſor datur, noua fax Belli. Alterum Ottocarus accendit maximo faſtu abeo ſuſceptum, quem* BOIORVM *virtus inſigniter repreßit. Albertus Magnus nouum* BOICÆ *ſidus Ratisbonenſem Epiſcopatum init. Vdalricus ambitioni ſuæ diu armata manu velificatus, ope Henrici* BOII *Salisburgenſi Mitra potitur, ſed populi odius ſuccumbit.*

VII. *Ludouicus* BOIVS *Pace cum Ratisbonenſibus redintegrata, alteram Cõiugem*

iugem adſciſcit. Henricus Frater inter Vngarum & Bohemum concordiam ſancit. Ritum recenter in Italia repertum publicè ſeſe verberandi Alpes tranſgreſſum & in BOICAM *irrepentem explodit. Conradini ſpes odio Pontificio abruptæ. Feſtiua ſolennitas Corporis Chriſti inſtituitur. Acceptas à Bohemis clades Henricus Dux vlciſcitur. Paſſauio potitus vrbem inflammat. In Vienneſi Concilio ſanctitati Morum optimis legibus conſulitur.*

Conradinus Tragicis iactatus caſibus Sueuiæ Principum vltimus cum Friderico Auſtrio ſuæ itidem gentis poſtremo ſub Carnificis manu moritur. Eliſabetha BOIA *Filium tumulat.* BOICA *exundantibus aquis; Salisburgum ignibus deformantur. Henrici* BOII *vxor laudatiſſima fœmina decedit, vti & Bertholdus Franciſcanus* VIII.

ſacro-

de medio ſublato, BOII *proceres Conradini F. tutelam ſuſcipiunt, ſed Manfredi aſtu ſubmouentur.* BOII *Fratres infelicibus auſpiciis & læuo conſilio Prouinciam partiuntur. Ludouicus Palatinatum ſortitus Vrbes finitimas fœdere colligat. Mariam Coniugem iniquis ſuſpicionibus abreptus interficit; expiata cæde in Cæſare creando munere ſuo fungitur. Salisburgenſi Antiſtiti ſucceſſor datur, noua fax Belli. Alterum Ottocarus accendit maximo faſtu ab eo ſuſceptum, quem* BOIORVM *virtus inſigniter repreſſit. Albertus Magnus nouum* BOICÆ *ſidus Ratisbonenſem Epiſcopatum init. Vdalricus ambitioni ſuæ diu armata manu velificatus, ope Henrici* BOII *Salisburgenſi Mitra potitur, ſed populi odius ſuccumbit.*

VII. *Ludouicus* BOIVS *Pace cum Ratisbonenſibus redintegrata, alteram Cõiugem*

iugem adſciſcit. Henricus Frater inter Vngarum & Bohemum concordiam ſancit. Ritum recenter in Italia repertum publicè ſeſe verberandi Alpes tranſgreſſum & in BOICAM *irrepentem explodit. Conradini ſpes odio Pontificio abruptæ. Feſtiua ſolennitas Corporis Chriſti inſtituitur. Acceptas à Bohemis clades Henricus Dux vlciſcitur. Paſſauio potitus vrbem inflammat. In Vienneſi Concilio ſanctitati Morum optimis legibus conſulitur.*

Conradinus Tragicis iactatus caſibus Sueuiæ Principum vltimus cum Friderico Auſtrio ſuæ itidem gentis poſtremo ſub Carnificis manu moritur. Eliſabetha BOIA *Filium tumulat.* BOICA *exundantibus aquis; Salisburgum ignibus deformantur. Henrici* BOII *vxor laudatiſſima fœmina decedit, vti & Bertholdus Franciſcanus* VIII.

ſacro-

Digitized by Google

ſacrorum Oratorum ſuo æuo Miraculum. Appendix de Nobilis BOII *ad inferos damnati cum Vxore colloquio.*

GESTA SVNT HÆC AB ANNO MCCXXVII; VSQVE AD A. MCCLXXII.

LVDO-

Digitized by Google

LVDOVICVS IV. DVX BOIARIÆ.

I. *Freherus. Leodius.*

QVI noſtrorum & ferè etiam exterorum de Comitibus Palatinis quærere inſtituerunt, è Romana Republica non vetere illa & antiquis florente moribus viríſque, ſed qualis ſub Cæſaribus, amiſſa libertate mutatíſque ad illorum arbitrium Magiſtratuum titulis nominibúſque fuit, hoc quoque ſpolium extrahunt, magnificum rati quidquid apud nos eminet, Româ accerſere velut ex patria maieſtatis gloriǽque omnis natali domo, extra quam fruſtra exempla quæras honoratæ & pro merito cultæ virtutis. Equidem non ſum neſcius ſacri Palatij Comitum illuſtrem eſſe in Romano iure memoriam; primas tamen eius dignitatis Origines nomenclationémque ipſam, niſi noſtra ex profeſſo odimus admiratores alienorum, aliis præterquam maioribus noſtris Martiis illis viris, quorum virtutem Roma ſenſit & prædicauit etiam, imputare nefas puto; ſi modò Tacitum & Marcel-

COMITVM ORIGO GENVINA. *L. de Germ. Marcell. l. 16.*

Marcellinum in re noſtrâ audimus, quorum tam clara ſuperſunt teſtimonia, vt mirum ſit dubitandi anquirendíque etiam ſcrupuloſis locum eſſe relictum. Ita enim ij tradiderunt, gentis noſtræ moribus vsúque receptum fuiſſe, Procerum filios, poſtquam ſuffecturos militiæ amici cenſuere, ſcuto frameáq; ornatos in contubernium æqualium, quos belli dux circa ſe Comites habebat appellabátque, allectos rudimentum militiæ in illo Heroum ſeminario poſuiſſe. Nulli rubor in eo Comitatu aſpici; cùm vtique dignior alius poſt Imperatorem locus non eſſet, neque oſtentandæ virtuti opportunior. decora inter Comites ipſoſmet æmulatio & ſuus cuique ex iudicio eius, quem ſectabantur, gradus. Ducibus ipſis populíſque, pro Comitum ſuorum virtutibus, gloria: nam prout acris horum & teſtata periculis fortitudo, ita illorum apud finitimos pariter hoſtéſque fama viguit; id præſidium foris, id domi decus, principem quàm ampliſſimo iuuenum globo circumdari. Hæſerunt eorum in libris nomina & vernaculæ appellationes.

VETERVM GERMANORVM COMITES MILITARES.

Digitized by Google

nes. Soldurios enim & Ambactos ex Bell. Gall. l. 3. & 6.
Cæſare diſcimus; neque dubitem *Graṽionum* nomen æquè antiquum eſſe, etſi id Paulus Diaconus demum prodidit, ſed planè vt vetus & Comitum dignitati officióque reſpondens. cuius nominis cùm in Romanâ hiſtoriâ haud temerè vlla fiat mentio, priuſquam Cæſarum caſtris Germanica auxilia, palatiis conſilia recepta ſunt, præpoſterè ſanè faciunt, qui Romanos à Maioribus noſtris in vſum diſciplinæ militaris permulta mutuatos huius dignitatis auctores faciunt, cùm potiùs vt propria gentis noſtræ nota à nobis inuecta in Curiam & poſtea ciuitate donata ſit. Id tamen à Romanis additum nouatúmque non negamus, vt Comitum nomen à Caſtrenſibus Officiis ad Ciuiles quoque Magiſtratus tranſiret, adeò quidem, vt humilibus etiam nonnullis functionibus, fortaſſe non ſine primæ impoſitionis iniuria, velut hedera ignobili merci ſit appenſum. Porrò neque in Palatini Palatini vnde dicti.
nomine Romanam originem agnoſcimus aut Arcadicam, à neſcio quo Pallante

Digitized by Google

lante Euandri proauo, aut Palantio vrbe repetitam; cùm certum ſit Palantiam Teutonibus Prætorium Curiámue fuiſſe, vbi Iuris dicundi dirimendarúmque Litium cauſa populi coirent; quo nomine inter Alemannos & Burgundos, quorum fines nunc Chatti inſident, regionem fuiſſe Capellatium (ſiue vt Cluuerius emendat) Palatium, Palas vulgo dictum, Marcellinus eſt autor: quem locum etſi imperitè nonnulli cum eo confundunt, qui hodie Palatinatus ad Rhenum dicitur, rectè tamen à communi & vernacula voce Palantiæ, Palatinatus omnes, quotquot per Germaniam fuere, traxiſſe appellationem cenſendi ſunt. cuius generis in ſola Saxonia vrbes quinque Palantiæ titulo & foro iuridico inſignes recenſentur; ad quem modum etiam in reliquis Germaniæ Prouinciis Palantias vel Prætoria deſignata fuiſſe certum habeo, in quibus Comites Palatini ſiue *Palantzgrauij* ſtatis temporibus ius dicerent. Nam vt reliquos ſileamus, BOIARIA certè Palatinos frequenter produximus;

Spec. Saxon. l. 3. art. 62.

Idem a. 53.

mus ; & nuper, Othone Wittelſpachio ſubmoto, Ortenburgios Comites ea dignitate auximus; quæ tamen, vt ſuo dicetur loco, prorſus tandem extincta eſt, Iuris dicundi poteſtate vniuerſâ ad Principes reuocatâ ; quod in Saxonia etiam, Franconia, itémque Sueuia factum videmus; vt in Germania hodie (nam de Vngaria Poloniáque nihil hîc attinet dicere) Rhenus tantum Palatinos ſuos habeat; non eodem ſemper illos inter Imperij proceres nomine auctoritatéque ; imo ſi paulò ſuperiora tempora reſpicimus , ægre è tenebris emergentes, & ſua duntaxat Nomenclatione nobiles; cui cùm poſtea tantum dignationis accreuiſſet, priorum etiam obſcuritas velut radium inde lucémque mutuata paulò conſpectior eſt reddita; vt tamen ad qualeſcunque & quandocunque partas glorias multò maxima ex felici Othonis cum Agnete coniugio facta ſit acceſſio, ſuffragij iure, quod in Cæſarum Electione BOIARIÆ Principes ferunt, ita cum Palatinis communicato, vt in eo denique nomine, quod in tempore explica-

bitur, hæſerit; donec felicitati noſtrorum temporum id quoque datum vidimus, vt abalienata decora omnia in meritiſſimum MAXIMILIANI Principis caput confluerent, Maiorúmque potentiam diſpenſatam in plures vna maximi Victoris manus complecteretur.

TEMPVS BOIO-PALATINI CONIVGII.

Porrò annum Boio-Palatini Coniugij, vnde quidquid hodie BOIARIÆ Principum ſupereſt, auſpicata fœcunditate profluxit, diſertè, quod ſciam, veterum nullus prodidit: nam quintum decimum qui nominant, aut nullam, aut de ſponſalibus duntaxat fidem faciunt; immaturâ adhuc nuptiis Othonis ætate; & tamen lectas ſibi Auentinus literas ſcripſit eo anno datas, ínque iis Ludouicum Palatini Comitis titulo cohoneſtatum; quæ res illum in errorem induxit, vt eundem annum Henrico Othonis ſocero fatalem crederet; quem tamen certum eſt ad vigeſimum vſque ſeptimum prouixiſſe; ex quo illud neceſſariò conficitur, Ludouico Palatini nomen, Henrico etiamnum ſuperſtite, communicatum; neque nomen tantum imperio nudatum; cùm Epiſcopus

Alb. Staden.

Colle-

Digitized by Google

Collegiúmque Wormatienſe biennio priùs quàm Henricus decederet, Ludouico eiúſque nurui Agneti Heidelbergam cum Stalbühelano Comitatu beneficiario iure poſſidendam transſcripſerint. Quia tamen non niſi Henrico mortuo Palatinatum omnem in ius ditionémque Ludouici conceſſiſſe perſuaſum habeo, vigeſimum ſeptimum annum tantæ rei memoriâ placuit inſignire; quo Ludouicus Boius etiam alteram ſpem tentauit, & Brunonisſuicum cum reliqua Saxoniæ Toparchia, quæ ab Henrico iura petierat, adducere in poteſtatem laborauit. Nurum ſuam agnoſci hæredem volebat; Henricus verò Rex emptionis titulo nitebatur; quòd Fridericus Pater, appenſo maiori Henrici Filiæ auro, in omnia eius iura ſucceſſerat; vt amborum cauſa æqualis eſſe videretur: quam cùm ſtudiis viribúſque coniunctis agendam ſuſcepiſſent, Othonis Lunæburgici, quem Wilhelmus Henrici & Othonis Cæſaris frater anno huius ſæculi duodecimo vita functus ex Helena Dana ſuſtulerat, celeritate præuenti ſunt. Is iam in vrbe ſe

Extant literæ apud Freherum in Orig. Palat.
A.MCCXXV.

Alb. Stad.
LVDOVICVS BOIVS SAXONIÆ IMMINET.

communicarat; & quanquam eodem anno ab Henrico Suerinenſi captus bello eſt, per hominum tamen temporúmque iniquitatem eluctatus ſibi poſteriſque Brunoniſuicum, Ducis titulo, vt ſuo loco dicetur, auctus aſſeruit.

EXPEDITIO ASIATICA

Sub idem tempus noua in orientem claſſis decreta, Friderico Cæſare fucata ſponſione Ducem Cruce ſignatis ſeſe offerente. Dabant ſe præclarè initia; magni hominum concurſus fiebant, ſolâ Angliâ ad hominum ſexaginta millia ſubmittente; quibus Sifridus Auguſtenſis Epiſcopus & Ludouicus Thuringus S. Eliſabethæ maritus ſeſe coniunxere. Hunc iter per BOICAM inſtituiſſe comperio. an aliqua ex BOICA Iuuentute manus maximi nominis Principem ſecuta ſit, non traditur. In Brunduſino portu nauigationis diem expectantibus Chriſtus hominum Rex multa circumfuſus luce viſendum ſe præbuit, ſanguinantibus velut à recenti iniuria plagis; fauentis nihilominus vultu & ad vrgenda cœpta animantis. deſeruit tamen etiam hoc apparatu inuitantem Cæſar, paulúmque profectus portu, maris impatien-

Sigon. ex Matt. Pariſio. Vrſperg. Godefrid. Sicro.

Theodoric. in Vita S. Eliſab.

PRODIGIVM MEMORABILE.

patientiam cauſatus ſubſtitit. Thuringus * Ortrandi deceſſit, vt & Auguſtanus Epiſcopus. ſacrorum militum magna pars à Cæſare deceptam ſe grauiter ferens propoſitum deſeruit. XL. millia in Italiam redierunt. ea re offenſus Gregorius Pontifex Fridericum deteſtatus eſt. quam notam ne ſequenti quidem anno expunxit, quo Pontificis voluntati morem geſturus in Syriam traiecit. Suſpectum eum nimia cum barbaris familiaritas fecit & amici congreſſus velut inter ſe colludentium. Quorſum enim Hieroſolymam, Nazarethum, Ioppen à Soldano reddi, nullo armorum terrore oſtentato, niſi ad occultanda ſub laruâ amicitiæ odia, tanto eruptura crudeliùs, qaanto doctiùs fuerant ſuppreſſa? proinde neque induciæ in decennium pactæ aliorſum ſpectare creditæ, quàm vt collectis viribus inuaderet regnum Pontificium poſſet: qui tanto certior metus fuit, quo plura per abſentiam eius facta ſunt improbè, excitatis per totam Italiam factionibus, reuocatiſque infauſtis Gibellinorum & Guelforum nominibus, quorum hi Pontifi-

* al. Hydruntū.

FRID. CÆS. EXCOMMVNICATVR:

MCCXXVIII. CÆSAR PONTIFICI SVSPECTVS.

Aemilius. Sigon.

GVELFI ET GIBELLINI TVMVLTVANTVR.

cias, illi Cæſareanas partes ſequerentur, non Friderici modò ſed ſequentium etiam Imperatorum æuum parricidialibus bellis funeſtaturi. quæ vt diris, quemadmodum par erat, auſpiciis ſuſciperentur, Gregorius ſummus Pontifex vrbe pulſus Peruſiam ſecedere coactus eſt, inde non modò ſacris deteſtationibus ſed armis quoque Friderici violentiam repreſſurus. Miſſi quaquauerſum Legati, qui impium proclamarent & in caput eius arma acuerent; ex quibus Otto Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano Germaniam peragrare iuſſus Othonem Lunæburgium vt conſiliis ſuis opportunum, germaniſſimum Welfonum ſanguinem & hoc tempore Cæſare parum æquo vtentem aggreſſus penitus ab eodem auellere inſtitit. ſed ille domeſticis tempeſtatibus & clientum ſuorum perfidia iactatus, nondum etiam ſatis confirmatis opibus, tam nobilem ſibi inimicitiam non putauit ſuſcipiendam. Inter has turbas BOICA feſtis ludis hilaritatique operata eſt, Ludouico Principe Othonem filium iam rebus gerendis exactâ adoleſcen-

CONCITATI IN FRID. MORTALES.

Godefrid. Alb. Stad.

Stero.

LVDI PVBLICI PER BOICAM.

ſcentiá parem equeſtribus inſignibus Straubingæ, feriis Pentecoſtes, exornâte. dilatas eouſque cum Agnete Palatina nuptias quidam non incongruè ſcripſere. fidem nonnullam ampliſſimus Principum conuentus facit quantæcunque celebritati ſatis magnum decus allaturus, & natus ſequente anno Idibus Aprilis Othoni Filius, qui Aui nomine Ludouicus appellatus eſt. Id tamen vtcunque ſe habuerit, tum quidem Henricus Rex Germaniæ, Leopoldus Auſtriæ, Bernardus Carinthiæ, Otto Meraniæ, Henricus Andecenſis patriæ pronuper redditus, cum inſigni omnes comitatu Staubingæ adfuere. Ex ſacris proceribus Eberhardus Saliſburgenſis, Hermannus Würceburgius, Ecbertus Bambergenſis, Gebhardus Batauenſis, Sifridus Ratiſbonenſis, Siboto Auguſtanus, Henricus Aichſtettenſis, Rudigerus Chimenſis, Carolus Secouienſis, Vdalricus Lauantinus eo primùm loco mitra exornatus pompam auguſtiorem reddidere. Publicam huius temporis lætitiam & inſtitutum inter principes viros certamen officiorum

Hund. in Metrop. Auent.

Annales Auſtriaci infamant, quibus perſcriptum eſt, Leopoldum à Ludouico Boio eiúſque Dynaſtis inſidiis appetitum eſſe; quorum neque cauſa apparet, neque vltio ſecuta eſt. Vtilem trigeſimo deinde anno Reipublicæ operam nonnulli ex Proceribus, quos iam nominaui, Eberhardus videlicet Salisburgenſis, Sifridus Ratiſbonenſis cum Leopoldo, Othone, Bernardo, Auſtriæ, Meraniæ, Carinthiæ Ducibus nauarunt: cum Bertholdo Aquileienſi tranſgreſſi in Italiam litium, quæ Cæſarem cum Pontifice non ſine graui orbis Chriſtiani incommodo colliſerant, arbitrium vltro à Cæſare ad ſe delatum recepere. Diſceptatio annum illum totum tenuit; eíque Leopoldus Auſtrius eſt immortuus. Exta ampliſſimo funere in D. Benedicti Ædem Caſſinenſem illata. Oſſa patriæ reddita Eberhardus Saliſburgenſis in Lillenfeldenſi S. Andreæ Cœnobio, quod Leopoldus regiâ magnificentiâ ſtruxerat, condidit, eodémque die templum ſolenni ceremonia dedicauit. Sifridus Ratiſbonenſis Epiſcopus ob ſpectatâ arduo illo Reip. negotio

MCCXXX. *Stero.* *Vrſperg.*

STVDIVM PACIS PVBLICÆ.

LEOPOLDI AVSTRII MORS.

gotio fidē induſtriámq; honore auctus Imperatorij Palatij Cancellarius renunciatus eſt. Domi Carolus, qui Secouienſem Mitram primus tulit, viuere deſiit. ſequenti anno Geroldus Friſingenſis abdicare coactus Conrado locum dedit IV. Kal. April. Secutæ mox graues inter Ludouicum Boiariæ Ducem & Fridericum Cæſarem inimicitiæ, in compertum quibus ex cauſis, ortæ; nam Godefridus, qui Cæſarem ab eo laceſſitum iniuriis ſcribit, nullam earum ſpeciem exprimit; & nos hucuſque meræ obſeruantiæ argumenta collegimus Friderico adeò probatæ, vt vnum illum vnicúmque dignum cenſuerit, ſub cuius magiſterio in ſpem Imperij Henricus Cæſar adoleſceret. ſi quis, vt in re obſcura, opinionibus eſt locus, id vero proximum ſimillimúmque habeam, Pontificiis Diris, quæ Fridericum bonis omnibus deteſtabilem reddidere, Ludouici erga Imperatorem ſtudia refrixiſſe; neque enim de nihilo eſt, quòd reliquis Norici Principibus ad ſopiendas diſcordias in Italiam tranſcendentibus, ipſe domi ſe continuerit, vnde fa-

MCCXXXI. Cæsar Ludovico Boio infensus.

fuit, qui Ludouicum Kelhaimij XVI. Kal. Octobris ſicâ confecit, ipſe pariter in veſtigio, patrato facinore, à familiaribus conciſus: quod cùm vetuſti autores, quique vnus omnium inſtar eſſe poteſt, Innocentius Pontif: adhuc recenti re & explorata tradiderint, explodenda nouitiorum ſomnia ſunt, qui vel à Morione, cui Stichio nomen faciunt, confoſſum, vel ob ſtuprum nuptæ illatum, vlciſcente marito iniuriam, à paſtoritiis pueris diſcerptum ſcribere auſi ſunt; quos ad eam rabiem herili efferatos imperio affirmant, vt nullo inter homines pecudéſque diſcrimine, luporum more, quidquid ille digito nutúue lanienæ deſtinaſſet, facto impetu lacerarent: quæ vtcunque impoſita fabula eſt, veri tamen vmbram habet; quando & Aſſaſſinos conſtat feros agreſtéſque homines faciendis ex alieno arbitrio cædibus ſanguinariam operam cuiuis expoſcenti locaſſe. Corpus Schiræ ſepultum eſt, neglecta viuentis voluntate; cùm Oetingæ, vbi duodecim Canonicorum Collegium erexerat, tumuli ſibi locum legiſſet. Ludmilla Coniux placandis

FABVLÆ DE LVDOV. NECE.

Auentinus veterem Germanicam vocem ain Stockher *non videtur intellexiſſe.*

Litera Fundat. apud Hundium in Metrop. MONAST. FELICIS

eius

eius Manibus, Landiſhutæ Parthenonem, cui Felicis Vallis nomen dedit, magnis impendiis ſtatuit; quem plurium BOIARIÆ Principum illatæ exuuiæ, multóque veriùs viua caſtiſſimi cœtus virtus ad hæc vſque tempora celebrem reddidere. VALLIS ERIGITVR.

OTHO IV. LVD: F. DVX BOIARIÆ.

Luctum BOICÆ acerbo Ludouici caſu perculſæ opportuna Othonis Filij Liberalitas mitigauit; cùm eodem illo funeſto die, apertis prouinciæ granariis, grauem ea tempeſtate annonam leuaſſet, Patris Patriæ nomen meriturus, antequam inſignia Principis acciperet, & plebeia vota pro auſpiciis habiturus tale illi æuum exoptantium, qualia prima eius initia fuiſſent. Idem annus etiam Ratpotonem Ortenburgium Palatinum BOIARIÆ ſuſtulit; quǽque ſanctitatis ſuæ miraculis tota volumina impleuit, Eliſabetham Thuringam; quam vt Vngari paterni generis iure repetunt, ita BOII materno ſanguine ſibi vendicant Gertrude Andecenſi natam. nos *Chron. Auguſt.* S. ELISABETHÆ THVRINGÆ RES MEMORANDÆ.

Digitized by Google

communicerat; & quanquam eodem anno ab Henrico Suerinenſi captus bello eſt, per hominum tamen temporúmque iniquitatem eluctatus ſibi poſteríſque Brunoniſuicum, Ducis titulo, vt ſuo loco dicetur, auctus aſſeruit. Sub idem tempus noua in orientem claſſis decreta, Friderico Cæſare fucata ſponſione Ducem Cruce ſignatis ſeſe offerente. Dabant ſe præclarè initia; magni hominum concurſus fiebant, ſolâ Angliâ ad hominum ſexaginta millia ſubmittente; quibus Sifridus Auguſtenſis Epiſcopus & Ludouicus Thuringus S. Eliſabethæ maritus ſeſe coniunxere. Hunc iter per BOICAM inſtituiſſe comperio. an aliqua ex BOICA Iuuentute manus maximi nominis Principem ſecuta ſit, non traditur. In Brunduſino portu nauigationis diem expectantibus Chriſtus hominum Rex multa circumfuſus luce viſendum ſe præbuit, ſanguinantibus velut à recenti iniuria plagis; fauentis nihilominus vultu & ad vrgenda cœpta animantis. deſeruit tamen etiam hoc apparatu inuitantem Cæſar, paulúmque profectus portu, maris impatien-

EXPEDITIO ASIATICA

Sigon. ex Matt. Pariſio. Vrſperg. Godefrid. Sifro.

Theodoric. in Vita S. Eliſab.

PRODIGIVM MEMORABILE.

patientiam cauſatus ſubſtitit. Thuringus * Ortrandi deceſſit, vt & Auguſtanus Epiſcopus. ſacrorum militum magna pars à Cæſare deceptam ſe grauiter ferens propoſitum deſeruit. xl. millia in Italiam redierunt. ea re offenſus Gregorius Pontifex Fridericum deteſtatus eſt. quam notam ne ſequenti quidem anno expunxit, quo Pontificis voluntati morem geſturus in Syriam traiecit. Suſpectum eum nimia cum barbaris familiaritas fecit & amici congreſſus velut inter ſe colludentium. Quorſum enim Hieroſolymam, Nazarethum, Ioppen à Soldano reddi, nullo armorum terrore oſtentato, niſi ad occultanda ſub laruâ amicitiæ odia, tanto eruptura crudeliùs, qaanto doctiùs fuerant ſuppreſſa? proinde neque induciæ in decennium pactæ aliorſum ſpectare creditæ, quàm vt collectis viribus inuaderet regnum Pontificium poſſet; qui tanto certior metus fuit, quo plura per abſentiam eius facta ſunt improbè, excitatis per totam Italiam factionibus, reuocatiſque infauſtis Gibellinorum & Guelforum nominibus, quorum hi Pontifi-

*al. *Hydrunte.*

Frid. Cæs. excommvnicatvr.

mccxxviii. Cæsar Pontifici svspectvs.

Aemilius. Sigon.

Gvelfi et Gibellini tvmvltvantvr.

Digitized by Google

cias, illi Cæſareanas partes ſequerentur, non Friderici modò ſed ſequentium etiam Imperatorum æuum parricidialibus bellis funeſtaturi. quæ vt diris, quemadmodum par erat, auſpiciis ſuſciperentur, Gregorius ſummus Pontifex vrbe pulſus Peruſiam ſecedere coactus eſt, inde non modò ſacris deteſtationibus ſed armis quoque Friderici violentiam repreſſurus. Miſſi quaquauerſum Legati, qui impium proclamarent & in caput eius arma acuerent; ex quibus Otto Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano Germaniam peragrare iuſſus Othonem Lunæburgium vt conſiliis ſuis opportunum, germaniſſimum Welfonum ſanguinem & hoc tempore Cæſare parum æquo vtentem aggreſſus penitus ab eodem auellere inſtitit. ſed ille domeſticis tempeſtatibus & clientum ſuorum perfidia iactatus, nondum etiam ſatis confirmatis opibus, tam nobilem ſibi inimicitiam non putauit ſuſcipiendam. Inter has turbas Boica feſtis ludis hilaritatique operata eſt, Ludouico Principe Othonem filium iam rebus gerendis exactâ adoleſcen-

CONCITATI IN FRID. MORTALES.

Godefrid. Alb. Stad.

Stero.

LVDI PVBLICI PER BOICAM.

ſcentiá parem equeſtribus inſignibus Straubingæ, feriis Pentecoſtes, exornâte. dilatas eousque cum Agnete Palatina nuptias quidam non incongruè ſcripſere. fidem nonnullam ampliſſimus Principum conuentus facit quantæcunque celebritati ſatis magnum decus allaturus, & natus ſequente anno Idibus Aprilis Othoni Filius, qui Aui nomine Ludouicus appellatus eſt. Id tamen vtcunque ſe habuerit, tum quidem Henricus Rex Germaniæ, Leopoldus Auſtriæ, Bernardus Carinthiæ, Otto Meraniæ, Henricus Andecenſis patriæ pronuper redditus, cum inſigni omnes comitatu Staubingæ adfuere. Ex ſacris proceribus Eberhardus Saliſburgenſis, Hermannus Würceburgius, Ecbertus Bambergenſis, Gebhardus Bataunenſis, Sifridus Ratiſbonenſis, Siboto Auguſtanus, Henricus Aichſtettenſis, Rudigerus Chimenſis, Carolus Secouienſis, Vdalricus Lauantinus eo primùm loco mitra exornatus pompam auguſtiorem reddidere. Publicam huius temporis lætitiam & inſtitutum inter principes viros certamen officiorum

Hund. in Metrop. Auent.

Digitized by Google

Annales Auſtriaci infamant, quibus perſcriptum eſt, Leopoldum à Ludouico Boio eiúſque Dynaſtis inſidiis appetitum eſſe; quorum neque cauſa apparet, neque vltio ſecuta eſt. Vtilem trigeſimo deinde anno Reipublicæ operam nonnulli ex Proceribus, quos iam nominaui, Eberhardus videlicet Saliſburgenſis, Sifridus Ratiſbonenſis cum Leopoldo, Othone, Bernardo, Auſtriæ, Meraniæ, Carinthiæ Ducibus nauarunt: cum Bertholdo Aquileienſi tranſgreſſi in Italiam litium, quæ Cæſarem cum Pontifice non ſine graui orbis Chriſtiani incommodo colliſerant, arbitrium vltro à Cæſare ad ſe delatum recepere. Diſceptatio annum illum totum tenuit; eíque Leopoldus Auſtrius eſt immortuus. Exta ampliſſimo funere in D. Benedicti Ædem Caſſinenſem illata. Oſſa patriæ reddita Eberhardus Saliſburgenſis in Lillenfeldenſi S. Andreæ Cœnobio, quod Leopoldus regiâ magnificentiâ ſtruxerat, condidit, eodémque die templum ſolenni ceremonia dedicauit. Sifridus Ratiſbonenſis Epiſcopus ob ſpectatâ arduo illo Reip. negotio

MCCXXX. *Stero. Vrſperg.*

STVDIVM PACIS PVBLICÆ.

LEOPOLDI AVSTRII MORS.

Digitized by Google

gotio fidē induſtriámq; honore auctus Imperatorij Palatij Cancellarius renunciatus eſt. Domi Carolus, qui Secouienſem Mitram primus tulit, viuere deſiit. ſequenti anno Geroldus Friſingenſis abdicare coactus Conrado locum dedit IV. Kal. April. Secutæ mox graues inter Ludouicum BOIARIÆ Ducem & Fridericum Cæſarem inimicitiæ, in compertum quibus ex cauſis ortæ; nam Godefridus, qui Cæſarem ab eo laceſſitum iniuriis ſcribit, nullam earum ſpeciem exprimit; & nos hucuſque meræ obſeruantiæ argumenta collegimus Friderico adeò probatæ, vt vnum illum vnicúmque dignum cenſuerit, ſub cuius magiſterio in ſpem Imperij Henricus Cæſar adoleſceret. ſi quis, vt in re obſcura, opinionibus eſt locus, id vero proximum ſimillimúmque habeam, Pontificiis Diris, quæ Fridericum bonis omnibus deteſtabilem reddidere, Ludouici erga Imperatorem ſtudia refrixiſſe; neque enim de nihilo eſt, quòd reliquis Norici Principibus ad ſopiendas diſcordias in Italiam tranſcendentibus, ipſe domi ſe continuerit. vnde fa-

MCCXXXI.
CÆSAR LVDOVICO BOIO INFENSVS.

ctum credi poſſit, vt quæ in Ludouico pietas fuit, iniuriarum nomine apud Fridericum traduceretur. accedit coniecturæ ex Pontificiis literis firmitas, quibus Friderico inter cætera flagitia id quoque vitio datur, quòd BOIARIAE *Ducem, ſpecialem Eccleſiæ Romanæ deuotum*, (verba ipſa recito) *Chriſtianâ religione neglectâ fecerit occidi.* Sed vt de cauſa nihil liqueat, id quidem certum eſt, à Cæſare per Fecialem Ludouico inimicitias denunciatas, nullo ſalutis fortunarúmque diſcrimine, cum apertâ odij capitalis profeſſione. Ferri tamen ea quoque indignitas poterat, ſi armata manu & puro pióque bello deſtinatum hoſtem impetiiſſet: ſed per Sicarium ex Aſſaſſinorum gente lectum graſſari in nobiliſſimi Principis caput eum, cui in bona cauſa Germaniam armare licuit, id verò æternum Friderici eſt probrum. Aſſaſſinos ex Perſide profectos inter Phœnices conſediſſe comperio moribus vitæque inſtituto à cæterorum mortalium ingeniis diuerſos. Honorum opúmque, & cuius ardenti-

Innoc. IV. Encyclica.

Godefr. Alb. Stad. Stero.

CÆSAR LVDOVICVM PER ASSASSINVM DE MEDIO TOLLIT.

ASSASSINI QVI?

ſim

ſima cupiditas eſt, vitæ haud perinde magna apud eos æſtimatio, communes naturæ affectus præfocante vltimâ, qua à cunabulis imbuuntur, immanitate. Scitum vnum ſacroſanctum velut cælo delapſum amplectuntur tuentúrque mordicus, vilem animam pro Republica exponere, & deuoti periculo capitis vitam auferre omnibus, in quorum necem à ſuo Principe armantur. Eum Arſacidam vocari à ſuis Æmilius eſt autor. *In Lud. VII.* noſtri ſcriptores *vetulum de Montanis* appellant; ſiue annorum in deligendo Principe ab iis ratio eſt habita; ſiue ad reuerentiam valere creditum, ſummi honoris titulum ab ætate accerſere; quemadmodum apud alias quoque gentes vſus obtinuit, Dominos *Seniores* appellare; quæ nomenclatio in cõmunibus Latinæ linguæ corruptelis Italicâ, Gallicâ, Hiſpanâ perſeueranter retenta eſt. Cum eo, qui tunc latronibus illis imperabat, Friderico fœdus & penè familiaritas interceſſit; habebátque circa ſe ad ſimilia imperia emiſſarios illius; ex quibus is quoque fuit,

FRID. CAES. ASSASSINIS VSVS FAMILIARITER.

fuit, qui Ludouicum Kelhaimij xvi. Kal. Octobris ſicâ confecit, ipſe pariter in veſtigio, patrato facinore, à familiaribus conciſus: quod cùm vetuſti autores, quique vnus omnium inſtar eſſe poteſt, Innocentius Pontif: adhuc recenti re & explorata tradiderint, explodenda nouitiorum ſomnia ſunt, qui vel à Morione, cui Stichio nomen faciunt, confoſſum, vel ob ſtuprum nuptæ illatum, vlciſcente marito iniuriam, à paſtoritiis pueris diſcerptum ſcribere auſi ſunt; quos ad eam rabiem herili efferatos imperio affirmant. vt nullo inter homines pecudéſque diſcrimine, luporum more, quidquid ille digito nutúue lanienæ deſtinaſſet, facto impetu lacerarent: quæ vtcunque impoſita fabula eſt, veri tamen vmbram habet; quando & Aſſaſſinos conſtat feros agreſtéſque homines faciendis ex alieno arbitrio cædibus ſanguinariam operam cuiuis expoſcenti locaſſe. Corpus Schiræ ſepultum eſt, neglecta viuentis voluntate; cùm Oetingæ, vbi duodecim Canonicorum Collegium erexerat, tumuli ſibi locum legiſſet. Ludmilla Coniux placandis eius

Fabulæ de Ludov. nece.

Auentinus veterem Germanicam vocem ain Stockher *non videtur intellexiſſe.*

Litera Fundat. apud Hundium in Metrop. Monast. Felicis

eius Manibus, Landiſhutæ Parthenonem, cui Felicis Vallis nomen dedit, magnis impendiis ſtatuit; quem plurium BOIARIÆ Principum illatæ exuuiæ, multóque veriùs viua caſtiſſimi cœtus virtus ad hæc vſque tempora celebrem reddidere. VALLIS ERIGITVR.

OTHO IV. LVD: F. DVX BOIARIÆ.

Luctum BOICÆ acerbo Ludouici caſu perculſæ opportuna Othonis Filij Liberalitas mitigauit; cùm eodem illo funeſto die, apertis prouinciæ granariis, grauem ea tempeſtate annonam leuaſſet, Patris Patriæ nomen meriturus, antequam inſignia Principis acciperet, & plebeia vota pro auſpiciis habiturus tale illi æuum exoptantium, qualia prima eius initia fuiſſent. Idem annus etiam Ratpotonem Ortenburgium Palatinum BOIARIÆ ſuſtulit; quæque ſancti tatis ſuæ miraculis tota volumina impleuit, Eliſabetham Thuringam; quam vt Vngari paterni generis iure repetunt, ita BOII materno ſanguine ſibi vendicant Gertrude Andecenſi natam. nos *Chron. Auguſt.* S. ELISABETHÆ THVRINGÆ RES MEMORANDÆ.

Ex Theoderici Libris VIII. de Vita Elizabethæ.

PRIMÆ ÆTATIS SANCTITAS.

ex incomparabilis fœminæ viridariis pauculos flores velut in ſertum pancarpium legere admiratio ingentium per omnem vitam virtutum cogit; quando etiamnum infantulam affixam cælo & maioribus, quàm pro ætate, curis deditam fuiſſe ſuſpicimus. Patronum ex laudabili eius æui more ſortienti Ioannes Apoſtolus obtigit neque temerè lectus neque oſcitanter cultus, ſummum nefas ducente Virgine, quidquam eius interpoſito nomine à ſe flagitantibus negauiſſe. puellares luſus velut irritamenta vitiorum auerſata eſt. choros ducere iuſſa, vbi vnum orbem abſoluiſſet, miſſionem flagitauit, verita Dei oculos offendere, ſi tripudiantem ſe vidiſſet: quemadmodum neque gemmato vertice adorare Chriſti Crucem ſuſtinuit, faſtum ſibi ab illius corona exprobrari dictitans. Eam modeſtiam cùm pauci probarent, & apud ſponſum etiam, in cuius regiâ educabatur, traducerent, negauit ille auri montes pactis ſe ſponſæ nuptiis cum tam rara dote virtutum antelaturum, nouâ amorem arrhâ teſtatus ſpeculari orbe duplici ad eam tranſmiſſo,

SPECVLVM S.ELISABETHÆ,

miſſo, quorum alter suam inſpicienti, alter Christi pendentis faciem redderet; vtrumque ſignificans de forma conſulendum; & comptam vtique ſibi ſatis fore, ſi Dei oculis arriſiſſet. Iam nubilem vigeſimo primo ſæculi huius anno in thorum deduxit ipſum quoque raris nobilitandum exemplis; vt quem haud temerè niſi voluntariis ſecta flagris ſubiret ſæpe precum cauſâ deſereret, æquè miranda coniunx atque virgo fuerat. Terna ſobole maritum beauit; quā ipſa puerpera plebeium in morem laneo induta amiculo templo inferens Deo ſtitit. Pudicitiam mundum muliebrem rata ſemper virtute quàm veſte conſpectior fuit; nullum comitatum pauperum turmis glorioſiorem credidit; quibus etiam ancillari pro magnifico habuit, elephantiacorum illuuiem pſorámque cupidiùs tractans, quàm gemmarum elenchos. genitos ex illâ crederes, tantâ in omnes erat pietate. cibos ori offerre, nudos, ſi nihil aliud ad manum eſſet, veſte etiam ſua inuoluere, Numen in ſingulis reſpicere; cuius maieſtatem ſubinde ſub centonibus latuiſ-

VIRTVTES MATRONALES.

MODESTIA ET PAVPERVM CVRA.

ſe ma-

ſe, magnis documentis ipſe adeò eius maritus didicit, tum quidem clariſſimè, cùm ad patris legatos ſalutandos prodeuntem radiare veſte non ſua, quámque cælo ſubmiſſam inuſitata lux proderet, attonitus aſpexit, non auſus deinde liberalitatem illius contrahere, à quâ etiam cælum ſtipem poſcere conſueſſet. Sed mors mariti omnia mutauit, & commune miſerorum aſylum ne tectum quidem, quo ſe regiámque ſobolem reciperet, habuit; qua immanitate adeò offenſa non eſt, vt D. Franciſci Sodales ad cantandum Deo ſolenne carmen excitarit, quod non niſi lætis rebus gratulabundi modulamur. Fuit cùm improba anus quotidianâ Eliſabethæ ſportulâ vltimam leuare inopiam ſolita obuiam facta contra tendenti decedere de via vt æquali faſtidiit, impulſámque in lutum magno ſupercilio deſpexit, effuſo interim ad hoc æquanimitatis miraculum cælo, & deſertam à mortalibus ſubleuante Christo, nouúmque fœdus ſanciente mutuæ & immortalis amicitiæ. Mechtildis denique Kizingenſis Cœnobij moderatrix eius matertera

CALAMITATES VIDVITATIS.

Ecber-

Ecberti Bambergenſis Epiſcopi fratris ſui eam humanitati commendauit; qui cùm ſuæ in neptem pietatis id quoque eſſe exiſtimaret, vt alteram viduæ conditionem coniugiúmque quæreret; illa, nî deſiſteret, fœdato vultu & naribus præcisis pudicitiæ conſulturam ſemet, ſeriò minata eſt. Per id tempus Andecenſem ab ea montem aditum ſacriſque ditatum cimeliis veteris famæ fide creditur. Manat hodiéque fons Eliſabethæ nomini ſacer, cuius aquis vim ineſſe medicam ab eius contactu pij perſuaſum habent & verò experiuntur etiam. Templum certè diu poſt hæc tempora illic conditum Eliſabetham patronam adoptauit & principe cultu veneratur. Oſſibus mariti Reinhartsbornæ conditis, Henrici fratris eius in ſe animo mitigato, Marpurgi valetudinarium ſua dote inſtruxit, eámque in poſterum palæſtram habuit ſuarum virtutum, ſub rigido Conradi Marpurgenſis Fidei cauſâ poſtea cæſi magiſterio; qui omnibus ſpoliatam illecebris ad vltimos paupertatis terminos redegit. neque tamen lanam facienti & ſqualore obſitæ paterni

Fama de peregrinatione in Boicam ſuſcepta.

amici ad id miſſi reditum in patriam aut certè ad lautiorem dignúmque natalibus ſuis cultum perſuadere vlla oratione potuere. Quatuor annis in viduitate eodem virtutum tenore actis, ex omni vitæ ordine victrix triplicémque coronam, quam Virgini, Nuptæ, Viduæque communi orbis ſuffragio pictorum manus vulgo imponit, merita ad cælum abiit ab ipſo Seruatore perquam familiariter inuitata; qui paſſus non eſt pridem mundo mortuam vlla mortis incommoda perſentiſcere; ſed cæleſtibus delibutam gaudiis per iter æternitatis ſine metu deduxit. Mira, quæ viua mortuáque patrauit, non eſt operæ enumerare. vtiliſſimi exempli eius in vtraque fortuna moderatio eſt. Magiſtram generis humani appellare liceat, quæ à purpura ad centonem ideo deſcenderit, vt ſummi pariter infimíque rectè collocandarum opum, &, quod æquè difficile eſt, honeſtè ferendæ paupertatis ab ea documenta peterent. & fuit ſanè id tempus, quo magnis exemplis erat opus, copioſâ malorum ſegete, quam ſequentibus annis metemus, iam in herba

I. Lipſius de D. Hallenſi c. 2.

Digitized by Google

herba apparente, & recrudeſcentibus
ærumnis, qualesin omnibus Imperij
Sacerdotiíque diſſenſionibus hucuſq;
deplorauimus. præluſum iis ſequenti MCCXXXII.
mox anno in Boica, fœdiſſimâ Eber- *Staindel. MS.*
hardi * Lanſtorffij ſummæ Ædis apud *Stero.*
Batauenſes Canonici cæde. Vir erat an- *Hundius.*
tiquis moribus & recti tenax, non ſcele- ** al Iachen-*
rum tantum oſor, ſed etiam ſcelera- *ſtorffius.*
torum cenſor, eáque oris libertate, vti Cædes sa-
neque Gebhardo vrbis Epiſcopo par- cri viri.
ceret; cuius ſtudiis cùm pauci fauerent,
nemo tamen apertiore quàm Eberhar-
dus fronte eſt obluctatus. Hominis can-
dor, vel, vt aliis videbatur, rigor ei per-
niciem attulit. Epiſcopi familiares pere-
grè eum nacti deartuatum membratím-
que cæſum obtruncauere. Facto atroci
& poſt Emmerammi carnificinam in
Boiaria nunquam viſo prouincia
omnis ingemuit. Collegæ eius capite
potiti, miſerationis ciendæ causâ, Ro-
mam illud aſportarunt, admiſſi in con-
ſpectum Pontificis ad cætera luctus in-
ſignia mœſtum carmen addidere ex ſa-
cra Ioſephi hiſtoria concinnatum; quod
cùm modulis quàm fieri potuit triſtiſſi-

mis decantaſſent, illa denique miſerabili vlulatu, *Vide ſi tunica filij tui ſit, an non?* complorantes, euolutum pariter Eberhardi caput tabo ſanieque fluens oculis Pontificis ingeſſerunt, cædiſque autorem Gebhardum Epiſcopum deteſtati, inuiſum illius & execrabile bonis omnibus nomen reddidere. Miſſi à Pontifice, qui de cauſa cognoſcerent, Gebhardum nocentem videri pronunciarunt. Plura eidem vitio data cùm non refellerentur, credibile ipſum etiam accuſationis caput reddidere. Inuidiâ certè, amiſsâ mitrâ, conflagrauit. Litium forenſium, quas maximis quibuſque Boiariæ proceribus intendit, documenta plura ſuperſunt. Alramo & Alberto fratribus Halſiis & Wernhardo Vtendorffio, quòd in bona Eccleſiaſtica à Walchuno Rotenbergio beneficiario iure poſſeſſa, iis, quorum intererat, inuitis inuolaſſent, Straubingæ apud Ludouicum Boiariæ Principem diem dixit, atque vt abſentes omnibus ſententiis damnarentur, euicit. Longior cum Conrado Waſſerburgio dimicatio fuit, qui arce Viechtenſtaini Epiſco-

Gebhard. Paſs. ep. loco motvs.

Ex tabulis Eccl. Batauenſ.

Digitized by Google

Epiſcopio Batauenſi vendita, pactis non ſteterat. Gebhardus iniuriam ſacris profaníſque armis vltus à Comite olim interceptus magno auri pondere libertatem redemit. Cum Alberto etiam Pogio colliſus, Landaui eum ad confeſſionem iniuriæ adduxit, quæque molliſſima finiẽdarum litium ratio eſt, beneficiis placatum ſibi deuinxit. Diu, quemadmodum diximus, exauthorato ſucceſſum non eſt. Proximo anno denique Rudigerus Chimenſis Epiſcopus, Alberto Archidiacono Pontificis Legato annitente, dignitatem eſt adeptus, pulchrius in gradu inferiore ſtaturus, & minore metu ruinæ, qua omnis illius fama paulo pôſt in præceps eſt data. Eadem tempeſtate Ecbertus Babenbergenſis Epiſcopus cum Duce Carinthiæ bellum geſſit, incertum quibus ex cauſis. Miſcentem omnia & agros pariter arceſque vrentem Henricus Finkenſtainius Ducis beneficiarius per dolum cepit & toto verni ieiunij tempore in cuſtodia habuit. Ita melioribus ſtudiis etiam in ſacro ordine rareſcentibus, vetera exempla reuocanda fuerunt ponen-

MCCXXXIII.

Stero. Chron. Auſtr.

ECBERTVS BAMB. EP. CAPTVS.

S. VIRGILIVS DIVIS ADSCRIPTVS.

nendáque ob oculos; quod quidem hoc anno factum, quo Virgilij Saliſburgenſis Antiſtitis nomen Gregorius Pontifex Faſtis Cælitum inſcripſit orbíque ſanctum eſſe iuſſit IV. Id. Iunij. Eius

HENR. FRIDER. CAS. F. BELLO BOIOS PETIT.

Stero. Godefrid.

triumphi lætitia ne BOIARIÆ diuturna eſſet, bellum, vnde minimè ſperabatur, illatum effecit. Otho Ludouico patre mortuo ſine controuerſia rerum potens Ratiſbonam Comitia indixerat. Henricus Rex iniquo in Othonem animo, vrbe eum recipi vetuit, coegítque Landishutæ ſedem conuentui agendo quærere; neque ea iniuria contentus ſex millibus militum ad Lycum flumen repente contractis in BOIARIAM irruit, fœda, vt apud imparatos, exempla editurus, ni Eberhardus Saliſburgenſis

PAX CONCILIATA.

Pontifex properè obuiam profectus, cum à maleficio auertiſſet, pollicitus Othonem imperata facturum, fideíque ſuæ obſidem Ludouicum F. quadrimum apud eum relicturum. Ita procella ſubſedit, & actis Ratiſbonæ, nullo interpellante, Comitiis, exercitus in Au-

MOTVS À FRID. BELLICOSO

ſtriam ductus. Fridericus cognomento Bellicoſus prouinciæ tum præerat, ingenio

Digitized by Google

genio turbulento & comparandorum hoſtium quàm amicorum cupidior; cui ſatis non erat Morauos pariter Vngaróſque excitaſſe, niſi Boios etiam ad arma compulſis triplex circa ſe bellum haberet. quod vt aſſequeretur, Schärdingæ, vrbe Auſtriæ tum contributa, Muringerum Veſenum inſignem prædonem præfecerat, qui Varnbacenſi Monaſterio, incolis pulſis, occupato, Oeni oram latè infeſtam habuit. id ne impunè Auſtrius ferret, ſuis artibus appetitus eſt. ignis in Lambacenſe Cœnobium iniectus, eadémque damna, prædis ſtrenuè actis, regeſta. Proximo anno, qui trigeſimus quartus fuit, Varnbacenſe cœnobium receptum; quadraginta latrones inde ad ſecurim & furcam extracti: templum Monachis redditum. Iis expeditionibus ſpoliorum plus quàm gloriæ partum; cordatis viris hæc inter Chriſtianos cognatóſque Principes certamina non probantibus, & Pontifice alium hoſtem veráſque victorias oſtendente; cùm datis è Concilio Romano ad Othonem Ducem Literis, eum ad vertenda in Crucis inimicos

AVSTRIO CONCITATI. *Auent. l. 7.*

MCCXXXIV.

395. Epiſt. 5. Kal. Dec.

arma hortaretur. quo argumento cùm reliquis quoque Principibus ſcripſiſſet, nemo ex omnibus ſe mouit, plerisque fœdiſſimo diſſidio, quod Fridericum Cæſarem Henricúmque Filium diſtraxit, implicitis. Id Bopardiæ natum Marchio Badenſis Imperatori in Apulia commoranti detexit, auctórque ei fuit incendij in prima ſcintilla opprimendi. Ille nihil moratus, ſequẽti anno in Germaniam reuerſus, itinere per Auſtriam Boicamque inſtituto, filium inter meditati ſceleris infirma principia oppreſſit. Trifelſiâ munitiſſimâ arce Henricus ſe tenebat, ciuitatum fœderatarum obſides magis ad augendam inuidiam, quàm quòd opis quicquam in iis eſſet, circa ſe habens, nondum tamen obſtructa ad Patris clementiam viâ, ſi eam ingredi properaret. Hermannus Teutonici Ordinis Magiſter illi ſe Ducem præbuit & blandis confirmatum promiſſis VI. Non. Iulij patri Wormatiæ ſtitit. is leniter caſtigato durius nihil imperauit, quàm vt reſciſſo impio fœdere, arces, quarum fiducia tantum nefas auſus fuerat, ſibi redderet: id Henricus in ſpeciem

Trithem. Godefrid. CÆSARIS CVM FILIO SIMVLTATES.

ciem pollicitus, prævalente pervicaciâ, à ſe non impetrauit. Mitiùs illius conſilia interpretentur neceſſe eſt, qui Pontificis auctoritatem iis admiſcent; quaſi is oſtentatâ Italiæ coronâ, filium à patre vt impio auulſerit; quod nos à priſcis Scriptoribus præteritum in recentiorum gratiam nolumus credere. Pater, obſtinatione filij compertâ, conuerſus ad vim, eum in poteſtatem adductum Haidelbergæ Othoni BOIARIÆ Duci cuſtodiendum tradidit. Moguntiæ deinde, ne quid per iracundiam ſtatuiſſe in ſuum ſanguinem durius videretur, cauſam illius diſceptandam Principibus reliquit; ex quorum ſententiâ in Apuliam tranſportatum Coſentiæ vinculis mancipauit; vbi paulo pòſt ærumnarum inſolentiâ extabuit. Regium nomen in Conradum fratrem eius translatum. Ægritudo animi ex calamitate domeſticâ contracta genialibus ludis & nouis cum Angla nuptiis abſterſa. Otho Brunſuicenſis Welfonum, vti diximus, ſanguis, finiendarũ litium cauſâ, quidquid terrarum hæreditario ad ſe iu-

Bern. Corius.

CÆSAR FILIUM CAPTIVUM OTHONI BOIAR. DUCI COMMENDAT.

BRVNSVICENSIS DVCIS NOMINE AVCTVS.

re pertinere contenderat, beneficiario poſſidere contentus, eum modeſtiæ fructum tulit, ut Ducis titulo ab Imperatore auctus ſummis Principibus exæquaretur: Contrà Fridericus Auſtrius

MCCXXXVI. *Cuſpin. in Auſt. Stero.* FRID. AVSTRII ILLAVDATA STVDIA.

hoſtis Reipub. declaratus. Exhauſto inutilibus & iniuſtis bellis ærario, verſus ad rapinas, compilatis ciuibus nudatíſque templis, ſacrorum hominum locorúmque ſpoliis in ſtipendia militum abutebatur. Acceſſit ad auaritiam libido inexcuſabile ſcelus; cùm pecuniarum cupidini neceſſitas & tuendæ cura maieſtatis, aliáque ſpecioſè, ſi minùs verè, obtendantur. Ita ſuis pariter exteríſque inuiſus cùm ſæpe ad dicendam cauſam

PROSCRIBITVR. *Godefrid.* ELISABETHÆ THVRINGÆ NOMEN DIVÆ DATVM.

à Cæſare euocatus iudicium ſubire contempſiſſet, Auguſtæ tādem proſcriptus eſt. Kalendas Maij D. Elizabetha Thuringa ad omnem poſteritatem commemorabiles fecit. Humiliore quàm pro virtutum gloria tumulo condita credebatur, vtique cùm eam vt Diuam cœli Pontifex aríſque recipi iuſſiſſet; Moguntino inſuper Treuirenſi & Hildeſhaimenſi Epiſcopis negotium dediſſet, vt nomen illius auguſtius ſanctiúſque

terris

Digitized by Google

terris redderent. Id promptum factu fuit, iam ſponte incenſis mortalium erga ſanctiſſimam fœminam ſtudiis. ſimulac innotuit de tumulo leuandam, ad duodecies centena hominum millia Marpurgum confluxere; in quibus etiam Imperator fuit; qui vt ſuas aliquas in eo triumpho adornando partes faceret, primus terram aperuit, ſaxo, quod corpori incubabat, amoto. vbi denique Diua prodiit, coronam auream ſacro eius vertici impoſuit. ipſa viciſſim, velut remunerandis Piorum ſtudiis, omne genus morborum ab ægris corporibus depulit; & vt in poſterum etiam medicina ſuppeteret, liquorem medicum oleo perſimilem toto corpore exſudauit. Abſoluto Religionis miniſterio arma reſumpta, & contra Fridericum Auſtrium itum. Wenceslaus Bohemus, Bertholdus Aquileienſis Patriarcha, Sifridus Moguntinus, Eberhardus Salisburgenſis, Theodoricus Treuirenſis Archimyſtæ; Ecbertus Babenbergenſis, Rudigerus Batauenſis, Sifridus Ratiſbonenſis, Conradus Friſingenſis Epiſcopi; Otho Boicæ, Bernardus Carinthiæ, Henri-

Pietas vvlgi erga D. Elizabetham.

Stero. Godefrid.

Bellvm Avstriacvm.

Henricus Thuringiæ Principes Cæſarem ſecuti, ſummi viri,& ſi in meticuloſum hoſtem incidiſſent, bellum nomine famáque confecturi. Auſtrius vel hinc æſtimans vires ſuas,quòd tanto apparatu peteretur, nihil dubitauit totius Imperij robur excipere dedecoris ſecurus etiamſi ſuccubuiſſet. ea tamen per hyememem illam,qua Neoſtadij ſe tenuit, facinora edidit, vt Cæſar victoriæ ſpe dubiâ,deditionis voluntariæ penitus irritâ, intereſſe famæ ſuæ crediderit, moras illic non nectere. Summa proinde rerum Ecberto Babenbergenſi & Comitibus Eberſtainio, Hennenbergio & Norimbergenſi permiſsâ,in Italiam,Paſchate Ratiſbonæ acto,properauit. Eius abitu & Ecberti Babenbergenſis obitu animoſior factus Auſtrius, adſcito in ſocietatem belli Alberto Comite Pogio, quem paulo antè Veneti in vinculis habuerant, Legatos Imperatoris in campis Stainfeldenſibus magna clade affecit; Rudigerum Bataueníem & Conradum Friſingenſem Epiſcopos, qui prælio interfuerant, viuos in poteſtatem adduxit, continuatóque curſu victoriæ,

AVSTRII AVDACIA.

VICTORIA.

Au-

Digitized by Google

Auſtriam omnem, quam Cæſar Imperij prouinciam eſſe iuſſerat, cum magna nominis ſui gloria, recepit. Conradum Friſingenſem eadem tempeſtate inimicitias cum Othone BOIARIÆ Duce geſſiſſe comperio; etſi neque cauſæ proditæ ſunt, & in ſummo ſcriptorum ſilentio vix relictus eſt diuinandi locus. ſi quod tamen in tabulis publicis veſtigium hæſit, id eruemus cum fide. Primùm igitur omnium ſatis conſtat, Geroldum, qui Conradum proximè in Pontificatu anteceſſit, ſiue rei familiaris inſcitiâ, ſiue effuſa prodigalitate eò redactum, vt oppignerandis ſacris poſſeſſionibus, vel, ad clientes ſuos viros factioſos & nobiles demerendos, iiſdem iure beneficiario elocandis, cenſum Eccleſiæ luculentè imminuerit, ipſa adeo ciuitate Friſingenſi, quæ vt Friderici Imperatoris literæ loquuntur, prima legitimáque Eccleſiæ dos, ante eius conſecrationem, ad diuinum cultum perpetuandum & concinnanda lumina Epiſcopis contributa liberalitate Principum fuerat, BOIARIÆ Duci feudi

CONR FRIS. CVM OTHONE BOIO BELLIGERAI.

Vide Gevvold. in Add. ad Hundij Metrop. f. 163. 164.

FRISINGA DVCI BOIARIÆ OBLIGATA.

Henricus Thuringiæ Principes Cæſarem ſecuti, ſummi viri,& ſi in meticuloſum hoſtem incidiſſent, bellum nomine famâque confecturi. Auſtrius vel hinc æſtimans vires ſuas,quòd tanto apparatu peteretur, nihil dubitauit totius Imperij robur excipere dedecoris ſecurus etiamſi ſuccubuiſſet. ea tamen per hyemem illam,qua Neoſtadij ſe tenuit, facinora edidit, vt Cæſar victoriæ ſpe dubiâ,deditionis voluntariæ penitus irritâ, intereſſe famæ ſuæ crediderit, moras illic non nectere. Summa proinde rerum Ecberto Babenbergenſi & Comitibus Eberſtainio, Hennenbergio & Norimbergenſi permiſsâ,in Italiam,Paſchate Ratiſbonæ acto,properauit. Eius abitu & Ecberti Babenbergenſis obitu animoſior factus Auſtrius, adſcito in ſocietatem belli Alberto Comite Pogio, quem paulo antè Veneti in vinculis habuerant, Legatos Imperatoris in campis Stainfeldenſibus magna clade affecit; Rudigerum Batauenſem & Conradum Friſingenſem Epiſcopos, qui prælio interfuerant, viuos in poteſtatem adduxit, continuatóque curſu victoriæ,

Austrii avdacia.

Victoria.

Au-

Digitized by Google

Auſtriam omnem, quam Cæſar Imperij prouinciam eſſe iuſſerat, cum magna nominis ſui gloria, recepit. Conradum Friſingenſem eadem tempeſtate inimicitias cum Othone BOIARIÆ Duce geſſiſſe comperio; etſi neque cauſæ proditæ ſunt, & in ſummo ſcriptorum ſilentio vix relictus eſt diuinandi locus. ſi quod tamen in tabulis publicis veſtigium hæſit, id eruemus cum fide. Primùm igitur omnium ſatis conſtat, Geroldum, qui Conradum proximè in Pontificatu anteceſſit, ſiue rei familiaris inſcitiâ, ſiue effuſa prodigalitate eò redactum, vt oppignerandis ſacris poſſeſſionibus, vel, ad clientes ſuos viros factioſos & nobiles demerendos, iiſdem iure beneficiario elocandis, cenſum Eccleſiæ luculentè imminuerit, ipſa adeo ciuitate Friſingenſi, quæ vt Friderici Imperatoris literæ loquuntur, prima legitimáque Eccleſiæ dos, ante eius conſecrationem, ad diuinum cultum perpetuandum & concinnanda lumina Epiſcopis contributa liberalitate Principum fuerat, BOIARIÆ Duci

CONR FRIS. CVM OTHONE BOIO BELLIGERAI.

Vide Gevvold. in Add. ad Hundij Metrop. f. 163. 164.

FRISINGA DVCI BOIARIÆ OBLIGATA.

feudi

feudi nomine permiſsâ. quæ tam intempeſtiua largitio magnis neceſſariò motibus cauſam dederit, donec Fridericus Imper. annis abhinc ſeptem, Anagniæ per Præpoſitum Indicenſem de rei indignitate admonitus Patriarchæ Aquileienſis, Eberhardi Saliſburgenſis, Sifridi Ratiſbonenſis Epiſcoporum, Leopoldi Auſtrij, Bernardi Carinthij, Othonis Meranenſis Ducum conſilio vſus Geroldi acta reſcidit, & Friſingenſem vrbem priſtinæ libertati reſtituit. Parueritne Otho extemplo contra ſe latæ ſententiæ, in incerto eſt; & notæ alioqui fruſtrationes ſunt & diuerticula familiaria iis, qui partis quomodocunque ſpoliis excidunt inuiti. illud euinci literis poteſt, quinto demum poſt actam Anagniæ cauſam anno, Canonicis Friſingenſibus argenti collatitij, quod tributi nomine ab iis exigebatur, gratiam factam, cedente iuribus ſuis Othone, ſolâ aduocatione retentâ. Epiſcopo ne tum quidem ſatisfactum; qui cæteris rebus impar, propriis religionis armis vires ſibi Othonis putauit infringendas,

OTHO TRIBVTVM CANONICIS FRIS. REMITTIT.

das, diro carmine in eum velut impium recitato. eo cùm bonorum odium incurrere ſe Princeps intelligeret, Gregorium Pontificem vindicias popoſcit; qui cognitione litis Sodalitij Dominicani Friſacenſis præfecto demandata, arbiter interceſſit. Iniquè tulit Epiſcopus litem ad Pontificis tribunal reuocari, quòd ipſe apud Cæſarem diſceptare mallet impiam vocem excidere ſibi paſſus, Romano Pontifici in Germania iuris nihil eſſe; quæ protinus excepta delatáque Romam reum læſæ Religionis diuinæ fecit, parúmque abfuit, quin vnà cum Friderico, ad quem prouocauerat, piorum cœtu moueretur. Fridericus iteratò Pontificis offenſam incurrerat, nouis ſceleribus veteris plagæ cicatricem rumpentibus; quæ quia Pontificiis literis exaggerata proſtant, nolui eorum atrocitate præſentem ſcriptionem funeſtare. Vltimæ & ſanctiſſimæ Chriſti cœnæ die anni trigeſimi noni ſacrum in illum fulmen contortum; omnes qui Pietatem & Innocentiam ſartam tectam vellent, ab eius conſortio ſubmoti; legati quaquauerſum dimiſſi,

OTHO EXCOMMVNICATVR PER INIVRIAM.

TEMERITAS EPIS. FRISING.

CÆSAR ANATHEM. PERCVLSVS.

miſſi, qui totum illi humanum genus inconciliarent.

II. ALB. BOHEMI LEGATI PONT: FEROCIA ACTA.

Albertus cognomento Bohemus Batauenſis Archidiaconus homo acer & præferuidus in BOIARIAM amandatus; qui poteſtate intemperanter vſus, dum impetum animi pro ratione ſequitur, breui prouinciam, quam pacatam ingreſſus eſt, tumultibus impleuit. Nam ſicubi reperiſſet, quibus vt affectis ægriſque medicinam facere par fuit, in eos exercere lanienam maluit, ſummum vbique rigidiſſimúmque ius crepans, quod antiqui non immeritò ſummam iniuriam vocarunt; magno ipſe documēto futurus, Legatorum imprudentiâ quantum peccetur, cùm minutuli homines precario imperio velut nani Heroum cothurnis induti ſuo ſe pede modulóque metiri dediſcunt, aſſumptíſque ex muneris ſui maieſtate ſuperciliis, auctoritatem, quam prudentia tueri non poſſunt, munire ſæuitia volunt. Alberti acta Auentinus integra habuit, ſatis triſtem quatuor annorum hiſtoriam inde ſarturus, etſi veneni nihil admiſcuiſſet de ſuo. ſed nimirum

CENSVRA IN AVENTINVM.

Saty-

Digitized by Google

Satyricus noſter ſincerum etiam vas incruſtare ſolitus, manifeſtíſque virtutibus conuitium facere, in tam benigna materia degenerare à ſeipſo turpe putauit nuſquam facundior in maledicta; ferendus nihilominus ſi vnius hominis caſtiganda temeritate iram exſatiaſſet; nunc Pontificium nomen omne, & quidquid vſquam ſanctum eſt, configendum ſibi ſumpſit, quod denique eſt propter infelicem ſtolonem totam arborem exſcindere. At enim factum diuinitus puto, vt Commentariis illis vel caſu perditis, vel fraude ſuppreſſis, eorum epitome & ipſius quidem Auentini confecta manu ſupereſſet, non ſumma tantùm rerum capita complectens, ſed omnino ea omnia, quæ ad BOICA noſtra quà ſacra quà profana quomodocunque pertinent; vt præter notam temporis, quæ ſubinde excidit, nobis ad eruendam promendámque veritatem vix quidquam deficeret. Alberto in BOICAM ingreſſo non modò hoſpitium Otho præbuit, ſed eidem ad inuidiam vſque addictus, vni omnia indulgendo dictáque pro oraculis amplexando, maximis

OTHO LEGATVM PONTIF. FOVET.

ximis ſe prouinciámque omnem diffi-
cultatibus implicauit. Albertus viciſ-
ſim animo eius obſequi, eoſdem cum
eo amicos hoſtéſque habere, nihil pe-
tenti negare. Sifridus Moguntinus Epi-
ſcopus Laurisheimenſe Cœnobium,
pulsâ D. Benedicti familiâ, Ciſtercienſi-
bus dederat; quod cùm ipſi, exulibus
vetuſtiſſimam coloniam armata manu
repetentibus, tueri non poſſent, Epi-
ſcopus vtriſque ſucceſſit, & maximis
inde emolumentis auctus loco velut
CVM ARCHIEP. MOGVNT. COLLIDITVR.
iure parto incubabat; qui quoniam ad
Palatinatum Rheni pertinet, ſatis cauſæ
habere ſe Otho credidit, cur Sifridum
in ius vocaret. Albertus Pontificiæ Le-
gationis auctoritate ſuffultus Mogunti-
no Haidelbergæ diem dicit; parere de-
dignantem deuouet; Moguntiam Ec-
cleſiaſtico interdicto à ſacris arcet, &
publicatâ per Meinvvardum Maller-
ſtorfenſem Abbatem ſententiâ longè
latéque infamat. Finita ſub idem tem-
CVM EPIS. FRISING. IN CONCORDIAM REDIT.
pus Friſingenſis Epiſcopi cum Duce
controuerſia, miti Principis ingenio ad
pacem quibuſcunque conditionibus
properante, vltro conceſsâ Epiſcopo
legen-

legendi arbitros poteſtate. Ille Cæſareos poſtulauit; qui nullâ æqui boníque curâ, latâ pro Epiſcopo ſententiâ, grandem Duci innoxio mulctam dixere. qua iniquitate cùm boni omnes offenderentur, Dux tamen concordiæ ſtudio hoc etiam ampliùs fecit, vt tabulas omnes minacium edictorum querelarúmque & integra diſſidij acta aculeatis, vt fit, exaſperata verbis exureret, publicis literis Landishutæ ſcriptis profeſſus, indicta ſe inductáque omnia velle, quæ ſibi per illam temporum iniquitatem aduerſus Epiſcopum excidiſſent. Albertus, re cognitâ, non tam de Duce quàm ſummo Pontifice triumphatum dolens, vulgi præterea dicacitate irritatus ſcurrile carmen per compita cantillantis, *Ruit pars Papalis; praualuit Imperialis*; Gregorium Pontificem obteſtatus eſt, ne auctoritatem ſuam eſſe irriſui fineret, reſciſsíſque actis nouam Epiſcopo dicam ſcriberet. Pontifex iam olim Friſingenſi infenſior, quòd circumſcribere Poteſtatem ſuam Italiæ finibus, & patratâ inſuper cæde ſacerdotij ſan-

MITIS IN DVCE OTHONE INGENII SPECIMEN.

FRIS. EPISCOP. APVD PONT. IN ODIVM ADDVCTVS.

ſanctitatem violaſſe diceretur, Argentinenſem Epiſcopum habere de obiectis quæſtionem iuſſit. is vicibus ſuis Henrico Abbati Schirenſi permiſſis inuidiæ ſe ſubduxit. Abbas intrepidè in cauſam ingreſſus comperta firmatáque teſtibus

EXCOMMVNICATVR.

ad Pontificem miſit. Repetita mox in eum, quibus iam antea afflatus fuerat, Dirarum fulmina. iisdem vnà inuoluti, qui Epiſcopi cauſam quomodocunque ſuam feciſſent. Conradus Comes Waſſerburgius in Rotenſe Monaſterium inuolare iuſſus, nullâ aliâ causâ, quàm quòd Abbas in Epiſcopum quàm Ducem pronior fuiſſet. Prætori Falkenbergio plurium Eccleſiarum procuratio permiſſa; earum prouentus ærario Principis addicti, ad leuanda damna exiſtimo, quæ ære multatitio pendendo Dux fecerat. Cœnobia reliqua, vno Schirenſi excepto, quæ à Friſingenſi iura petunt, rebúſque illius ſtuduiſſe ferebantur, iiſdem execrationibus afflicta. Ex ordine equeſtri nobiliſſimus quiſque eadem infamia notatus. Nomina ſuperſunt, familiæ, quod mireris, omnes interiere. Friſingenſi diœceſi ad hunc modum in

luctum

Digitized by Google

luctum & ſqualorem coniectâ, eadem mox procella Boiariam reliquam omnem inundauit. Pontificis Epiſtolas, quibus Friderico Imperatori vt pietatis hoſti aqua & igni interdictum voluit, per emiſſarios ſuos ad Epiſcopos circumlatas publicari volebat Albertus. Ad Saliſburgenſem & Batauenſem ſeorſim ſcriptum, vt Fridericum Auſtrium profanis & impiis accenſerent. Defugientibus auctoritatem minæ intentabantur, quarum illæ aures inſolentes erant. Quò ferocior in imperando erat, eò minùs obſequentes habuit. Nemo vnus tam triſtis ſententiæ in ſummum Chriſtiani nominis Principem dictatæ præconium ſuſcepit: veteribus exemplis abſterrebantur, memores vix vnquam ad illa fulmina ventum eſſe, quin terrarum orbis totus contremiſceret & pax publica iiſdem flammis, quibus illi conſultum Pontifices volebant, conflagraret. Romani Imperij membra eſſe ſe, neque vllam ſatis magnam habere cauſam poſſe in caput ſuum inſurgendi: id potiùs ad fidem omnium pertinere, vndecunque telum ingruat, ſuo

Pertvrbatio Boiariæ.

Episcopi promvlgationem excomm. Cæsareæ detrectant.

RATISBONA CÆSARI ADDICTA.

illud pectore excipere, ne communem parentem feriat. Ratiſbonenſis Epiſcopus Sifridus curiæ Imperatoriæ Cancellarius propiore etiam periculo abſterrebatur; quòd Ciuitas nuper aſſerta Imperio haudquaquam paſſura eſſet in ſuis oculis nomen Cæſareum proſcindi: Ratpotone præſertim Palatino BOIARIÆ ducem ſeſe omnibus offerente, qui eliſam Pontificiæ indignationis mole Auguſtam maieſtatem ſaluam vellent. quo eius claſſico ſatis conſtabat audaciſſimum quemque excitatum intempeſtiuis præconibus vltimam perniciem minari; vt ſi peſſimè etiam Fridericum odiſſet, negaret tamen integrum ſibi eſſe ad illius infamiam conuitiis graſſari per iugulum ſuum redituris. ſed nimirum apud Albertum non modò vinci ſed etiam cedere neſcium verba perdebantur. Confeſtim diem velut immorigeris dicit, & deſertæ æquiſſimæ cauſæ proditæque religionis poſtulatos Landishutam euocat. & fuerunt nonnulli, qui parerent. Ratiſbonenſe Canonicorum collegium Marquardum Maticenſem Præpoſitum, comitibus Berthol-

ALB. EPISCOPIS DIEM DICIT.

Digitized by Google

tholdo & Vdalrico additis, ad agendam communem cauſam ablegauit. ij ad aliquot paſſuum millia progreſſi in inſidias præcipitantur. quatuor haſtati ex latibulis coorti lateribus circumfunduntur. Eberhardum Collegam illorum ad necem quærebant: ab ipſis temperarunt, denunciato tamen periculo, niſi infeſta latrociniis, quà transeundum neceſſariò erat, loca euitaſſent. id quanquam ex literis Albertus cognouerat, nihilominus Sifridum Epiſcopum execratus eſt. Idem illum ingenij ardor cum Saliſburgenſi Archiepiſcopo Eberhardo & Rudigero Batauenſi colliſit. Fatigabat hos quoque ferocibus edictis, impellebátque in vtriuſque Friderici, Cæſaris & Auſtrij deteſtationem: tergiuerſantes vltimi periculi metu, cauſam apud ſe velut capitalis noxæ dicere iubebat, mitras ſe detracturum capitibus minitans, nî morem geſſiſſent. Vrebat animos hominum ſummæ dignitati pares ſpiritus gerentium Alberti impotentia ſperantis ad ſuum tribunal infulatos ſe reos viſurum; útque ægrè decori memor eſt aut retinens dolor,

EPISCOPVM RATISB. EXCOMMVNICAT.

EPISCOPI EXASPERANTVR.

lor, viſi ſunt ipſi quoque maieſtatis ſacerdotij ſui, dum maximè eam vindicant, obliuiſci. nam Eberhardus quidem Pontificis literas, à cuius alioqui autoritate nunquam diſceſſerat, importunè ſibi ab Alberti nunciis obtruſas pedibus conculcauit. Rudigerus Batauenſis, cùm ei Myſtas initianti Wiſſegradenſes Canonici, quos ingratam hanc Alberto operam dare metus ſubegit, minaces eiuſdem literas tradidiſſent, pugnis ad ipſas aras contuſum tabellarium abripi in vincula iuſſit; qui cùm Gerbottonis Præpoſiti amicorúmque diligentiâ clanculum cum ſociis euaſiſſet, magnam auri vim ei, qui fugitiuos retraxiſſet, pactus haud obſcurè ſignificauit, quæ Euangelia Alberti fecialibus paraſſet. neque hîc ſtetit ira, ſed velut in vltima Reipub. calamitate decerni tumultum, indici iuſtitium, ſumi ſaga in Albertum iuſſit; iis denique Cruces aſſuit, vt ſacroſanctam eam militiam faceret. Albertus viciſſim quoſcunque eadem Crucis inſignitos notâ authoratóſque in Chriſtiani nominis hoſtes vagari per Germaniam comperit, eos contra

EPIS. PASSAV. IN ALBERTVM MILITIAM SACRAM EDICIT.

Digitized by Google

contra Prutenos barbaros, aut in Aſiam militatum ire, obiecta religione, vetuit, vt quandocunque contra Fridericum eiúſque aſſeclas euocarentur, præſto eſſent; negans trans mare aut inter Scythas Pietatis hoſtem quærendum; cùm Fridericus eius iugulum ex propinquo petat. Cùm has in BOIARIA turbas dediſſet & mortales miſerè perplexos attonitóſque à templis & aris ſubmouiſſet, nihilo mitiùs in vicinam Sueuiam Franconiámque detonuit. Auguſtanus, Würceburgius, Aichſtetenſis, qui Albertum ſanguine contingebat, aliíque plures iiſdem, quibus noſtri, à furioſo cenſore vinculis aſtringebantur; quæ etſi ab iis per contemptum abrupta in auctorē ſuum regerebantur, iubebatúrque alternis edictis faber quas fecerat ferre compedes, peſſimi tamen exempli erat, ſanctiſſimam religionem haberi ludibrio, & ſacratis viris Eccleſiæ auctoritate ipſoque diuino Numine abutentibus, plebeiis etiam animis æſtimandæ pietatis momenta eripi, quæque ad ſceleratos coërcendos, remediis omnibus conſumptis, ſerò ſed ſeriò iacta-

ALB. ETIAM ALIOS EPISC. DEVOVET.

EXCOMMVNICATIO IN CONTEMPTVM ADDVCTA.

bantur fulmina, nunc veluti fatuos ignes & bruta miſſilia eſſe irriſui explodíque. Certè Friderico Cæſari, quem Pont. deuouerat, multóq; magis Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Friderico Auſtrio & pleriſque Sueuiæ vrbibus, quas ob miſſa Cæſari auxilia, Albertus eſt deteſtatus, audacia ab his exemplis creuit, vt tremendum olim *Excommunicationis* nomen non magis quàm compitalem laruam aut nutricularum nænias metuerent, probroſum rati cruda militarium hominum pectora capi angíque religionibus, quas ſacrificuli vt vaniſſimas ſuperſtitiones deſpuerent. Porrò Friderici Auſtrij non eadem, quæ cæterorum, cauſa erat. diffidebat vt qui maximè à Cæſare, cuius amicitia reliquis fraudi fuit. Wenceslaus Bohemus in flagrantiſſima apud Pontificem gratia nomen eius detulerat, quòd fines ſuos identidem carperet, pactámque Primislao filio neptem tradere dubitaret; nihil denique eorum ageret, quæ Pontifici cordi eſſe ſciret; qui cùm Friderico Cæſari excitari

ACCVSATIO FRID. AVSTRII.

æmu-

æmulum percuperet, ad eam rem Auſtrij quoque ſtudia opportuna iudicârat. eas ſpes cùm Auſtrius destitueret, coetu piorum motus eſt. miſſi grauiſſimi viri dictatam ab Alberto ſententiam expoſituri, iidemq; , ne pompa abeſſet, in claſſes tributi. Primæ partes ternis ex ſingulis Militarium Ordinum, Collegiis, Teutonicorum ſcilicet & quibus à Templo & Hoſpitali nomen eſt, delectis datæ: his tres Abbates ſuccenturiati; Agmen quinque Myſtæ clauſere claro omnes inter ſuos loco & meliore legatione digni; huius enim idem, qui aliarum omnium in hac cauſa, exitus fuit. Alberti impudentia irriſa; exſibilati, qui hanc miſero nundinatori operam præſtarent, cuius merces fumóſque præter Bohemum Regem & BOIARIÆ Ducem nemo æſtimaret. Saliſburgenſis & Batauenſis Antiſtites omni religione Auſtrium, ſi qua eius animo inſediſſet, liberarunt. Græcij Stiriæ vrbe Saliſburgenſis cum Auſtrio congreſſus eſt: de obſidibus reddendis & immunitate ſacrorum prædiorum, quibus viri quidam nobiles incubabant, actum. Pro re- DENVNCIATA EI EXCOMMVNICATIO.

con-

conciliandâ inſuper Cæſarem inter & Auſtrium gratiâ laboratum. verùm id vt immaturum perfici non potuit. Comitia ſub idem tempus Monachij Otho celebrabat; quorum decretis ſtaturum ſe Salisburgenſis, excuſatâ abſentiâ, pollicitus eſt, fidei viciſſim Othonem commonefaciens in pactis conuentis ſeruandis: nuper enim à Straubingenſibus Comitiis cum Conrado Waſſerburgio & Fraunhofio dynaſta diſcedenti parum amicas Landishutæ literas, & Salisburgi deinde multo acerbiſſimas pleníſque felle, quod in bonos omnes Albertus deſpumet, redditas; vereri ſe, ne magno olim malo ſuo Dux ſentiat, Viperam in ſinu ſe fouiſſe. Arctiùs Alberto deuinctus erat Otho, quàm vt rumpi illud vinculum vnâ Epiſtolâ poſſet; noua præſertim obiecta ſpe roborandarum partium, ſi Fridericum Auſtrium cum Bohemo conciliaſſet. Conradus Friſingenſis, quem ab Auſtrio captum in Stainfeldenſi pugna ſuprà memorauimus, ex hoſte repentè amicus factus eidem auctor fuerat fœderis cum Bohemo ſanciendi. Auſtrius quatuor hominum

SALISB. ANT. OTHONEM ab ALBERTO ABDVCERE LABORAT.

minum millia comitatûs & tutelæ cauſâ ſecum trahens ad Batauenſem Epiſcopum, quem eodem ſibi, quo Friſingenſem, beneficio obligarat, contendit; inde legatis ad Othonem miſſis ab eodem poſtulauit, pacificatoris munus ſumeret & Bohemo ſibíque, quod vtriuſque commodo fieri poſſit, colendæ amicitiæ leges præſcriberet; eo ſe auſpice & arbitro, niſi Bohemo aliter videatur, staturum. Otho id à ſe impetrari haud grauatè paſſus iter in Bohemiam Regis adducendi cauſâ ſuſcepit, rebúſque ex ſententia confectis ſuum vtrique ſtudium egregiè probauit. Increbuerat interea, Germaniæ Principes, qui in Pontificis fide manſerant, eiuſdem auctoritate permotos de creando nouo Rege conſilia agitare; ad quæ diſturbanda Conradus Cæſaris Filius & Moguntinus Antiſtes mille haud amplius militum manu comitati Egram Kal. Iunij acceſſere. Bohemus Boiúsque contractis ex vtraque gente quatuor hominum millibus Elenbogium vſque iiſdem obuiam ierunt. id contra vim præſidium fuit; nam aduerſus aurium

OTHO PACIFICATOR LITIS AVSTRIACO-BOHEMICÆ.

RES CVM CONR. CÆS. FIL. AB OTHONE GESTÆ.

rium inſidias fideíque corruptelas ſatis erant animis præmuniti; quæ conſtantia Miſniæ Marchioni & Landgrauio Thuringiæ, qui ipſi quoque eodem acceſſerant, defuit. vtrumque Conradus magnis ineſcatum promiſſis à Pontificis partibus abduxit; fruſtra omnes machinas commouente Othone, in Thuringum maximè. is Henricus cognomento Raſpo fuit, inſcitè ab Auentino D. Elizabethæ filius creditus, cùm leuir, ſeu mariti frater fuerit. eum cum Boione neceſſitudo generis coniungebat, vtpote Sophiâ genitum, Ludouici, qui Othonem procreauit, ſorore; quò enixiùs elaborandum ſibi Otho putauit, ne ſanguine connexi animis inter ſe diſſiderent. cùm operam perdidiſſet, deteſtatus perfidiam, amicitiam illi ſociiſque publicè renunciat, vltróque Pontificem ad execrandum cum Conrado fratre Raſponem inſtigat. Per idem tempus Auſtrius Viennam adhuc rebellem oppugnaturus Bohemum BOIUMQUE auxilia ex fœdere popoſcit. id rebus præſentibus parum opportunum fuit; quòd dies Regi creando dictus inſtaret,

ITEM CVM HENRICO THVRINGO.

ſtaret, & in tantâ Bonorum paucitate vel vnius abſentia inſigniorem redderet raritatem. Nihilominus rebus inter ſe comparatis conuenit, vt Bohemus Comitiis intereſſet, BOII etiam partes impleturus, & ad ferendum ſuffragium duplici calculo inſtructus. BOIVS interim quatuor millia, quæ parata inſtructáque ſub ſignis ſtabant, Auſtrio adduceret, ne recens amicus idémque ingenio vario, incommodiſſimo tempore deſertus cauſam applicandi factioſis ſeſe ex ea vel iniuria vel negligentia officij arriperet. Optimè cogitata, vacillantibus iis, quorum conſiliis tota rerum moles incubuit, corruere. Ericum primùm Danorum Regem Iuniorem concordi animorum votorúmque deſtinatione ad Imperium vocatum pater futuri prouidus aut metuens certè, magno argumentorum pondere ab intempeſtiuâ cupiditate retraxit. præmeditatus animo omnia incommoda inſtitit apud filium, componeret ipſe per otium cum fallaci ſpe & primo arridentis fortunæ vultu, latentes in receſſu & velut inſidiis non curas, non inuidias, quæ etiam hone-

OTHO VICES SVAS BOHEMO PERMITTIT.

COMITIA DE CREANDO CÆSARE.

REX DANVS FILIVM À SVSCIPIENDO IMP. DEHORTATVR.

honeſtè partam gloriam comitantur;
ſed miſerabiles orbis terrarum motus,
ſed ſanguineas tempeſtates, ſed gen-
tium colliſionem,ſed prouinciarum in-
cendia; quódque neceſſariò in tanta-
rum calamitatum auctores deuoluitur,
commune humani generis odium. re-
peteret acta proximæ ætatis; & præcipi-
tia,in quæ inconſulta ambitione irruat,
inſpiceret in ſpeculo faſtorum; nimi-
› rum, inquit, velut reuoluto calamita-
› tum orbe, ad eadem mala reditum eſt,
› quibus ſub Henricis vltimis ingemuit
› infelix imperium. Eaſdem cauſas aut
fortaſſe etiam maiores habuere ij Prin-
› cipes, qui coronam ſibi tunc imponi
› paſſi ſunt. Gregorius VII. auctor facti
› fuit,diuinitatis,ita iactabatur,inſtinctu;
› quo nunc etiam Gregorius IX. impelli
› ſe exiſtimat. eius tamen conſilium,ſi ab
euentu æſtimetur, quis non infelix &
› pœnitendum Reip. dicat, & iis ipſis et-
› iam luctuoſum, qui ad vindicandam ty-
› rannidem,iuſſu Numinis, inſignia Im-
› perij videri volebant inuaſiſſe? ea certè
exempla tunc edita ſunt, quæ repeti ne-
› mo bonus velit. neque mihi tanti ſit,
infer-

Digitized by Google

inferre filium meum quantumcunque ‘
in familiam noſtram decus, & auitam ‘
coronam adiectis Imperij Inſulis & au- ‘
guſto nomine geminare, ſi ciuili ſangui- ‘
ne & prouinciarum lacrymis hæc nobis ‘
auctaria gloriæ venduntur. Filius in pa- ‘
tris ſe poteſtate futurum pollicitus tuta
præ ſpecioſis habuit, ambiguo exinde
vulgi rumore, cautum aliis, aliis timi-
dum appellantibus. Plus longè manife-
ſti dedecoris probríque Wenceslai Bo- BOHEMVS
hemi factum habuit; qui Pontificiæ à PONT. DE-
cauſæ eouſque Atlas habitus ſubductis SCISCIT.
repentè humeris ad aduerſarios tran-
ſiliit. Budiſſinam Proceres magno nu-
mero conuenerant de Repub. dandó-
que illi, ex voluntate Pontificis, iuſto COMITIA
rectore, in medium conſulturi. Otho BVDISSI-
Boius in procinctu iam erat cum lectiſ- NENSIA.
ſimis cohortibus tutandi comitij cauſa
comparatis. erecti hominum animi,
prona ſtudia, & pro bonitate cauſæ ſatis
virium. Friderici res nunquam magis in
arcto ſitæ; neque id eius aſſeclæ diſſimu-
labant. Legati à Friderico & Conrado
filio rebus turbandis ſubmiſſi, quò mi-
nore gratiâ auctoritatéq; erant, eò mo-

Pontifi-cii ho-ſtis.

deſtiùs prenſare ſingulos, abſtergere iras, inſinuare ſe in animos abalienatorum, diluere obiecta, turbarum cauſam referre in acerbitatem Pontificis ſtudiúmq; proculcandi Germanici ſplendoris. indigniſſimum eſſe, habere illum in peſſimo conatu Germanos adiutores. quid non auſurum, ſi inſultare Cæſaribus impunè, & vt quemque in purpura adorandum orbi faſtidioſo ipſe ſupercilio deſpexerit, ita redactum in ordinem propinatúmque contemptui publico deijcere de rerum faſtigio auſit, cenſeatúrque facere iuſſu Numinis, quidquid ira vel libido dictauerint? his quoque bonæ mentis ſcopulis obnoxio? Mirum eſſe, ſi non intelligant doctis præſtigiis Germanico candori fucum fieri, & ſecurè olim exercendæ tyrannidi muniri viam, eíque vires ex illis ipſis quæri, qui tandem ea opprimantur; quemadmodum, vt in fabulis eſt, equus accepto ſeſſore & freno, per beneficij ſpeciem libertatem amiſit. Ea cordatis vix in aures, nedum in animum admittentibus, Wenceslaus tamen, quo nemo exploratiorem dictorum vanitatem habuit,

Digitized by Google

buit, iis conſtantiam ſuam labefactari eſt paſſus; multus ipſe cũ legatis eſſe, & ſemotis arbitris totum ſe illis permittere, ſeduloque dare operam, ne Boleslaus Zlauconis filius, quo inconſulto nihil vnquam magnæ rei egerat, congreſſibus interueniret. Actum de conditionibus fœderis, tantúmq; non confectæ tabulæ, cùm mutati animi ſigna foras eruperunt. Ingens ex eo perturbatio orta. dimiſſi ad Othonem celeres nuncij, in quo vno ſpes bonorum omnes erant ſitæ. is inſperato ictus nuncio quantis maximis potuit itineribus, exercitu domi relicto, ad comitia contendit, congreſſúſque cum Bohemo precibus primùm pro amicitia, minis deinde pro grauitate cauſæ vſus vtramq; operam perdidit. Nihil eorum, quæ acta iam fuerant, reſciſſum; quod adhuc integrum erat, vti prorogaretur, impetratum, aliúſque dies & locus Friderici Legatis conſtitutus, ad recentem amicitiam firmandam. Per has velut inducias Otho negotium Alberto dedit, vti Pontificem, quanto in periculo res publicæ, priuatímque ſuæ eſſent, certiorem

OTHO FRVSTRA BOHEMVM SOLICITAT.

concilianda inſuper Cæſarem inter & Auſtrium gratiâ laboratum. verùm id vt immaturum perfici non potuit. Comitia ſub idem tempus Monachij Otho celebrabat; quorum decretis ſtaturum ſe Saliſburgenſis, excuſatâ abſentiâ, pollicitus eſt, fidei viciſſim Othonem commonefaciens in pactis conuentis ſeruandis: nuper enim à Straubingenſibus Comitiis cum Conrado Waſſerburgio & Fraunhofio dynaſta diſcedenti parum amicas Landishutæ literas, & Salisburgi deinde multo acerbiſſimas plenáſque felle, quod in bonos omnes Albertus deſpumet, redditas; vereri ſe, ne magno olim malo ſuo Dux ſentiat, Viperam in ſinu ſe fouiſſe. Arctiùs Alberto deuinctus erat Otho, quàm vt rumpi illud vinculum vnâ Epiſtolâ poſſet; noua præſertim obiecta ſpe roborandarum partium, ſi Fridericum Auſtrium cum Bohemo conciliaſſet. Conradus Friſingenſis, quem ab Auſtrio captum in Stainfeldenſi pugna ſuprà memorauimus, ex hoſte repentè amicus factus eidem auctor fuerat fœderis cum Bohemo ſanciendi. Auſtrius quatuor hominum

SALISB. ANT. OTHONEM ab ALBERTO ABDVCERE LABORAT.

minum millia comitatûs & tutelæ cauſâ ſecum trahens ad Batauenſem Epiſcopum, quem eodem ſibi, quo Friſingenſem, beneficio obligarat, contendit; inde legatis ad Othonem miſſis ab eodem poſtulauit, pacificatoris munus ſumeret & Bohemo ſibíque, quod vtriuſque commodo fieri poſſit, colendæ amicitiæ leges præſcriberet; eo ſe auſpice & arbitro, niſi Bohemo aliter videatur, ſtaturum. Otho id à ſe impetrari haud grauatè paſſus iter in Bohemiam Regis adducendi causâ ſuſcepit, rebúſque ex ſententia confectis ſuum vtrique ſtudium egregiè probauit. Increbuerat interea, Germaniæ Principes, qui in Pontificis fide manſerant, eiuſdem auctoritate permotos de creando nouo Rege conſilia agitare; ad quæ diſturbanda Conradus Cæſaris Filius & Moguntinus Antiſtes mille haud amplius militum manu comitati Egram Kal. Iunij acceſſere. Bohemus Boiúsqve contractis ex vtraque gente quatuor hominum millibus Elenbogium vſque iiſdem obuiam ierunt. id contra vim præſidium fuit; nam aduerſus aurium

Otho pacificator litis Avstriaco-Bohemicæ.

Res cvm Conr. cæs. fil. ab Othone gestæ.

rium inſidias fideíque corruptelas ſatis erant animis præmuniti; quæ conſtantia Miſniæ Marchioni & Landgrauio Thuringiæ, qui ipſi quoque eodem acceſſerant, defuit. vtrumque Conradus magnis ineſcatum promiſſis à Pontificis partibus abduxit; fruſtra omnes machinas commouente Othone, in Thuringum maximè. is Henricus cognomento Raſpo fuit, inſcitè ab Auentino D. Elizabethæ filius creditus, cùm leuir feu mariti frater fuerit. eum cum Boione neceſſitudo generis coniungebat, vtpote Sophiâ genitum, Ludouici, qui Othonem procreauit, ſorore; quò enixiùs elaborandum ſibi Otho putauit, ne ſanguine connexi animis inter ſe diſſiderent. cùm operam perdidiſſet, deteſtatus perfidiam, amicitiam illi ſociiſque publicè renunciat, vltróque Pontificem ad execrandum cum Conrado fratre Raſponem inſtigat. Per idem tempus Auſtrius Viennam adhuc rebellem oppugnaturus Bohemum Boiumque auxilia ex fœdere popoſcit. id rebus præſentibus parum opportunum fuit; quòd dies Regi creando dictus inſtaret,

ITEM CVM HENRICO THVRINGO.

ſtaret,

Digitized by Google

ſtaret, & in tantâ Bonorum paucitate vel vnius abſentia inſigniorem redderet raritatem. Nihilominus rebus inter ſe comparatis conuenit, vt Bohemus Comitiis intereſſet, BOII etiam partes impleturus, & ad ferendum ſuffragium duplici calculo inſtructus. BOIVS interim quatuor millia, quæ parata inſtructáque ſub ſignis ſtabant, Auſtrio adduceret, ne recens amicus idémque ingenio vario, incommodiſſimo tempore deſertus cauſam applicandi factioſis ſeſe ex ea vel iniuria vel negligentia officij arriperet. Optimè cogitata, vacillantibus iis, quorum conſiliis tota rerum moles incubuit, corruere. Ericum primùm Danorum Regem Iuniorem concordi animorum vototúmque deſtinatione ad Imperium vocatum pater futuri prouidus aut metuens certè, magno argumentorum pondere ab intempeſtiuâ cupiditate retraxit. præmeditatus animo omnia incommoda inſtitit apud filium, componeret ipſe per otium cum fallaci ſpe & primo arridentis fortunæ vultu, latentes in receſſu & velut inſidiis non curas, non inuidias, quæ etiam hone-

OTHO VICES SVAS BOHEMO PERMITTIT.

COMITIA DE CREANDO CÆSARE.

REX DANVS FILIVM À SVSCIPIENDO IMP. DEHORTATVR.

Digitized by Google

honeſtè partam gloriam comitantur; ſed miſerabiles orbis terrarum motus, ſed ſanguineas tempeſtates, ſed gentium colliſionem, ſed prouinciarum incendia; quódque neceſſariò in tantarum calamitatum auctores deuoluitur, commune humani generis odium. repeteret acta proximæ ætatis; & præcipitia, in quæ inconſulta ambitione irruat, inſpiceret in ſpeculo faſtorum; nimirum, inquit, velut reuoluto calamitatum orbe, ad eadem mala reditum eſt, quibus ſub Henricis vltimis ingemuit infelix imperium. Eaſdem cauſas aut fortaſſe etiam maiores habuere ij Principes, qui coronam ſibi tunc imponi paſſi ſunt. Gregorius VII. auctor facti fuit, diuinitatis, ita iactabatur, inſtinctu; quo nunc etiam Gregorius IX. impelli ſe exiſtimat. eius tamen conſilium, ſi ab euentu æſtimetur, quis non infelix & pœnitendum Reip. dicat, & iis ipſis etiam luctuoſum, qui ad vindicandam tyrannidem, iuſſu Numinis, inſignia Imperij videri volebant inuaſiſſe? ea certè exempla tunc edita ſunt, quæ repeti nemo bonus velit. neque mihi tanti ſit,

infer-

Digitized by Google

inferre filium meum quantumcunque " in familiam noſtram decus, & auitam " coronam adiectis Imperij Infulis & au- " guſto nomine geminare, ſi ciuili ſangui- " ne & prouinciarum lacrymis hæc nobis " auctaria gloriæ venduntur. Filius in pa- " tris ſe poteſtate futurum pollicitus tuta præ ſpecioſis habuit, ambiguo exinde vulgi rumore, cautum aliis, aliis timidum appellantibus. Plus longè manifeſti dedecoris probríque Wenceslai Bohemi factum habuit; qui Pontificiæ cauſæ eouſque Atlas habitus ſubductis repentè humeris ad aduerſarios tranſiliit. Budiſſinam Proceres magno numero conuenerant de Repub. dandóque illi, ex voluntate Pontificis, iuſto rectore, in medium conſulturi. Otho Boius in procinctu iam erat cum lectiſſimis cohortibus tutandi comitij cauſa comparatis. erecti hominum animi, prona ſtudia, & pro bonitate cauſæ ſatis virium. Friderici res nunquam magis in arcto ſitæ; neque id eius aſſeclæ diſſimulabant. Legati à Friderico & Conrado filio rebus turbandis ſubmiſſi, quò minore gratiâ auctoritatéq; erant, eò mo-

BOHEMVS À PONT. DEſCISCIT.

COMITIA BVDISSINENSIA.

deſtiùs prenſare ſingulos, abſtergere iras, inſinuare ſe in animos abalienatorum, diluere obiecta, turbarum cauſam referre in acerbitatem Pontificis ſtudiúmq; proculcandi Germanici ſplendoris. indigniſſimum eſſe, habere illum in peſſimo conatu Germanos adiutores. quid non auſurum, ſi inſultare Cæſaribus impunè, & vt quemque in purpura adorandum orbi faſtidioſo ipſe ſupercilio deſpexerit, ita redactum in ordinem propinatúmque contemptui publico deijcere de rerum faſtigio auſit, cenſeatúrque facere iuſſu Numinis, quidquid ira vel libido dictauerint his quoque bonæ mentis ſcopulis obnoxio? Mirum eſſe, ſi non intelligant doctis præſtigiis Germanico candori fucum fieri, & ſecurè olim exercendæ tyrannidi muniri viam, eíque vires ex illis ipſis quæri, qui tandem ea opprimantur; quemadmodum, vt in fabulis eſt, equus accepto ſeſſore & freno, per beneficij ſpeciem libertatem amiſit. Ea cordatis vix in aures, nedum in animum admittentibus, Wenceslaus tamen, quo nemo exploratiorem dictorum vanitatem habuit,

PONTIFICII HOSTES.

buit, iis conſtantiam ſuam labefactari eſt paſſus; multus ipſe cũ legatis eſſe, & ſemotis arbitris totum ſe illis permittere, ſeduloque dare operam, ne Boleslaus Zlauconis filius, quo inconſulto nihil vnquam magnæ rei egerat, congreſſibus interueniret. Actum de conditionibus fœderis, tantúmq; non confectæ tabulæ, cùm mutati animi ſigna foras eruperunt. Ingens ex eo perturbatio orta. dimiſſi ad Othonem celeres nuncij, in quo vno ſpes bonorum omnes erant ſitæ. is inſperato ictus nuncio quantîs maximis potuit itineribus, exercitu domi relicto, ad comitia contendit, congreſſúſque cum Bohemo precibus primùm pro amicitia, minis deinde pro grauitate cauſæ vſus vtramq; operam perdidit. Nihil eorum, quæ acta iam fuerant, reſciſſum; quod adhuc integrum erat, vti prorogaretur, impetratum, aliúſque dies & locus Friderici Legatis conſtitutus, ad recentem amicitiam firmandam. Per has velut inducias Otho negotium Alberto dedit, vti Pontificem, quanto in periculo res publicæ, priuatímque ſuæ eſſent, certiorem

OTHO FRVSTRA BOHEMVM SOLICITAT.

faceret; vtriſque niſi maturè conſulatur, de pietate in Germaniâ, vnáque de ſuis prouinciis actum eſſe. ſe à factioſis vndique circumſeſſum omniúmq; prædæ expoſitum viuere in diem. proximum quemque ſibi infeſtiſſimum expectare nutum Imperatoris iam circumſpicientis opportunum vindicem ſuarum iniuriarum. ſibi quoque contra torrentem nitenti ſi non animos at certè vires concidere, niſi aliunde ſubleuetur. intereſſe Pontificis ne vel ſuam vel Dei cauſam vnico eius patrono damno aut periculo eſſe patiatur. Minimè vanos Othonis metus vxoris trepidatio auxit, quam abſente marito ſubmiſſi à Conrado Rege & Friſingenſi Epiſcopo nuncij, malorum impendentium denunciatione, facilè de mentis conſtantia deturbarunt, minati vnam toto Imperio condenſari nubem, quæ BOICÆ imminens in cruentum ſeſe illic imbrem ſit ſolutura. Sic conſternatæ aperta mox etiam Bohemi defectio febrim attulit; de quâ ipsâ Albertus admonendum Pontificem putauit, tanto in eius ope ſolicitanda accuratior, quanto ſe

OTHO REBVS SVIS METVIT.

pro-

propinquiorem exitio videbat, ſi in eum caſum fortuna BOIARIÆ deduceretur, quem illi tot infeſtæ voces præſagire videbantur. neque enim vlli obſcurum erat, Othonem Alberti conſuetudine captum eique deditum nulla re magis, quàm eius auctoritate ad Pontificiam cauſam tuendam permoueri: & vtique ſi Principis aures eius incantamentis occluſiſſent, vel ſponte ſua pluribus acceſſurum, vel, ſi maximè contra ſentiret, tempori eſſe ceſſurum. Proinde Cæſar per literas; Epiſcopi etiam captata Othonis alloquendi opportunitate eò potiſſimùm incubuere, vt Sirenem illam domeſticam, cuius pernicioſis vocibus fallaciiſque in exitiales ſcopulos abriperetur, à ſe quàm longiſſimè ſegregaret. Cæſaris maximè Epiſtola ad inuidiam erat compoſita, iubentis Othonem meminiſſe originis ſuæ & Wittelſpacenſium cunabulorum. Inſignia, quæ Fridericus Auus ſuus eius itidem Auo Othoni ex Maiorum tenuitate emerſo contulerit, poſſe Fridericum Friderici nepotem Othoni Othonis nepoti detrahere. Sibi eandem eſſe, quæ

OTHO ADVERSVS ALB. CONCITATVR.

TERRETVR à CÆSARE.

Aui ſui fuerit, potentiam; Othonem ab auita indole degeneraſſe. haudquaquam decere eadem fidei cultæ proditæque dari ſtipendia. Porrò quanto acrioribus machinis Othonis pectus quatiebatur, tanto minus remiſſo eſſe Alberto licuit, tum maximè omnibus ingenij velis remiſque properanti ad tutum aliquem conſiliorum ſuorum portum, &, prout res ſe darent, aſpero blandóque; cùm neque minis abſtineret & prodigiis ſubinde oſtentíſque cælestibus ad conciliandam ſtudiis ſuis auctoritatem abuteretur. Henricus Poppo Monaſterienſis Præpoſitus Othoni ab Epiſtolis magnâ ſapientiæ, nonnullâ etiam ſanctitatis famâ prid. Kal. Maij oblatam ſibi de nocte ſpeciem Alberti ſacros conuentus agentis fatebatur; ad quos præter Theodoricum Otlinum mortalium nemo vocatus ſit. Cælitum Reginam & duodenos Apoſtolos vicarias pro ſe ſtatuas ex ebore candicantes cælo ſubmiſiſſe; in quarum pectore deſcripta oracula fuerint, quibus Alberti acta confirmarentur. Præterea ſacrificanti ſibi pugionem obiectum, aureis inſi-

ALBERTI CVRÆ.

PRODIGIOSA SOMNIA.

Aliter Auentinus contra MS. fidem recenſet.

inſignem notis, quibus abſtinere cibo iuberetur, ob neglecta Comitia ſcilicet; quorum decreta, cùm Otho Dux eiúſque coniunx edi poſtularent, ambobus cæleſtis ſenatuſconſulti in eburneis deſcripti ſigillis inſpiciendi copiam factam; eò omnia ſpectaſſe, vt Acta Alberti cum diuinæ mentis decretis examuſſim conſpirantia rata perpetuò eſſent. Id tam defœcatum ſomnium cùm iteratò ſe vidiſſe Henricus affirmaret, aliquo ſcilicet ſupra communia noctis ludibria loco eſt habitum, potuítque ad fœminam ſuperſtitionibus obnoxiam, ſpe metúque verſandam valere. Principem ipſum aliâ aggreſſus viâ proſpicere etiam atque etiam iuſſit, ne ſuffragij ius & ampliſſimam Septemuiratus dignitatem Pontifex vt ſua munera malè collocata repeteret. Friderico iam dudum exauthorato ſufficiendum extemplo Cæſarem fuiſſe, ne quid Chriſtiana res velut truncum ſine capite corpus detrimenti caperet. Electoribus officio ſuo ſuperſedentibus, fruſtrantibúſque tam pia vota, neceſſariò aliquid nouo exemplo audendum, imponendúmque,

ALB. OTHONEM TERRET METV ELIGENDI PER PONT. CÆSARIS.

ex vnius Pontificis arbitrio, Reipublicæ Rectorem. ſeram deinde querimoniam fore de neglecto more maiorum & violata dignitate ſua conclamantium; accedente etiam in futurum metu, ne vnicum exemplum in mores recipiatur, aut nulla omnino Germanorum ratione habita ad capeſſendum Imperium Galli Italiue inuitentur: neque enim minores cauſas ſuppetere iis, quæ olim Pontificem ad Orientem ſuis ornamentis ſpoliandum impulerunt; eadémque viâ, qua ex Francia in Germaniam Auguſtalia inſignia venerint, redire illa ad veteres dominos, & Romanam Aquilam in priorem reuolare nidum poſſe. Minus quàm Albertus vellet ea commin atione Otho commoueri viſus eſt, publicè profeſſus, facilem ſibi priuati honoris iacturam fore, ſi publicæ tranquillitati ea ceſſione conſuli poſſet. iuuat verba ipſa mitiſſimi animi in Othone Duce teſtes ex Alberti Epiſtola ad Pontif. ſubiicere, Cùm enim Dominum meum Ducem, ſcribit Albertus, magno conſilio ſuper ſtatu SS.^ae^ Romanæ Eccleſiæ conueniſſem, & inter cætera

OTHONIS MODERATIO.

ra inculcarem ſibi ſoli, quòd hac vice ius Electionis ipſe & ſui Coelectores amiſiſſent; ex eo, quòd intra tempus legitimum ius ſuum non fuiſſent proſecuti, alium videlicet Regem eligendo; & quòd Eccleſia Romana, quæ Aduocato Catholico diu carere non poteſt, maximè cùm ab Hæreticis impugnetur, ſibi prouidere poſſit de perſona alicuius Gallici vel Lombardi, aut alterius in Regem vel Patricium, aut etiam Aduocatum, Teutonicis inconſultis; & per hoc poſſet Imperium, ſicut priùs, ad exteras nationes peruenire: Dominus Dux leniter & purè mihi reſpondit, ô vtinam Dominus noſter Papa hoc ipſum iam feciſſet, propter hoc enim vellem vtrique voci renunciare, videlicet Palatij & Ducatus, & dare ſuper hoc Eccleſiæ pro me & hæredibus publicum inſtrumentum. Ergo cùm hoc quoque metu impenetrabilem ad maiora, quàm eouſque fecerat, agenda excitari poſſe Albertus deſperaret, audirétque viciſſim ab eo haud obſcurè Pontificem accuſari, quòd grauiſſimam cauſam maximo calore & impetu coe-

ptam oſcitantiùs proſequeretur, neque ex Purpuratis Patribus virum vllum tantis rebus agendis parem in Germaniam mitteret; Epiſcopi etiam non modò de auctoritate Alberti ſed etiam fide dubitarent, iactaréntq; haudquaquam tam acerbo in Cæſarem animo eſſe Pontificem, quàm ille confinxiſſet; publicè inſuper literas producerent, quibus vtcunque ab Alberto Diris deuoti à Pontifice tamen ex vetere formula *Venerabiles Fratres* ſalutarentur; angi ipſe animo cœpit metueréque, ne ſubſidente conſiliorum actorúmque ſuorum fabula, ſuis ipſe machinis obrueretur: eóque Pontificem creberrimis literis, licet pauciſſimas ipſe & infra ſpem omnes reciperet, interpellabat, vt rebus à ſe geſtis firmitatem daret & pondus, nominatim deſignans, qui Pontificiis literis extimulandi, qui compeſcendi viderentur: cúmque Saliſburgenſis & Brixinenſis Antiſtites per Alpium clauſtra haud temerè quemquam, Alberti maximè cauſâ, non ante excuſſum tranſmitterent, pueris, quin etiam fœminis, quos vel ſexus vel ætas ſuſpicioni exime-

ALB. EPISCOPIS SVSPECTVS REDDITVR.

Digitized by Google

eximeret, internunciis vti coactus eſt: qua ſedulitate id tamen non extudit, vt vel Legatum Pontifex in Germaniam mitteret, vel aliis ab eo ſuppeditatis conſiliis vteretur. ipſe potiùs ſuo veluti Fauonio deſtitutus inter inuidiæ ſcopulos famæ fortunarúmq; naufragium paſſus vix quò enataret habuit, receptu paulo pòſt etiam ad BOIARIÆ Ducem amiſſo. Frigidam Othoni Ratiſbonenſes Canonici affuderant, paratâ inſtructâque in triennium ſuis opibus Friderico Cæſari auxilia ſexcentorum militum iactantes; quod exemplum ſi reliqua Sacerdotum Collegia ſequerentur, nihil propius vero videbatur, quàm BOIARIAM intra viſcera ſua breui hoſtem habituram. Albertus huic nodo cuneum reperiſſe ſe ratus Myſtas Ratisbonenſes ærarios facit; decumas nouo more Romanæ Eccleſiæ fiſco addicit; quæſtores ſtatuit, qui ſacra omnia vectigalia interciperent, haud ſtultè ratiocinatus, id conſilium ſi procederet, breui eos, qui ſtipendia militibus promiſiſſent, ſtipe victuros. Auxiliariam eâ in re operam Alberto Otho præſtabat, donec

ALBERTI ANGVSTIÆ.

OTHO IN PONTIF. CAVSA REFRIGESCIT.

ALB. RATISB. CANONICORVM PROVENTVS INTERCIPIT.

nec Sifridi Epiſcopi honeſtiſſimâ Legatione ad Ratiſbonenſem Conuentum, prenſandi communis conſilij causâ, eſt pertractus: vbi animo ita eſt immutatus, vt non modò inuidioſam Alberti quæſturam tolleret, ſed ex aſſeclis eius gratiſſimum quemque opimis ſacerdotiis ſpoliaret, reſtitutis iis, quos vt parum morigeros Albertus gradu mouerat. ea re non modò auctoritas eius euiluit, ſed notæ pariter cenſoriæ & Eccleſiaſticæ Maieſtatis arma, quibus paulò antè omnia tremefecerat, vt puerorum crepundia irriſa. neque deerant inter ſacrificulos ſcurræ, qui omnia Alberti fulmina negarent ſe vel vna piaculari fabâ procuraturos. Alberto præter inania lamenta, quibus neque Roma mouеretur, nihil erat reliqui; cùm Othone ad Cæſaris partes palàm transeunte, ipſius proſcriptione pax ſancita eſt. ex quo tempore tam acerba hominum odia expertus eſt, vt ne in amicorum quidem arcibus ſuffugium repererit. Bernſtainij enim à Wilhelmo cognato grandi æris ſummâ venditus Thierbergam euaſit: ſed illic quoque proditus cùm

OTHO CONVENTVS RATISB. AVCTORITATE MOVETVR.

ALBERTVS EVILESCIT.

FVGATVR.

al. Wernſtain.

al. Chirnberg.

cùm parari in ſe exercitum obſidionémque cognoſceret, Waſſerburgum in Conradi Comitis fidei erga ſe expertæ clientelam ſe commendauit, ad ſubſidia vitæ corroganda eos etiam appellare coactus, quos ſibi infenſiſſimos reddiderat. In horum numero Moguntinus fuit, qui nuper cum Landgrauio Thuringiæ factionem Cæſaris eiurauerat. Ille etſi ſupplicem de priſtina ferocia admonuit, non repulit tamē, magnificum exiſtimans hominem paulo antè Epiſcoporum euerſorem & Cleri Maſtigem ſibi obnoxium reddere, eundémque Romæ laudatorem habere, quem acerrimum antea accuſatorem fuerat expertus. Sed Albertus hoc etiam ampliùs effecit aut certè effeciſſe videri voluit, vt arma, quæ Bohemus in Moguntinum ſumpſerat, ponerentur. Atque hæc ferè ſub Gregorio Pontifice, quíque illi VI. Kal. Septemb. Anni quadrageſimi primi mortuo, ad XVIII. duntaxat dies ſucceſſit, Cæleſtino, BOIARIÆ inque ea tumultuantis Alberti fortuna fuit ita meritis vtriuſque attemperata, vt ne patriam quidem indigna

EIVS INOPIA.

MOGVNTINVS ALBERTVM STIPE IVVAT.

EXAMINATVR EBERHARD. SALISBVRG. ARCH. ORATIO.

gna paſſam exiſtimem, ſi peſtilenti orationi, quam Eberhardo Saliſburgenſi Antiſtiti Auentinus in Comitiis Ratisbonenſibus tribuit, aures dedit. Sed nimirum effrenis calumniator, quem ſua rabies identidem in Romanam Eccleſiam præcipitem agit, hîc denique fœcundum maledicentiæ pectus incitauit, quódque infernales laruæ in corporibus à ſe inſeſſis ſolent, venena quæ ipſe coxit, alieno ore euomuit, & quidem, vt ad impudentiam nihil deeſſet, ſummi in BOIARIA ſacrorum Antiſtitis; cui ſi quidquam eorum, quæ Auentinus immerenti affinxit, in mentem veniſſet, nihil cauſæ prioris ſæculi monſtrũ Lutherus habuit, cur Pontifici Romano bellũ indicturus mutua ex Orco tela peteret; cùm ea in Præſulis huius armamentariis proſtarent. quidquid enim in Eccleſiam Romanam contumelioſè, in Pontificem impiè dici poteſt, eius velut compendium in Eberhardi Archimyſtæ oratione Auentinus repræſentat; cui ſimile nihil in acerbiſſimis Epiſtolis, quas Imperatoris nomine Petrus de Vineis felleo calamo ſcripſit, reperias; cùm, ſi

verum

Digitized by Google

verum volumus, ne id quidem conſtet, an omnino iis Comitiis Salisburgenſis interfuerit; quòd eius rei indicium in Alberti chartis nullum ſuperſit, quas lubentes tandem ſeponimus; etſi enim faſtidioſæ narrationi condimentũ nondum inuenimus, ne poſt hæc quidem nubila ſerenato cælo; malumus tamen clades à veris hoſtibus, quàm à dubiis amicis acceptas producere, quibus iraſci ne oratio quidem apertè auſit.

Igitur hoc ipſo anno Tatari, vel quod eorum moribus nomen conuenientius eſt, Tartari gens dira & belluis per omnia quàm hominibus ſimilior, plurium prouinciarum exitio, ínque iis nobiliſſimi Vngariæ regni vltimâ clade inclaruere. Nihil Hunni Auaréſque, nihil Heruli Gothíque, & quidquid denique inauſpicatorum nominum vel noſtris Annalibus vel aliis quibuſcunque editum eſt, in humanum genus ipſámque adeò humanitatem peccârunt, ſi facta factis, & cum immanitate Tartarea quantamcunque retrò barbariem conferas; ita atrocia ſæuáque in omnem partem ſunt, quæ vel Fridericus

III. TARTARORVM SAEVITIA ET IMPIA ARMA. MCCXLI. *Stero. Matth. Pariſ. Dubrauius. &c.*

Impe-

Imperator Vacienſis Epiſcopi relatu, & Conradi filij, Bohemíque Regum, Ducúmque BOIARIÆ & Auſtriæ literis cognita per orbem vniuerſum vulgauit; vel Iuo Narbonenſis & Petrus Ruſſiæ Epiſcopus oculati teſtes, aliíque plures prodidere eius omnia infamiæ, qua Læſtrygonas & Cyclopes antiquæ traducere fabulæ dubitaſſent. Orbem terrarum vniuerſum animo complexi BOIARIAM tamen, quæ Dei bonitas eſt, non attigerunt. Friderici Auſtrij & finitimorum Principum armis ab obſidione ſiue Neoſtadij ſiue Viennæ (neque enim vtra vrbium fuerit, ex Iuone, qui rebus præſens adfuit, diſertè colligitur) reiecti reliquæ Germaniæ deuorādæ ſpem amiſerunt. Non niſi quinquagenos milites, quique ex baliſtis miſſilia ſpargerent, vicenos præſidij cauſâ vrbi Fridericus Dux impoſuerat, cùm innumerabiles Tartarorum copiæ, propagatis eò vſque crudelitatis exemplis, vicinum latè agrum locuſtarum more inſedere; quibus non ea modò, quam numeraui, manus, ſed quæcunque alia vis impar eſſe videretur. Enimuero illum ferociæ eſſe limi-

IMMVNIS AB IIS BOIARIA.

Apud Matth. Pariſ.

TARTARI À PAVCVLIS AVSTRII MILITIB. REPRESSI.

limitem Deus voluit, & immania pectora vix obnoxia humanis affectibus ibi primùm trepidatione impleuit. Simul enim aduectantia Friderici ſigna ab Exploratoribus viſa ſunt, ne tentatâ quidem primæ impreſſionis aleâ, retro vnde venerant turpi ſeſe fugâ recepere. Aderant Auſtrio Bohemi Regis, Aquileienſis Patriarchæ, Carinthiæ Ducis & Badenſis Marchionis auxilia, *cum plurimo conterminorum*, vt Iuo loquitur, *potentatu*. Quæ Conradi Regis, Othoniſque BOII illic fuerint partes, incertum; etſi neque huic vicini periculi metu, nec illi paternis imperiis excitato ceſſare licuit. Interim in Schönenfeldenſem Parthenonem, non procul à Lyci oſtiis, Bertholdus Comes Graifſpachius cum vxore Adelhaide, quam Cypriam & quidem regio ortam ſatu ferunt, ſacratas Virgines Burkhaimij parum commodo loco pietati operantes tranſtulit, quod vnicum propè per hæc tempora bonum factum melioris æui imaginem renouauit. Annum quadrageſimum ſecundum Alberti Pogij Comitis

SCHÖNFELD. PARTHENONIS INITIA.

MCCXLII. *Stero MS.* ALB. POGII MORS.

Digitized by Google

mitis, quem eâdem cum Othone Duce matre natum diximus, interitus memorabilem fecit. Sæuus ſuopte ingenio & temporum iniquitate ferocior. Altahenſe Monaſterium grauiſſimis affectum damnis propè ad vaſtitatem redegerat; cùm Benedicta religioſa fœmina & Numinis alloquio beata D. Mauritium, in cuius tutela Cœnobium eſt, videre viſa eſt clientum ſuorum cauſam in Cælitum concilio agere, & Albertum capitis poſtulare. ſententiæ Virginem Matrem interceſſiſſe, eiúſq; honori datum, ne reus vadimonium obire tum cogeretur vſque in Ianuarium menſem comperendinatus, ſi fortè per eas inducias in ſeipſum deſcenderet: quod quidem vti ſeriò faceret, Otho Princeps monendo rogandóque ſæpe nequidquam contendit, donec XVIII. Kal. Febr. eum Deo Iudici mors ſtitit. rari etiam familiarium funeri ingemuerunt, quòd ferè homines quem metuunt eundem oderunt. Extincta cum eo pariter nobiliſſima Pogiorum familia, in BOICA certè; nam Dynaſtas Tyrolios, quibus ab Arcu nomen eſt, multi horum

OSTENTVM.

rum

Digitized by Google

rum poſteros faciunt, nullo maiore, quàm ex nominum inſigniúmque ſimilitudine, argumento. Originem Pogij, vt ferè omnis Heroum in BOICA ſanguis, Baboni Abenſpergio debent. Clarum eorum nomen; nullius tamen quàm Aſvvini gratior memoria, qui ante annos amplius centenos irruentes in BOIARIAM Bohemos tertiùm cum inſigni fortitudinis laude reiecit, & excìſam in alta abiete Crucem trophæi loco ſtatuit, eo monumento teſtatus, qua fiducia quibúſue auſpiciis cum hoſte eſſet congreſſus. Eodem, quo Albertus obiit, anno, Abbatiam Altahenſem Hermannus adiit vtiliſſimâ operâ, quam compoſitis Annalibus Steronis hodie nomen præferentibus præſtitit, optimè de poſteritate meritus. Sequenti anno infelicem ſcelerati Comitis memoriam ſanctiſſima mors fœminæ Principis obruit. Hedvvigis ea fuit Andecenſium Comitum, vti alibi commemoratum eſt, ſtirps, Henrici Sileſij, qui Barbatus dictus eſt, coniunx; quem cùm ſex liberis beaſſet, thoro deinceps eius per annos triginta abſtinuit, virtu-

ASVVINI POGII VIRTVS.

MCCXLIII. *Vita apud Surium.*

S. HEDVVIGIS ANDECENSIS VIRTVTVM SVMMARIVM.

Digitized by Google

tum omnium, quarum mortalitas capax eſt, viua imago; quæ hodiéque fidis expreſſa monumentis in exemplum

SVBMISSIO ANIMI. proſtat; olim enim vndecunque potiùs ſanctitatis documenta, quàm ex ſe peti voluit, eorum veſtigia lambere & penè vmbram reuereri ſolita, qui quantulacunque virtute ſupra vulgus eminuiſſent. quod illius factum Numen probauit, reducto à Crucis trabe brachio be-

MAGNANIMITAS. ne precari illi & annuere viſum. Vultus animíque eius conſtantiam nec læta nec triſtia mutarunt. nunquam de fortunâ conqueſta à Dei ore nutúque pependit, tum quoque plauſui quàm luctui propior, cùm Henricum filium Lignicenſem Ducem non magis ſanguinis quàm morum ſuorum cæſum à Tar-

ABSTINENTIA. taris accepit. Carnis eſu quadraginta ipſos annos ſibi interdixit, ſæpius ad panem obſonium nullum adhibens, &, niſi fontana (quod ſubinde iuſſu Numinis factum) in vinum migraret, prorſus abſtemia. Idem in veſte modus ſeruabatur; vt non tantùm infra dignitatem

VITÆ RIGOR. eſſet, ſed ipſas adeò cæli iniurias malignè defenderet. domum ferè ſine ſoc-

culis

Digitized by Google

culis obibat id tantum ſollicita, vt arbitros falleret; quod quidem etiam cælo curæ fuit, cùm in repentino mariti occurſu diuinitus calceata apparuit. veſte ſetis horrida corpus vrere non contenta flagris inſuper in illud ſæuiit, alienæ etiam manus ope ad piam carnificinam exoratâ. Nulla illi ad preces ſatis longa dies fuit, noctes iungebantur; quas tamẽ radiis ſuæ ſanctitatis ex corpore promicantibus ſæpè claro die fecit illuſtriores. Animum cælo defixum ſponte etiam corpus ſequebatur propriis pietatis alis in aëre ſuſpenſum. Ab ara, donec perlitatum à ſacerdotibus omnino omnibus eſſet, auelli ſe non eſt paſſa. Virginis Matris ſigillum paruulum manu nunquam poſuit, in illa tutela domeſtica fortunas ſuas, ſed & ægrorum vitam circumferens, quorum multis Soſpitæ huius contactus ſaluti fuit. Inter opera eius publica Trebnicenſe Monaſterium eminet, cuius condendi marito auctor fuit, ſed non ſine ſymbola, omni dote ſuâ in id impensâ. Beneficentiæ ſuæ expertem eſſe neminem voluit; ita ſubductis rationibus, vt princi-

PRECVM ASSIDVITAS.

OPERA PVBLICA, PRIVATA Q. LIBERALITAS.

Digitized by Google

palis opulentiæ vix centeſimâ frueretur: reliqua omnis pauperum gaza fuit & veluti publicum copiæ cornu. Ex eadem egentium tribu tredecim-virûm collegium inſtituit, in quibus cùm Dei filium primóſque eius diſcipulos reſpiceret, ſupra fidem eſt, quo iis affectu ancillaretur. Oblitam non modò conditionis eorum ſed naturæ crederes, cùm opiparè cœnantibus eſuriens ipſa miniſtraret, & quidem genu nixa: quoquò proficiſceretur, hos ſecum comites trahebat velut principes amicorum primariis quadrigis receptos, vt ſoli ij in tota Hedvvigis regia inuidiâ flagrarent, & optimates adeò dicerent, nullum inter omnia aulæ munia honoratius pauperum Tredecim-viratu, nihil beatius Apoſtolis eſſe. Talis cùm eſſet Hedvvigis, admirationem præ tam raris virtutibus vix prodigia inuenient, vſitata neque tamen neceſſaria magnæ ſanctitatis appendix. Maximum miraculum Principis vita fuit, neque potuit non ſeruare ſolenne ſuum Deus, aut permittere, vt à fœmina liberalitate vinceretur. Fecit igitur mutuum viuentémque eximiis fauo-

EIVS APOSTOLI.

MIRACVLA.

fauoribus, & Idibus denique Octob. mortuam toto beatitatis aſſe remunerauit, neque BOIARIÆ tantùm, quæ illi cunabula dedit, ſed orbi vniuerſo venerandam propoſuit, Clemente Pontifice, qui hoc nomen Quartus tulit, memoriam eius ſanctiſſimis religionibus, anno poſt obitum ſupra vigeſimum quarto, conſecrante. Sed finem denique, quem in læta materie oratio non inuenit, inſtituti nobis ratio imponit, quæ vel inuitum à portu in ſolitos fluctus expellit; quos cùm Fridericus ipſemet, creato denique poſt viginti duûm menſium interregnum Pontifice, componendos ſperaret, multo vehementiùs intumuêre. Pontifex Innocentij IV. nomen aſſumpſit, cùm Sinibaldus antea diceretur Genuenſis patriâ gente Fliſcus, ſemper Friderico addictior habitus, vt ille ipſe cùm Petrum à Vinea & Thomam Sueſſanum gratulandi ad eum ſtudio miſiſſet, maximâ ſe lætitia ſignificaret affectum, nobilem Imperij Filium, veterem amicum, Patrem ſibi orbíque terrarum obtigiſſe; quo argumento etiam ad Othonem BOIARIÆ

Ducem literas miſit IV. Kal. Iul. pridie quàm ſummi ſacerdotij inſignia Innocentius acciperet, Beneuenti ſcriptas. Sed primus ſuæ ſpei Fridericus obnunciauit, ominosâ voce poſt Legatorum reditum miſsâ, fœdam ſe Metamorphoſin proſpicere animo dictitans, quæ ſibi pro Cardinali amiciſſimo inimiciſſimum Pontificem ſit datura. Neque aliter fieri his moribus potuit; quibus vtcunque cum priuata Innocentij fortuna conuenerit, eidem tamen ad proximum diuinitati Imperium vocato & pares Imperio animos ſumenti iam nec dormitare licuit nec conniuere, ſanctiſſimâ, quam induerat, ſomnum diſſimulationémque excutiente perſonâ. Igitur cùm reliquum anni illius & proximè ſequens quadrageſimus quartus inter irrita inſanabilis ingenij experimenta & remedia periiſſent, quinto denique, in frequentiſſimo Lugdunenſi Concilio grauiſſimorum criminum poſtulatus, nullum eorum Thadæo Sueſſano Friderici oratore ſatis diluente, diro in eius caput carmine pronunciato, mortalium immortaliúmque odiis vt impurus

Pacis publicæ spes intercidit.

MCCXLIV. & MCCXLV.

Cæsar devotus diris.

rus

rus & Chriſtiano nomine indignus obiectus eſt. Infamia vt æterna eſſet, indelebile illi ſtigma publicis tabulis plenis probrorum, quæ hodie etiam cum horrore leguntur, inuſtum. Rebus his conficiundis Albertus quoque ille BOIARIÆ turbo interfuit, mutatis identidem latibulis ægrè defenſus, & ſi qua Annalibus Batauenſibus fides, Obernbergæ aliquamdiu ab Othone Duce obſeſſus: quod vt egregiè credibile eſt, ita illud fidem non inuenit, Fridericum Auſtrium eius patrocinio ſuſcepto inimicitias cum Othone bellúmque per Legatos ſuos Comites Schaumburgios geſſiſſe; cùm certum ſit, Auſtrium Cæſari iam planè reconciliatum minimè omnium rebus Alberti ſtuduiſſe. Hic enim ille annus eſt, quo Ducibus Auſtriæ Archiducum nomen cum iuribus & inſignibus propè regiis, Friderici Cæſaris indulgentiâ, confirmatum eſt; cùm Fridericus Auſtrius ad Veronenſia Comitia, quibus Conradum Friſingenſem Epiſcopum & Othonem Meraniæ Ducem interfuiſſe comperio, ſplendidiſſimè comitatus acceſſiſſet; vbi non modò re-

AVSTRIORVM ARCHIDVCVM INITIVM. MCCXLV. *Cuſpin. Sigon. Matth. Pariſ.*

dintegrata ipſum inter Cæſarémque amicitia eſt, ſed etiam, ſi Pariſio credimus, mentio affinitatis facta; quæ tamen non coaluerit, abnuente puellâ in hominis impij & anathemate obſtricti amplexus venire. Sed ne quid diſſimulem, mihi de pactis nuptialibus Pariſius nihil perſuadet; cùm conſtet Fridericum Auſtrium gemino coniugio nihil liberorum tuliſſe, niſi de Gertrude Henrici Medlingenſis Friderici fratris Filia Cæſari collocandâ actum diuinare volumus, quam Auſtriaci annales proximo anno Vladislao Morauo; eoque defuncto, Hermanno Badenſi ſociant, Friderici Matrem futuram, qui cum Conradino Neapoli capite truncabitur. Fridericum, in cuius rebus enarrandis verſamur, ſequenti anno ſiue præliantem Vngari, ſiue venantem domeſtici (vtrumque enim traditur) peremerunt. Sifridus Epitomes hiſtoricæ concinnator eodem die geminam de hoſtibus victoriam, & à ſuis mortem tuliſſe memorat. Eum ex noſtris Eberhardus Saliſburgenſis & Sifridus Ratiſbonenſis Antiſtites ſecuti ſunt. Multa in

Ann. Auſtr. An. MCCXLVI. & MCCXLVIII. Cuſpinianus.

FRID. AVSTRII MORS.

in vtroque, niſi factionibus tranſuerſum acti fuiſſent, laude digna reperias. nam Eberhardo Patris Pauperum nomen datum eſt omnibus Principum titulis pulchrius, neque, vt cætera, inuidiæ opportunum. Idem D. Hartmanni cineres admiratione Virtutum prodigiorúmque eius captus in vrna compoſuit decentiúſque locauit. Sifridus Dominicanam familiam Ratiſbonam introduxit magno rei Chriſtianæ bono. Succeſſorem illi Legatus Pontificius Albertum Pittingoienſem Comitem dedit. Eberhardo Burcardus Comes Zigenhaimius à Pontifice ſuffectus in honoris aditu morte oppreſſus eſt, potentem aduerſarium, ſi prouixiſſet, habiturus: nam ij, ad quos electio pertinebat, Philippum ſubrogârant Bernardi Carinthiæ Ducis F. iure ſuo haud facilè ceſſuri, ſi inuitis aliunde Epiſcopus obtruderetur. DOMINICANA FAMILIA RATISBONÆ RECEPTA.

IV. Nihilominus multo maius bellum, quàm ex duplicatis Infulis timebatur, congeminantibus eodem tempore coronis conflatum eſt. Henricus enim Raſpo Thuringiæ Landgrauius vltro oblatum aliquoties regnum aſpernatus, Italo- ANTICÆSAR CREATVR.

Matth. Pariſ.

Italorum conuitiis riualem excitari Friderico cupientium modeſtiámque eius ignauiam interpretantium, multóque magis auctoritate Pontificia, quæ vicem imperij eſſe poſſet, victus Moguntini, Colonienſis & Treuirenſis Antiſtitum ſuffragiis acquieuit, regióque nomine Herbipoli aſſumpto Germaniæ Proceres ad Comitia Francofurtum exciuit. Fridericus de ſuo illic capite actum iri certus Conradum filium ad ea vel conſilio vel manu diſturbanda in Germaniam miſit, iſque collecto properè exercitu caſtra in campis Francofurtenſibus metatus Henrico occurrit. Pugnatum eſt acriter Nonis Auguſti; victoriâ ad æquiorem cauſam inclinante. Conradus elapſus cum paucis in Boiariam profugit, fœdâ proditionis notâ Sueuos ſugillans, à quibus Pontificio auro corruptis deſertum in acie credi ſe voluit. Binos eius gentis Comites Waltherus de Ocra, ſed corruptis nominibus traducit, qui ſeptem millibus argenti pondo & diuidendi inter ſe Principatus ſpe, ſub primam hoſtis impreſſionem cum millenariis ſinguli cohortibus pro-

Fragm. Alb. Argent. præfixum.

Pvgna conr. cæs. f. infelix.

Apud Matth. Pariſ. De Citobergo & Croheligo; Sueßij etiam pro Sueuis dicuntur.

profugerint; idque VIII. Kal. Aug. non, vt ab aliis traditum, Nonis factum ab eo memoratur. cladem tamen, vtcunque cætera ſe habeant, multo quàm ipſe velit maiorem fuiſſe, clara Monachi Paduani res horum temporum non indiligenter executi ſententia eſt, affirmantis neceſſariò Conrado de fortuna deſperandum fuiſſe, niſi velut é naufragio enatanti portum BOIARIA præbuiſſet; quod ab ipſo peſſimum ſcelerati Ducis factum dicitur, quem neque inulti Patris manes Friderici fraude occiſi, neque Matris Eccleſiæ indigniſſimæ vexationes ad expetendam de profugo vindictam, tam opportuno tempore, excitarint. Equidem vellem Othonem rebus Conradi perditis ſuas non admiſcuiſſe, aut ſi omnino hoſpitium profligato Regi & fugitiuo præbendum cenſuit, inauſpicata affinitate abſtinuiſſe: nam Eliſabetham inſuper filiam ei coniugem dedit, Conradini matrem futuram, cuius tragœdias ſuo loco ſpectabimus. Nouæ neceſſitudinis vinculum Othonem multo quàm antehac arctiùs damnatæ à Pontifice cauſæ illigauit,

CONR. IN BOICA à CLADE RESPIRAT.

Ducem Vngariæ errore ſiue ſuo, ſiue ex ſcriptoris appellat.

ELISABETHA BOIA CONR. CÆS. F. DESPONSA.

uit, cuius tamen patrocinium iratis ſuſceptum ſuperis Conrado ſpei plus quàm opis attulit, Sueuis nullo eum loco conſiſtere patientibus; quorum virtute fretus Henricus Raſpo Vlmam ſub hyemem obſedit. Magnis conatibus cælum iniquum fuit, obſeſſóſque metu liberauit. Vulnus etiam ex ſagittæ iactu abſtuliſſe Henricum, ſunt qui memorent. Pariſius alteram eius cum Conrado pugnam narrat, lætis initiis & victoriam ſpondentibus, donec recens quindecim millium manus ex inſidiis conſurgens inclinatam aciem erexerit. Verſâ belli aleâ Landgrauium in fugam auerſum, pridie eius diei, quæ inaugurationi eius dicta fuerat. damnantem deinde intempeſtiuas ſpes & ſe iuxtà ſuóſque miſerantem dolore animi extabuiſſe. alij caſu equi afflictum eam mortis cauſam habuiſſe commemorant. Id conuenit, qualecunque eius Imperium, quod *Sacerdotale* per ludibrium dictũ eſt, annuo anguſtius fuiſſe. Feliciorem per idem tempus & cum nullo dedecore coniunctam operam Hermanno Badenſi

Sigon. CONR. ÆMVLVM VINCIT.

ÆMVLVS CÆS. MORITVR.

OTHO HERMAN-

Digitized by Google

denſi Otho præſtitit, cui ex Irmengarde Agnetis Coniugis ſuæ ſorore genito cùm optimè conſultum vellet, Gertrudem Henrici Medlingenſis, de quâ ſuprà mentio facta eſt, filiam, & cum ea Principatum Auſtriæ, quam dotali iure ſecum trahebat, conciliauit. Illud fœdum, quòd Conradum Comitem Waſſerburgium, apud quem Albertus Bohemus deliteſcebat, miſſo cum copiis Ludouico filio, in ſua vrbe obſedit, in quo præter ardens Pontificiarum partium ſtudium reprehendere nihil poſſet. Extant Innocentij Pontif. Literæ teſtes pietatis eius; quam cùm Hohenaugienſes ſacro nuper ab eo Parthenone nobilitati parum bona fide æmularentur, deſerto bonorum conſortio ad Friderici factionem relapſi, eorum ſibi nomen deferendum apud Pontificem putauit, nè vel ſilentio fauiſſe improbis ciuibus videretur. Sed Religionis ſtudium, quod decori & gloriæ eſſe debuit, in perniciem vertit. Ludouicus in vltimas redactum anguſtias vrbe cum Alberto profugere compulit, bonáque eius gentilitia in BOICA complexu ſita velut

NO BADENSI AVSTRIAM CONCILIAT.

MCCXLVIII. OTHO CONRADO WASSERBVRG. INFESTVS.

Apud Luc. VVadding. 1. T. Chron. Minor. Nomen illic corruptum eſt.

Digitized by Google

WASSERBURGUM BOIIS ASSERTUM.

velut puro pióque bello parta ſibi aſſeruit. ita Waſſerburgum Boiis Principibus contributum. Halam, quæ itidem Conradi fuit, Otho Meranenſis ad ſe traxit; qui ipſe quoque Pontificis quàm Cæſaris ſtudioſior. Schärdingenſi & Neoburgenſi toparchiis Oeno incumbentibus exutus, eorúmque poſſeſſio libera à Friderico Cæſare in caſtris Parmenſibus ad Othonem BOIUM anno quadrageſimo octauo tranſlata eſt. In Conrado exule nobiliſſima Waſſerburgenſium & Halenſium Comitum ſtirps exaruit, lugendo ſine dubio fato, niſi virtuti proſcriptæ patere cælum meminiſſem, aut minus glorioſum Chriſtianis Heroibus ducerem, auito ſtemmati honeſtam clauſulam imponere, quàm prima incrementa ſuppeditare. Præter recens Hohenaugienſe Fœminarum, Attilenſe & Rothanum vetuſta virorum Cœnobia his Comitibus ſua debent primordia: ex quorum poſtremo ſub hæc tempora Philippi Salisburgenſis Antiſtitis Auſpiciis colonia Pillerſeana ducta Prioratûs titulo inſignis à Religioſiſſimo Præſule Ioanne, dum

ITEM SCHARDINGA ET NEOBURGUM.

Hund. in Comitib. Waſſerburgenſibus.
Ex Monum. Monaſt. Roth.

Digitized by Google

dum hæc commentaremur, nouis ædificiis exornata,& ad primææ ſanctitatis leges reuocata. Interim Henrico Landgrauio Wilhelmus Hollandiæ Comes ſuffectus eſt. Eius inaugurationem Trithemius parum bonâ fide deſcripſit ſingulis Imperij Septemuiris ſuas in ea partes attribuens, quos certum eſt neque adfuiſſe omnes,neque Collegarum ſententiam ratam habuiſſe. & quidem de Saxonum Duce credere nos Pariſius non patitur, eum nouâ affiinitatis ſpe à Friderico ineſcatum hanc eius æmulo operam nauaſſe. In BOIARIÆ Duce duplex & inſcita vtraque eius alucinatio eſt, quòd Othonem Patrem, qui aliquammultos adhuc annos ſuperuixit, mortuis accenſet,& Ludouicum filium velut Palatinum Rheni in ſcenam producit,nimia vel oſcitantiâ vel ſcribendi ſecuritate, quam in viro illo nimis quàm frequenter deprehendimus. Impoſuit tamen nonnemini, neglectis antiquitatis monumẽtis, Annales ſuos ex eiuſmodi quiſquiliis conſuenti; in cuius gratiam Pariſij verba vtcunque horrida, vera tamen afferemus. Quæ Coronatio

WILHELMVS HOLLANDVS ANTI-CÆSAR.

Chron. Hirſaug.

Digitized by Google

„ natio (Wilhelmi) à multis nulla reputa-
„ batur: quia omnes Electores non erant
„ ibi præſentes, nec etiam conſentientes;
„ vtpote Dux Saxonum, cui confœdera-
„ batur Fridericus per filiam Ducis, quam
„ ducturus eſt in vxorem, ſi reconciliari
„ poſſunt; nec Dux Bauariæ, cuius filiam
„ Conradus filius Friderici duxit, conſen-
ſit; ſic nec multi alij. Quid? quod ex In-

BOICA INTERDICTO AFFLICTA. *Extant apud Hund. in Epiſ. Friſing.*

nocentij Pontificis literis ad Friſingen-
ſes hoc ipſo anno datis manifeſtum ſit,
toti BOIARIÆ per hæc tempora ſacris
interdictum fuiſſe, ob pertinax in Fride-
rico tuendo Othonis ſtudium; qui cùm
mœſtiſſima patriæ facie & ſilentium
ſqualore templorum parum moueret-

MÜLDORFENSE CONCILIUM.

tur, Müldorfium anno proximo Epiſco-
pi à Philippo Saliſburgenſi euocati con-
uenere, labantem religionem collatis
conſiliis erecturi. quæ cùm eò omnia
tenderent, vt Othonis & Friderici ami-
citia diſtraheretur, vetuit eos Otho in-
utilem ſibi laborem ſumere; ſibi deſul-
toriam hanc leuitatem placere non
poſſe. Probroſam eſſe gregario mi-
liti ad aduerſarios tranſitionem; quan-
to magis Principibus vitio dari verſati-

le in-

Digitized by Google

le ingenium & ad fortunæ gratiam compoſitum. Se Antiſtitum impulſu Friderico fœderatum, iiſdem auſpicibus affinitate ei coniunctum, non paſſurum abrumpi vincula, quæ ipſi adſtrinxerint, aut viciſſim, quæ abruperint, adſtringi. Non eſſe ſuæ conſtantiæ terreri religionibus, quas paulo antè ipſimet irriſerint; neque ſibi hos vitæ morúmque duces probari, quibus tam arctum cum diuinitate commercium iactantibus contraria quotidie oracula excidant; fas iis & nefas ex arbitrio fingi. ſe quem amicum ceperit, ſine cauſa inimicum non habiturum; ſperare tanto placatius ſibi Numen fore, quanto minus mortalium quemquam oderit. clauderent ſanè templa & patrocinium pietatis profeſſi illam non modò ab aris ſed animis hominum proſcriberent; ſummam religionem ducerent, ſanctóſque appellarent ſeſe, ſi ſacra omnia Deíque cultum toto orbe ſuſtuliſſent; ægriùs eos pertinaciæ, quàm ſe conſtantiæ rationem reddituros. Confirmabat Othonem in ſententia Rudigerus Batauenſis Epiſcopus, in quem Albertus Bo-

OTHONIS IN FRID. TVENDO CONSTANTIA.

Digitized by Google

hemus Pontificem ita concitârat, vt ſucceſſorem ei Bertholdum Alberti Ratiſbonenſis Epiſcopi fratrem miſerit; cui cùm non Rudigerus modò, ſed Otho etiam aduerſaretur, nihil tamen dubitauit Bertholdus ius ſuum contra vtrumque perſequi; correptíſque præcipiti iam autumno armis, Brunouium vſque ferro flammáque omnia miſcuit, quibus artibus neq; regna peti æquum eſt, ad Epiſcopatum ruens. Fuit cùm integros armentorum greges lacrymabile agreſtibus ſpolium in ſtatiua abduceret. ea iactura latè omnem viciniam, quam totam afflixerat, exciuit. Inconditæ turbæ Alramus Vtendorffius, Ortholfus VValdius, Henricus Rorius equeſtri loco nati ſe duces præbuere; & quia alia ſigna deerant, ex æde Neukirchenſi Labarum prolatum quantò ſanctius tantò aptius inflammandis animis pro aris ſimul focíſque decertantium.

BELLVM PRO MITRA PASSAVIENSI.

Lentum prædonum agmen fuit, quale eſſe neceſſe eſt pecus agentibus. id inſequentium feſtinationi ſpeíque opportunum. multò antè quàm ſubducta in tutum præda eſſet, tergis hæſere. Confeſtim

PVGNA PRO ABACTO PECORE.

feſtim pugna cœpit; ira, dolor, ſua recuperandi, aliena retinendi cupido vtrinque acies inſtruxere. victoriæ præmium erat in oculis mille quingenta promiſcui pecoris capita, quæ euentus prælij veteribus dominis addixit. cum præda etiam prædonum duces capti, inque iis Alberti & Bertholdi frater, qui Burghuſij in cuſtodiam ſunt dati. Bertholdum ambitio inuidiæ obiecit, vt quantumuis Rudigero cedente, quod anno quin- MCCL.
quageſimo factum, eius ratio habita non ſit, pleriſque ita ominantibus, ruris populatorem, abactorem pecoris, malum Chriſtiani gregis paſtorem fore. Ergo Conradus principe inter Polonos familia ortus ſufficitur; qui in primo honoris aditu bella odoratus, negauit ad infulam vocatum ſe galeam induturum; reuerſúſque in patriam otioſum coniugium turbulento Epiſcopatui prætulit. Tuliſſet tum quoque repulſam Bertholdus, nî percrebuiſſet, exterum quempiam, Legati Pontificij ſuffragatione, in vacuam ſedem inuaſurum; cuius excludendi nulla, niſi potenti riuali oppoſito, ſpes ſuppetebat.

Digitized by Google

BERTHOLDI AD EPISCOPAT. INGRESSVS, FOEDIQ. MORES.

Ita æmulatio tum pro virtutibus valuit. In vrbem nihilominus penetrandum aſtu fuit. Boios nuperis populationibus offenderat, dediſſétque Duci pœnas, ſi ſui copiam feciſſet. ergo euitatâ magnis ambagibus Boicâ, auxilia à Bohemis mutuatus cum valido comitatu ad vrbem proficiſcitur, neque tamen à ciuibus Othoni confœderatis æqui quidquam impetrat. nox denique amicis conſilium dedit, furtiuo aditu reperto, quo illum clanculum recipe-rent, operâ poſtmodum pœnitendâ; quòd iiſdem artibus, quibus imperium parauerat, partum exerceret. triennio, quo rerum potitus eſt, notas fœdis initiis contractas non eluit, nouis inſuper deformatus & ſacri patrimonij dilapidator habitus, quod eius propinqui ferè deuorârunt; in quibus ditandis cùm modum nullum faceret, obtentui pietas fuit & futuri cura. verba populo data, eâ induſtriâ ſtabiles Eccleſiæ Patronos conciliatos: cùm nemini interim vel conciliator vel id patrocinium probaretur. Acceſſit crudelitas & noua ſupplicia, etiam in ſacros homines vſurpata;

pata; quorum vni effoſſis oculis nares aurésque præcidit. triſtior nihilominus Alberti Bohemi exitus à quibuſdam proditur, qui detractam ad Rudigeri non Bertholdi imperium viuo cutem volunt; quod neque Auentino credibile viſum, etſi inde ſcomma in Batauenſes natum, lupo cruento eorum vrbem inſignitam, ob inhumanam carnificinam in Epiſcopum (qualis tamen Albertus non fuit) editam. lapidi, in quo deglubēdum exporrexerint, Sanguinario nomen factum. Sed nullâ re annus hic inſignior, quàm Friderici Cæſaris morte fuit; ſiue ſua eum dies, ſiue aliena vis extinxit. Pariſius æqualis horum temporum, ſed Cæſari ferè quàm Pontifici æquior non modò placidè ſed piè etiam valedixiſſe rebus humanis reſipiſcentem expiatúmque affirmat. ne morti purpuratus occurreret, veſte religioſa, qualis D. Bernardi Sodalium eſt, amiciri voluiſſe; cauiſſe inſuper teſtamento, vt Eccleſiæ ſatisfieret. plures violentam mortem faciunt in veneno per Manfredum furto ab eo genitum propinatam; quod cùm opinione len-

FRID. CÆS. MORS.

GENVS MORTIS.

Digitized by Google

tius eſſet, culcitrâ in os iniectâ compreſſóque ſpiritu miſeram patri animam extortam, ſed illi patri, cui in Eccleſiam matrem tam impio filius carnifex vicem redderet. Idus Decembres ei fatales fuere; vidiſſétque idem menſis etiam Conradi filij funus, ſi armatas in eius cædem manus deſtinata Numen exequi voluiſſet. Series meditati flagitij hæc fuit. Saxoniæ Dux (vti ſupra memoratum eſt) filiam Friderico deſponſam, quo par eſt cultu comitatúque inſtructam ſponſo tranſmittebat. In Bo-CAM appulſæ Otho Princeps præſto fuit, eámque Ratiſbonâ Landishutam deduxit. Albertus Epiſcopus, quem Pontificiarum partium ſtudium & vrbis aditu & Ducis gratia couſque arcuerat, in ſponſæ impedimenta cum militari manu inuolat, eáque in conſpectu vrbis diripit. Id ciues minimè ferendum rati portis erumpunt. rixa primùm; aliis deinde ſuper alios accedentibus, prælium ortum, ciuibus partim cæſis, partim captis funeſtum. quinque ſupra quadraginta in Stauffenſem arcem abductos Auentinus ſcripſit. Maior iniuria

CONRADO CÆS. F. MORS PARATA.

Paralipom. ad Vrſp. Stero, Chron. Batau. Naucl. Gen. 42. Literæ Conr. Regis.

Digitized by Google

ria fuit, quàm quæ diſſimulari poſſet. Conradus cum Boio vices partitus, Othoni, cui Naucleſus Henricum filium eius perperam ſubſtituit, tutelam ciuium permittit; ipſe in affines culpæ rectà mouet, & Epiſcopi clientelas omni calamitatũ genere ſibi vexandas ſumit. Iræ modum anniuerſaria Virginei partus memoria poſuit; quem non auſus cædibus fœdare in vrbem ſacro peruigilio diuertit. Egit tamen etiam per ſanctiſſimas ferias auara impietas negotium ſuum, & neſcio quos Iudæi nuper Chriſtiano ritu abluti odorata theſauros à D. Emmerammi Monachis eos repetebat, fruſtra hominum Superúmque fidem teſtantibus, ex Hebræi auro in ærarium ſuum numum vnum illatum non eſſe. Fides habita non eſt. extortæ æditimis claues & in ſacra cimelia impetus factus. Albertus Hohenfelſius Epiſcopi beneficiarius, in quem potiſſimùm nuper tempeſtas deſæuiit, ſiue ſuas ſiue Dei iniurias vlturus cum paucis iiſque audaciſſimis in caput Regis coniurat. Cædi nox deſtinata, quæ memoriam carnificinæ Herodianæ in

AVARITIÆ GENIVS.

CONIVRATIO IN CAPVT REGIS.

Digitized by Google

Bethlehemitas pueros editæ proximam ſequitur. Cum quaternis non amplius familiaribus quieti ſe Rex in Cœnobio dederat; eóque minore tumultu opprimendum coniurati ſperabant, minimè fallaci coniecturâ, niſi in ipſo latrocinij apparatu Fridericus quidã Euueshemius vndecũq; acceptum indiciũ ad Regem detuliſſet; neque contentus ſimplici fidei documento, eo in latebras properè ſubducto, perſonam regiam fortunámque cum principali lecto, quem nihil dubitabat ſuo mox ſanguine imbuendum, occupaſſet. Sicarij interim haud magno negotio effractis foribus in cubile irrumpunt, & primùm omnium ſuccedaneam pro Rege victimã; proximè deinde accubantem, vel obniti auſum obtruncant; ternos, qui numerum explebant, captiuos abducunt. Scelus proximam detexit dies, ſimúlque Conradum ſuis velut ab Orco rediuiuum nec opinantibus reſtituit. Ingens ex maximo mœrore gratulatio orta; actæ ſuperis gratiæ; parricidæ ad ſupplicium poſtulati; de loco ipſo tanti ſceleris conſcio publicando euaſtandóque ſen-

PIETAS IN DOMINVM.

CONRADVS EVADIT INSIDIAS.

Digitized by Google

ſententiæ atroces dictæ: actúmque fuerat de vetuſtiſſimo ſanctiſſimóque Religionis domicilio, niſi primos furoris impetus mora fregiſſet, alióſque innocentium incolarum preces & lacrymæ, alios quæ rarò fruſtra ſupplicant pecunia, & quingenti è Bibliotheca prolati codices melioris notæ propter vmbilicos & bullas etiam illiteratis placituri, alios denique aliquis Numinis reſpectus emolliſſent. Ara nihilominus, in quam D. Ramvvoldum Henrici S.ti æuo ſexaginta ſeptem auri pondo expoſuiſſe conſtabat, ex ſacrario ſublata Regi piaculi mulctæque nomine ceſſit. Deiectum, ſaluo reliquo ædificio, ſceleratum hoſpitium, ínque eius area templum tutelaribus Diuis, Magnæ Matri & Nicolao Epiſcopo, quibus ſalutem ſuam Rex acceptam ferebat, ſtatutum; additúſque Myſta, qui quotidianâ hoſtiâ cæſorum Manes placaret. Id votum tabulis ſignatum teſtibúſque, quos inter Otho Boius & Ludouicus filius primi nominantur. Vdalricus Abbas coniuratis fauiſſe conuictus dignitate motus eſt. Conradus Sicariorum princeps fulminis tactu periiſſe

PERICVLVM MONAST. D. EMMERAM.

Nauclerus pro Henrico Sancto malè IV.m nominat.

MCCLI.

Apud Hund. in deſcript. Mon. S. Emmeram.

Stero. BOHEMI BOICAM VASTANT.

periiſſe dicitur. ſocij patriâ extorres variis caſibus abſumpti. Albertus Epiſcopus ne ſua damna inultus aſpiceret, Bohemos concitauit. ij Primiſlao Regis filio Duce ſuis ſaltibus effuſi BOICAM Tranſdanubianam continuis aliquot menſium cladibus vexauere; vt iuſti quidem prælij aleam ſubterfugerent, ſubitis tamen incurſionibus omnia deformarent, villarum incendia velut veſtigia ſuæ crudelitatis dolenda miſeris agreſtibus relinquentes. Conradus interim morte parentis vulgata, Rhenanam prouinciam populorum erga ſe voluntates tentaturus luſtrauit. præcipiti Iunio cum Othone Duce Chambium profectus Primiſlaum ad colloquium inuitauit. Bohemus cùm fortunâ ſuâ quàm pacis conditionibus vti mallet, ſui copiam Principibus non fecit. Sub id tempus Ludouicus Othonis

TEISPACHIVM CAPTVM.

Filius Teiſpacenſe caſtrum muniтiſſimum in paucis, quo Conradus Epiſcopus Ratiſbonenſem Pontificatum auxerat, noctu ex inſidiis adortus in poteſtatem adduxit nudatúmque propugnaculis & complanatis aggeribus ad ignobilis

bilis vici obſcuritatem redegit. ita clades vtrinque æquatæ ſunt, auctiores futuræ, ſi, quod Nauclerus conſtitutum fuiſſe tradit, Wilhelmus Hollandus, quem Romanorum Regem ſalutatum diximus, cum exercitu in BOICAM, Conradi æmuli perſequendi ſtudio, eſſet ingreſſus. Sed nimirum Conrado in Apuliam profecto, aliò verſa arma, & Ioannis Auesnij, contra Margaritam Matrem Flandriæ Principem, partes defenſæ. Explicarem fœdi diſſidij initia progreſſúſque, ſi Pariſij veroſimilis eſſet narratio affirmantis BOIARIÆ Ducem ſuis id bellum opibus ſuſtentaſſe; cuius annuos reditus cùm iam olim ſubductis rationibus (ante Palatinatus acceſſionem ſcilicet) ad centum Marcarum Colonienſium millia perueniſſe Monachus hic perſuaſum habuerit, magno Wilhelmi rebus adiumento fuiſſe crediderit neceſſe eſt, cui tam opulentum ærarium ſemper patuiſſe contendit. At enim de Othone indubitatum eſt, eum, quoad vixit, à Wilhelmi factione rebúſque alieniſſimum fuiſſe. filios verò, vbi rerum potiti ſunt, nihilo ei magis fauiſſe, aliàs docebitur. Nunc

PARISII DE BOIORVM DVCVM OPIBVS RELATIO.

Digitized by Google

V.

Cuſpinian. Stero.

TVMVLTVS AVSTRIACI.

Nunc nouæ ſpes in Auſtriam nos vocant. Hermannus Badenſis Marchio Othonis auxilio eo Principatu potitus anno ſuperiore IV. Non. Octob. vitâ deceſſerat, hærede quidem relicto, ſed in quo per ætatem opis nihil eſſet. certè eius ratio nulla eſt habita; Vngaro, Bohemo, Carinthio, impunè velut ad ſpolia legenda conuolantibus, iuris ſine dubio obtentu, qui vulgatiſſimus ambitionis eſt color & omnibus armis allinitur. Sed neque Otho ſibi defuit, & quidquid terrarum ad Anaſſum vſque porrigitur, quod BOIARIÆ olim contributum Fridericus Barbaroſſa ex Marchionibus Auſtriis Duces facturus inde aulſerat, vendicare Ludouicum filium velut poſtliminio iuſſit. hos intra limites cùm ſe cupiditas teneret, fortuna vltro ſeſe offerens eam non eſt paſſa conquieſcere. Proceres Prouinciæ in factiones ſciſſi, pars ab Henrico Marchione Miſnenſi, qui ex Conſtantia Friderici Auſtrij ſorore geminos filios ſuſtulerat, accerſendum Principem; pars Henricum BOIVM Othonis filium aduocandum cenſuere. Neutris cedentibus,

SVPERIORIS AVSTRIÆ PARS ITERVM BOICÆ ASSERTA.

bus, vtroqueverſum Legati miſſi. qui ad Miſniæ Regulum proficiſcebantur, cùm iter per Bohemiam facerent, Pragæ regio conuiuio excepti inter epulas profectionis ſuæ conſilium explicarunt. Rex amicè primùm pro Præmislao filio prenſare, neque à ſanguine neque moribus illorum alieno. maturam in eo gerendis rebus ætatem, expertam bello manum, exercitam ſtudiis pacis prudentiam copiosè, neque falsò, attollere; oſtentare emolumenta, conflato cum Auſtria Bohemiæ regno, ad vtroſque reditura. Legati nihil eorum, quæ afferebantur, valde negare, ſed vnum omnibus telis ſcutum obijcere; diſſentire à regiâ voluntate vota patriæ, à quibus ſibi diſcedere nefas ſit. Rex obfirmatis in ſententiâ commeatu per regnum ſuum interdicit, & re infecta regreſſis, filium in Auſtriam mittit, certus in tanto factionum ardore & rerum nouarum cupiditate ſtudia illi & aſſeclas non defuturos. Neque illum ſua ſpes fruſtrata eſt. magni ſubito ad regium iuuenem concurſus facti, multitudinis præſertim ad omnem auram mobi-

REX BOHEMVS AVSTRIAM AMBIT.

Digitized by Google

mobilis &c, quò ſpes vocat, ſua obſequia transferentis. Eodem, vti dicere cœperamus, tempore adornata ad BOIOS Legatio. eius princeps Dietmarus Weiſſenckius fuit Henricum publico nomine ad capeſſendum patriæ imperium inuitans. Otho vel ætate cunctabundus vel vſu rerum cautior haud præcipitandum ratus, inter annuentem abnuentémque medius nihilo certiora reſpondit quàm ſentiret, conſilium ex ſententia Belæ Regis Vngariæ, cuius filiam Henricus anno quadrageſimo quarto duxerat, capturus. Bela ſibi quàm genero propior cauſam illam ſuam facit; BOII s, ſiue modeſtia ea fuit, ſiue deſperatio ſucceſsûs, vltro cedentibus regiæ ambitioni, & auxilia pollicentibus; quæ vt felicibus auſpiciis ferrentur, Oetingam pater filios adduxit, vt eo potiſſimum loco militari eos baltheo exornaret, quo Cælitum Regina præcipua religione colitur, vel inermibus in ſe ſperantibus pro clypeo futura. Rectà deinde cum Henrico in Auſtriam deſcenſuro via nulla patuit, mutatis iam inſigniter rebus, & Præmislai non modò

BOIIS AVSTRIÆ PRINCIPATVS DELATVS.

OTHO CVNCTATVR.

OTHO FF. OETINGÆ BALTHEO ACCINGIT.

BOHEMVS AVSTRIA POTITVR.

dò potentiâ auctâ, ſed iure etiam longè quàm antea validiore, ob Margaritam, quæ Friderici Auſtrij ſoror & ſine dubitatione hæres fuit, in thori ſocietatem aſſumptam. ea morte Henrici Regis, qui Friderico Cæſari Patri rebellare auſus in carcere extinctus eſt, dudum vidua, litium finiendarum cauſâ, ſerum ſibi coniugium perſuaderi paſſa eſt haud diutius cohæſurum, quàm Primiſlaus ad res ſtabiliendas id vinculum vſui eſſe ſibi credidit. Otho ne ſi prorſa quidem omnia primiſque conſentanea promiſſis offendiſſet, valde animatus ad dubiam aleam, poſtquam in ipſo limine tantum obſtaculorum, neq; vllam niſi in dextra ſpem animaduertit, tuta præ ſpecioſis ducens in patriam rediit; filio tamen poteſtatem fecit, cum ſocero ſeſe coniungendi. Is Philippi Saliſburgenſis Epiſcopi copias vitabundus, quas in ea rerum perturbatione tam Epiſcopatûs ſui, quàm Paternis Carinthij Ducatus finibus tutandis, ſub ſignis habebat, per Alpes Noricas ad Menhardum Goricienſem Dynaſtam contendit. Cum hoc & Alberto Tirolio priore

OTHO AB ARMIS DISCEDIT.

Digitized by Google

anno Philippus bellum geſſerat, quo Albertus & Eſchenlohius Comes capti magno libertatem pretio redemerunt.

OTHONIS F. HENRICVS BELÆ VNGARO MILITAT.

Meinhardus Henricum perhumaniter acceptum vnà cum Ezelino Taruiſano Toparcha ad Belam deduxit; cui fidelem fortémque operam Henricus præſtitit, donec Primislaus ad pacis conditiones deſcendere & Belæ Stiriam permittere eſt coactus. Sed Otho eius belli finem non vidit, hoc ipſo anno quinquageſimo tertio rebus humanis ereptus, memorabili morte & auribus Principum ingerenda, ad quas pauperum ſuſpiria quiritationéſque & ipſius ſæpe Numinis voces non pertingunt.

OTHONIS PRINC. BOIAR. MORS.

Multum à ſeipſo Otho degenerauerat, ex quo Pontificis auctoritas quàm Friderici gratia ei vilior fuit; cùm deſertis ſanctioribus ſignis, ſub quibus vnus omnium Germaniæ Principum laudatiſſimè diutiſſiméque meruit, rebellibus ſe corrumpendum dedit, quíque difficillimis Eccleſiæ temporibus, nutantibus aut proſtratis Religionis Anteſignanis, nullo BOIARIÆ Epiſcopo pietatis cauſam tuente, veterum Heroum San-

OTHO SEIPSO PEIOR.

Digitized by Google

Sanctorúmque Principum æmulus cum capitis ſui fortunarúmque periculo Chriſtianam aciem ſuſtentauit, ſub ipſum penè articulum, quo ſperare triumphum victor potuit, improbis paſſim vel exſpirantibus, vel reſpirantibus ad bonam frugem, miſerabili inſania transfugit ad victos, cauſæ deſperatæ & à ſe ipſo confoſſæ impenſurus vitæ reliquias, quæ illi neque diuturna poſtea obtigit, neque ex vſu publico acta eſt, euaneſcentibus ſcilicet cum pietate cæteris quoque boni Principis notis, vti ferè inter ſe catenatæ confœderatǽque ſunt, & neceſſariò Iuſtitiam in eo, quǽque alia imperantibus commendantur, deſideres, cui Religio excidit. Plebem olim nobilitatémque pari amore complexus & ad ſingulorum commoda peruigil, hunc tam amabilem communis parentis affectum ingratâ dominatione mutauit; cuius illud imprimis exoſiſſimum documentum dedit, cùm vetere monetâ abolitâ nouam ſignauit. Parua dictu res & ærarij commodo inuenta, nunquam tamen lucelli tantum datura Principibus, quantum inuidiæ; cùm

Novæ monetæ avctor Otho. *Stero.*

omnino omnes damno afficiat; multiplici diuites, quibus è magnis opibus multum pereat neceſſe eſt; pauperes paruo, ſed eò intolerabiliore, quò minus habent, quod poſſint perdere; ſicut ferè calui pilum ſibi euelli ægriùs ferunt, quàm comati cirrum. Tunc certè triſtibus omnia votis execrationibúſque perſonuere. quibus in publico queri non licuit, tantò liberiùs priuatim in nomen Principis graſſabantur. fatigati etiam Cælites, quos certiſſimos egeſtas Patronos habet, & ad omnes paſſim aras ſupplicatum nequaquam vanis precibus. Certè ex ea inopum tribu homini ruſticano in D. Michaelis peruigilio videre conceſſum eſt, pauperum cauſam quanta pietate ſuperi ſuſciperent, quantáque conſtantiâ perorarent. Accommodata humanis ſenſibus actio fuit, quæque in impios exercet iudicia Deus, in viliſſimi mortalis oculis ſunt edita. Otho illic & Principes alij complures, Diuis accuſantibus, violatæ pacis, ſacri peculatus, oppreſſorum per vim fraudémque egentium rei peracti iudicis ſententiâ condemnabantur.

EO NOMINE POPVLI INVIDIAM INCVRRIT.

OSTENTVM IRÆ DIVINÆ IN OTHONEM.

Otho-

Othoni ſeorſim cita mors decreta, niſi veterem monetam reſtituiſſet. Id ſenatusconſultum aperire Duci ſine ambagibus iuſſus agreſtis, aut ſi ſua eum humilitas regiâ excluderet, Abbatibus Hermanno Altahenſi, Alberto Metenſi & Henrico Eberſpergenſi interpretibus vti. Imperata exequi parato quæ rentíque aditum nec fores nec aures Othonis patuere; perſanctè deieranti afferre ſe ad ſalutem Principis ſpectantia, conuitia ingeſta, imperatúmque vt intempeſtiuam ſapientiam ad aratrum ſtabulúmque referret, inter boues, quàm apud Principem rectiùs locuturus. Turpis faſtus, etſi ad contumeliam Numinis non redundaret, qualemcunque eius Legatum non audiri; habet tamen paratam à Principum moribus veniam, qui contaminari Maieſtatem ſuam plebeio alloquio putant. Illud planè ad interitum ruentis fuit, quòd cùm ſub idem tempus in Landishutana regia Bertholdus eſſet è D. Franciſci familia vir ſanctus & humani omnis diuiníque iuris conſultiſſimus, eáque eloquentiâ, vt tota ab eius ore BOIARIA pen-

DEI NVNCIVS OB VILITATEM AB AVLA EXCLVSVS.

B. BERTHOLDVS OTHONIS MONITOR.

Stero. penderet, atque ad eum audiendum ſæpe ſupra ſexaginta hominum millia confluerent, hic quoque, quem nemo arguere poſſet ſomnia loqui, veriſſimis oraculis, quibus inſtructum pectus ferebat, ægrum vitiis animum ad ſanitatem reducere non potuit. Fregit ea Dei patientiam iniuria, vt aliis nunciis de exitio impendente non putaret præmonendum. quin ne morbo quidem eum tentari paſſus D. Andreæ peruigilio vitam alia omnia cogitanti abrupit, placido ad ſpeciem exitu, ſed qualem ſibi nemo optet, niſi qui æternitatis curam nunquam depoſuit: cuiuſmodi ex BOICA noſtra afferre in exemplum poſſumus lætum his triſtibus temperamentum. Id qualecunque eſt, à noſtris prætéritum Cæſarius Heiſterbacenſis annotauit ad priora quidem tempora & fortaſſe ad Ludouici, qui Othonis pater fuit, annos promouendum; quia tamen nullâ certâ notâ inſignitum eſt, hîc ſine iniuria ſtaturum. Euocauerat BOIARIÆ Princeps religioſi Domicilij, incertum cuius, præſulem Ratiſbonam, conſilij causâ. hoſpitium ei, ſiue id ſecretum

Arenpek. And. Presb. Aug. Kölner.

Cæſ. l. XI. Dial. c. 26.

ABBATIS BOICI IGNOTI LVCVLENTA SANCTITAS.

cretum ambiuit, ſiue anguſtiæ loci ita tulere, in horreo præbitum; quod comitis incuriâ, Abbate iam ſopito, inflammatum eſt. Ignis in ſumma pabuli copia repente omnia corripuit, vt Abbati nullum, firmatis oſtiis, exitum reperienti de vita neceſſariò fuerit deſperandum. Ergo verſis in mortem curis, humi in Crucis modum exporrectus ſpiritum inter flammas poſuit. Auxilium, quod Princeps periculo animaduerſo ferre optabat, ſerum fuit. Ambuſtum & exanimem ſeruuli viâ vi factâ extraxere, miſerabile ſpectaculum, ſed ad virtutis teſtimonium opportunum. Sacra Lipſanotheca ad collum intacta pendebat, nihil iuris ſibi in Diuûm oſſa ſumente voraciſſimo Elemento; lumbos catena ferrea obibat, non niſi ſanctis viris vſurpatum geſtamen, quos religioſum ſuimet odium ita præcinxit. Princeps eo aſpectu permotus altè ducto gemitu, verſus ad familiares, Amici, inquit, tales Deus Torquatos habet. hoc baltheo probant ſe Duci ſuo Chriſtianæ militiæ Heroes; in qua vtinam nos Tirones ſimus! Voluit Numen in-

MORS IN IGNE SANCTE OBITA.

„ cognitum ſeculi noſtri decus à flammâ „ detegi, vt vel ſic delicias nobis exprobraret. En virum, cui ad excruciandum „ corpus cilicium non ſatis aſperum fuit; „ qui cupiditates, quas nos purpura & ſerico fouemus irritamúſque, ferro putauit frenandas! Vt ſanctum deinde templo vrbis maximo intulit; cuius tumulum cùm neſcio quis miles temerè calcaſſet, continuò pœnas irreuerentiæ dedit, imis pedibus ſacro igne ambuſtis. Maior exinde honos nomini habitus, creditúmque promptiùs obſequia quàm iniurias ſenſurum; quíque vindicandi qualiſcunque contemptus poteſtatem habuiſſet, ei opitulandi clientibus ſuis voluntatem non defuturam.

OTHONIS SEPVLTVRA.

Otho contra Schiræ ſepultus vix tumuli honorem tutatus eſt. cùm enim in publico ſacrorum per Prouinciam iuſtitio religioſis conditoriis recipi neminem leges ſinerent, niſi qui Cruce veſtibus aſſuta profiteretur ſe à profana factione diſſentire; Clemens Pontifex poſt decimum ab Othonis morte annum ei litem mouit, non paſſurus cineres in Maiorum Mauſoleo quieſcere, ſi nulla

nulla mutati in melius animi ſigna deprehendiſſet. Ea ſi qua eſſent Ratiſbonenſis & Friſingenſis Epiſcopi conquirere & examinare iuſſi: quæ inter Hoſpitalis domus haud dubiè cenſa fuerit, quæ Monachij ſub S. Spiritus tutela eſt, vltimum Othonis opus & vno duntaxat anno eius morte antiquius; cui cenſum ex vectigalibus Iſeranis conſtituit. Datum denique Agnetis Coniugis Filiorúmque precibus, ne vrna loco moueretur. Aucta cæteroqui, Othone imperante, BOIORVM Principum potẽtia, illuſtrium aliquot familiarum interitu, in quarum iura ipſe ſucceſſit. Pogios & Waſſerburgios Comites iam ſuprà nominaui. Addendus nunc Otho Meranenſis Dux, Burgundiæ Comes, Andecenſium & Dieſſenſium vltimus, qui ante annos quinque ab Hagero viro nobili ſed animi immodico, Niſdæ vel Plaſſenburgi interfectus eſt. Matris connubium filiíque Othonis Principatum improbâ ſpe complexus homicida Othonem ſolum aggreſſus viribus multò validior diuinam nequidquam humanámque opem implorantis gulam incidit,

DOMVS HOSPITALIS MONACENS. *Arnpek.*

OTHONIS MERANENS. MORS.

Digitized by Google

dit, poſt vitam etiam famam erepturus, ſparsâ in vulgus fabulâ, quaſi vxoris ſuæ pudicitiam contrectaſſet. Id mendacium lapis refutauit, qui ſanguine Othonis imbutus emaculari nulla vnquam ſpongiâ potuit: quo argumento multorum aliàs innocentia defenſa eſt. Mortui opes prouinciæque ſpoliorum more direptæ, neglecto Wilhelmi Cæſaris iudicio, vt cuius auctoritatem pauci agnoſcerent. BOIIS, quidquid in Vindelicis extra Alpes poſſederat, acceſſit. Menhardus Goricius intra Alpes vtramque vallem Oeni, Atheſinos & Tirolios ad ſe traxit. quæ trans Danubium in Voitlandia eius ditione tenebantur, Würceburgius & Babenbergenſis cum vicinis Toparchis partiti ſunt. Alia Veneti, alia Franci Orientales ſibi aſſeruere. Ante Othonis Meranenſis mortem alter Otho Phalaiæ Comes, itémque Bernardus Liebenauius, nulla propagine ſanguinis, illuſtria nomina tumulis intulerunt, bonis ad Principes tranſeuntibus. In Rapotone Ortenburgio, qui hoc nomen tertius tulit, Palatinorum BOIARIÆ nomen expirauit.

Ex Annalib. Langkheimiani.

INNOCENTIÆ TESTIMONIVM.

ILLVSTRIA FVNERA COMPLVRA.

fami-

familia ab Henrico patruo proſeminata vna omnium, quæ inſigni olim numero in Boica dignationem Comitum tulere, interitum effugit.

LVD. ET HENR. OTHONIS FF. PRINCIPES BOIARIÆ.

Nos tandem, Othone conclamato, ad producendos eius filios Ludouicum & Henricum accingimur. Prior, quod bene vertat, à Religionis ſtudiis auſpicatus cum Alberto Ratiſbonenſi Epiſcopo in gratiam rediit, vnáque templis mœrentibus ſacra reſtituit. Anno proximo qui quartus ſupra quinquageſimum fuit, etiam Philippum ſibi Salisburgenſem Antiſtitem conciliauit; à quo mox Henricus in patriam reductus eſt pari cum fratre iure Rempub. adminiſtraturus. primum apud vtrumque gratiæ locum Henricus Babenbergenſis Epiſcopus obtinuit conſiliorum omnium arbiter & moderator. Idem annus inſigni ſterilitate infamis fuit & immani frigore vineis iuxtà pomariiſque damnoſus; neque in homines mitior illuſtria aliquot funera dedit. quibus Stero

VI.

Lvd. epiſcopis ſatisfacit.

A. MCCLIV.

Infelix annvs.

ro noſter veritatem oſtenti priore anno ruſticano homini, vt explicatum eſt, obiecti affirmatum exiſtimat. In iis Bertholdus Batauenſis Epiſcopus fuit magnum potiùs quàm clarum nomen militaribus factis (nam ſanctiorum vix vlla ſupereſt memoria) adeptus; eóque Othonis Lonſtorffij ſucceſſoris fauorabilior virtus fuit nullam comparationem detrectaturi, etſi cum optimo quoque, non cum tam diſpari ingenio componeretur. Principio poteſtatis, pace cum Ducibus facta, ſacra prouinciæ reddidit; ambigua iura & armis antea, peſſimo publico, diſceptata ad æquos arbitros deducta ſine tumultu compoſuit, tantò opulentior quantò ſtudioſior pacis. Conradum deinde Regē Manfredus frater nothus parricidio ad omnia ſcelera auctoratus veneno ſuſtulit, Chriſti in cælum aſcendentis peruigilio. Eliſabetha BOIA ante biennium Conradinum ei pepererat; quem pater teſtamento hæredem inſtituit, Boióſque proceres, quos in comitatu habebat, ei tutores dedit. Manfredus regno iam non occultè imminens extera in-

OTHONIS PASS. EPISC. VIRTVS.

CONR. REX VENENO EXTINCTVS.

ra ingenia malignis ſermonibus rodendo, ſuperbiam iis auaritiámque obiectando, populorum animos odio aduerſus Boios impleuit; & eſt ſuapte naturâ inuidioſum Tutorum nomen: ſuas magis quàm pupillorum agere res, precariæ dominationis annos reputare meſſem ſuam, quantúmque Regum ingenia de affectu paterno, tantum illi de tyrannide habere creduntur, præiudicio ſæpe magis, quàm verâ opinione; dum neſcio quomodo ingrata eſt omnis ſub vicariis ſeruitus, & quibus ad qualiacunque Regum imperia patientia ſuppetit, ſuppoſititios Dominos grauantur. id certè effecit, vt inane penes illos nomen, vis rerúmque ſumma ſui arbitrij eſſet; donec aſtu circumuentos penitus in ordinem redegit, ſubornatis, qui in atra veſte publici luctus inſignia præferentes Conradini mortem vulgarent, oſtenſis etiam literis adulterino annulo ad fidem faciendam corruptis. quâ fallaciâ Boiis impoſitum eſt, vt tutelam vltro abdicarent vitâ pupilli finitam. Cætera Manfredo in procliui fuere. impedimentis ambitionis ſuæ vel vene-

BOII PRINCIPES CONRADINI TVTORES INVIDIÆ OBIECTI.

P. Aemilius. Fazellus.

MANFREDI FALLACIÆ.

MCCLV. veneno vel mendacio ſublatis, regnum Siciliæ velut iure debitum inuaſit, tenuitque, etiam cùm Conradinus, confutatâ fabulâ, reuixit. Sed hæc poſt Innocentij Pontificis mortem, qui ipſe quoque ſub finem anni viuere deſiit, Alexandro iura dante, contigere, cùm BOIIS Principibus propria tutandi neceſſitas externi belli cogitationem eripuiſſet. Sed & ſua illis fortuna amplior viſa, quàm quæ vni rectè committi poſſet; eòque partiri placuit, quæ pater in vnius prouinciæ contracta formam æquali imperio gubernârat. Id conſilium ſerum ſit nunc reprehendere. rebus integris id factum oportuit; quando ſapientiſſimi omni æuo mortales ita cenſuerunt, nunquam ſine clade ſecari diuelliſque Imperij bene coagmentatum corpus; quemadmodum neque ad fluminum gloriam facit, in plures alueos diduci, qui vix ratibus iter præbeant, magnas naues, ſi confluerent, portaturi. Sed nimirum regnandi ambitio & vitæ priuatæ tædium, quod in domo principe natis familiare eſt, paſſim hæc magnorum principatuum fruſta pepererc, &

BOIARIÆ DIVISIO.

DIVISIONVM MALA.

re, & tot pro vno Rege Regulos. Nec enim ſtant, vbi cœpere, exempla; quódque in amplare tentatum tolerari vtcunque potuit, poſteri multò anguſtioribus iam terminis damnosè ſunt imitati; quando pro numero liberorum, quos æquo omnes iure viuere parentum indulgentia pulchrum cenſuit, ſectæ prouinciæ minutulos dominos accepere magnis nihilominus inflatos nominibus, neq; pro alarum ſpatiis nidum habituros, graui populorum damno, quorum fortunas, cùm principalis pompæ onus ſoli ſuſtineant, exſugi tam neceſſe eſt, quàm multiplicatis Solibus Mundum torreri. Taceo raram inter tam vicinos & anguſtè imperantes cōcordiam, prompta pro finibus bella, & nunquam defuturam querelis occaſionem; cùm neque qui Deorum turbam in cælo collocârunt, ſtabilem ab iis concordiam impetrârint. At enim & hæc incommoda, quæque alia exaggerantibus cauſam hanc omnis æui hiſtoria ſuppeditat, ſponte ipſi annales aperient: nunc quibuſcunque tandem auſpiciis prouincias ſortientibus operam demus.

Digitized by Google

Stero. *Arenpek &c.* QVAS VTERQVE VRBES SORTITI.

demus. ſub Paſchales ferias anni quinquageſimi quinti res geſta eſt. Ludouicus Maior natu Palatinatum Rheni & nomen Burggrauij Ratiſbonenſis, Regenſtauffam, Lengenfeldam, Kelmynzium cum BOIARIA ſuperiore ſibi aſſeruit; eius vrbes principes Monachium, Waſſerburgum, Ingolſtadium cenſentur. Henrico, vti Stero loquitur, ceſſit nomen Ducis, cum maiori parte BOIARIÆ, videlicet Ratiſbona, Chambia, Kelhaimium, Ærdinga, Landshuta, Oetinga, Burkhuſium, Hala, Straubinga, Vilshofium, Landauum, Dingolfinga, quam Otho vltimis Principatus annis vetuſtate collapſam reſtituerat; Brunouium, Schärdinga, & quidquid his terminis intercipitur.

RES LVD. IN PALATINATV RHENANO.

Ludouicus Mariâ coniuge Henrici Brabantini filiâ Danuvverdæ apud Eliſabetham Conradini Matrem ſororem ſuam collocatâ, ad Rhenum ordinandæ Prouinciæ causâ proficiſcitur, & cum reliquis eius tractus Principibus & Rebuſpub. ſociale fœdus icit. Id turbatis in Imperio rebus & Wilhelmo Hollando ſuis commodis ſtudente, Italicarum ciuitatum exemplo

plo coaluit. delectus, qui communi nomine bellum adminiſtraret; liberatus iniquiſ portoriis Rhenus; compreſſa latrocinandi licentia; & vniuerſis eodem connitentibus, noua rebus facies inducta. Senſit tunc Germania quanta pacis, cuius penè guſtum amiſerat, bona eſſent, beata futura, ſi implacabiles quidam turbines prauo homines ingenio, quibus pacatâ Repub. nulla ſpes, omníſque in armis virtus, diu quieſcere potuiſſent. cohibita tamen ad Wilhelmi vſque mortem, quæ in ſequentem annum incidit, eorum maleuolentia eſt. Wilhelmus inter Friſios periit; dum eorum populationes egregiè vltus, victor ſe recipit. cum cœno & vligine paludis inauſpicatò tentatæ luctantem hoſtium globus inter carecta abditus oppreſſit, Februario menſe; cùm in Kal. Mart. futuri ignarus expeditionem Romanam edixiſſet Coronæ imminens; cuius vicem fortuna ludens Mauſoleum eſſe voluit eleganti opere & planè regio, iam olim à Friſiis excitatum in ſpem Auguſti cadaueris accipiendi. Ita enim Wilhelmo forte illac prætereuecto

PAX PVBLICA GERMANIÆ.

MCCLVI. *Stero.*

MEMORABILIS WILHELMI CAS. OBITVS & TVMVLVS.

Ecc roga-

rogantíque, quis in eo ſitus eſſet? reſponſum fuerat, Illibatum, oraculi iuſſu, Romanorum Regi ſeruari: id ſe à Maioribus accepiſſe eius monumenti conditoribus Fidem Wilhelmus impleuit eodem poſt mortem illatus. Sed fœdiorem multo cædem paucis ante regiam mortem diebus vniuerſa BOICA luxit, & ille inprimis, qui eam patrauit maximus auctor, ad cuius nomen nunc quoque erubeſcimus tenebras libentius quàm lumen affuſuri, ſi ſuſcepti operis ratio legéſque paterentur. Ludouicus, quemadmodum dixi, Mariam coniugem Donavverdæ (Werdæa Sueuiæ tum nominabatur) ſubſiſtere iuſſerat. ea binas epiſtolas argumento diuerſo ſed innocuo vtroque exaratas tabellario commendauerat; marito alteras, alteras nobiliſſimo Heroi ex Rauchgrauiorum (Hirſutos Comites appelles licet) gente inſcriptas & diſcolore cerâ, miniatâ & nigricante firmatas; ut, ſi cætera indicia rudem hominem fefelliſſent, ea ſaltem tam obſeruabilis nota non excideret. Nihil eâ diligentiâ profectum. atrâ cerâ obſignatæ Comitiſ-

LVDOV BOIAR. PRINCEPS VXOREM INNOXIAM OCCIDIT.

Vita B. Mariæ in Cænob. VVerdea. Hiſt. Erfordiana. Stero. Arenpek. Vitus Eberſperg. Andr. Presbyt. &c.

que

que præferentes nomen præpoſterè in manum Principis venere. Sauciauit ipſa epigraphe animum, & nempe quales Heroidum Epiſtolæ ſunt poëtarum ingenio confictæ & furtiuo amore mellitæ, talis etiam vxoris eſt habita, tum quoque cùm reſignata, lectáque nihil præter eius innocentiam proderet. Inerant paucula, quæ niſi totius argumenti conſcius non aſſequeretur; ea occupatus animus velut fauentia ſuſpicionibus ſuis aliorſum rapuit, nullóque melioribus conſiliis ſpatio relicto vindicare inſtitit. Primus tabellarius, quaſi lenocinium faceret & inhoneſti commercij interpres eſſet, ferro Principis cecidit. Danuvverdam deinde citatis profectus equis iter omne in peragendæ vltionis meditatione conſumpſit, illam quoque moram longam clamitans neque adulteræ debitam, quæ prima debuerit mori. vtcunque tamen in illius exitium properanti alteram victimam in regiæ veſtibulo obiecit furor. Arcis præfectus officij cauſa progreſſus obuiam in veſtigio occiditur tam ignarus cur moriendum ſibi eſſet, quàm in-

SVSPICIONIS FONS.

IRA INCONSVLTA CÆDES DICTAT LVDOVICO.

Digitized by Google

nocens fuit. Stabant attoniti familiares, neque vlli iam ex conſcientia certa ſecuritas; vtique poſtquam dominam poſtulari rapíque ad eandem lanienam vidêre. Turpiſſimum factum! fœminam Principem nulli affinem culpæ, ſine iudice, imò ſine accuſatore, vaniſſimis ſuſpicionibus famam vitámque impendere; nihil nobiliſſimo generi, nihil lacrymis, nihil obteſtationibus, nihil reuerentiæ Numinis, cuius oculos appellabat, conceſſum, impenetrabili ad omnia vota pectore & ſurdis auribus. adeò indomitum iracundiæ venenum eſt, cùm ſe rationi ſuperfudit. Citiùs abſolutum eſt inauditum facinus, quàm ab oratione fugam ex his probris exitúmque quærente narrari poſſit. Carnificis ferro innocentis Principis ceruices ſubiectas ille idem veſper vidit; atque vt totidem comites haberet funeris ſui, quot anteambulones, etiam Helica Prennbergiæ ſtirpis clariſſima virgo & primum gratiæ locum apud Mariam virtutibus merita, ipſo Ludouico carnificis occupante munus, pugione confoſſa eſt. Gynæcei præfecta honeſtiſſimè

MARIÆ BRABANTINÆ CÆDES.

ſtiſſimè actâ ætate præter nobilitatem inſignis ex ſumma arce præceps data furorem Principis exſatiauit; proxima verò nox, cùm iam corrigi nihil poſſet, vindicare cœpit animi primùm angoribus, qui inteſtini tortores etiam occultorum ſcelerum ſunt; portentosâ deinde canitie, quæ florentiſſimum iuuenem viginti ſeptem non amplius annos natum repentè capularibus ſenibus æquauit. Ita ſanè vetera Monaſterij Werdani monumenta, ſolutâ aſtrictâque numeris oratione teſtantur, quæ vtcunque accipientur, producere quàm ſubducere æquius fuit. Erfordiani annales miraculis diuiniſque ſignificationibus, etſi earum ſeriem non explicant, de vxoris innocentia certiorem redditum Ludouicum affirmant. Comes etiam, qui cum ea conſueſſe falsò creditus eſt, Ludouicum paſſim iniuriarum poſtulauit ad omnia tribunalia prouocans. Quibus tot támque inſignibus teſtificationibus obrutus ſuâ ſemet ſententiâ damnauit, & Pontifici Alexandro reum ſtitit, piaculis, quæ ipſe ſtatuiſſet, orbi terrarum læſæque innocentiæ ſatisfacturus.

PRODIGIOSA CANITIES.

LVDOVICVS CÆDEM EXPIAT.

ctus. Iuſſus præter cætera D. Brunonis ſectatoribus, quos Carthuſianos dicimus, Aſceterium condere, quòd ea familia nondum in BOICA recepta ignotior eſſet, Diui Bernardi Sodalibus egregia ipſis quoque ſanctitate & vulgò peracceptis ad Ambram Monaſterium exædificauit, Fürſtenfeldam appellatum. vbi tot votis ad hæc vſque tempora pro ſalute vtriuſque Principis frequentatis alterius Manes placatos, alterius expiatas Manus credimus. Germania interim inauſpicato proximorum Cæſarum afflicta imperio, per interregnum à Wilhelmi morte, inter ſpem metúmque fluctuabat parum commodi relatura, niſi corona in felicius ingenium incidiſſet, quàm quo nuperi Reges, quorum haud immeritò pigebat, Remp. concuſſiſſent. Creuerunt curæ, cùm ſæpius inchoata per annum comitia temerè ſemper abrumperentur, gliſcentibus ſtudiis & nullo animorum conſenſu. Pontifex Moguntinum Antiſtitem grauiſſimis literis erat hortatus, ne Conradini pueri vllam haberi rationem pateretur, non modo quòd per ætatem

FVRSTENFELD. MONASTERIVM.

SOLICITVDO DE CREANDO IMP.

PONTIF. IN CONRADINVM ODIVM.

ætatem rebus gerendis impar eſſet, ſed eo inſuper genere ortus, cuius ne meminiſſe quidem boni ſine horrore & execratione poſſent. Falli eos, qui vel ex colubris aliud quàm regulum naſci potuiſſe, auitámque indolem & veluti genium crudelitatis mitiore temperamento manſueuiſſe exiſtiment. Igitur de Conradino quidem ſepoſitæ cogitationes ſunt; neque tantum apud Boiariæ Principes materni generis reſpectus valuit, vt pro eo magnopere ſibi crederent eſſe nitendum. Sed illud fœdum & Germanico nomini vniuerſo ignominioſum, ſummum gentis noſtræ vnicúmque decus, cui tutando poſt opes viréſque etiam ſanguinem impendere æquum erat, velut venale exterorum gratiæ vel pecuniæ addici; quaſi ex nobilitate patriâ dignum aut par imperio caput nullum emineret: niſi inuidentia potiùs fuit æqualibus de gloria concedere aſpernantium, minore verecundiâ, ſi alienigenam ſibi antelatum vidiſſent. Sed qui ſeipſos excluſerant, ne foris quidem in vnâ gente vnóue homine acquieuere. Moguntinus & Colonien-

Imperiū ad exteros delatum.

FAVTORES ANGLI. niensis Antiſtes cum BOIIS Principibus neminem Richardo Cornubiæ Comite Angli Regis fratre digniorem Imperio iudicarunt. SVFFRAGATORES HISPANI. Treuirenſis, Bohemus, Saxo, Brandenburgius in Alphonſum Caſtellæ Regem proniores per Legatos illum in Germaniam inuitârunt. Non paruit; ſiue contemptus ille fuit magni potiùs quàm quæſtuoſi nominis; ſiue laborum fuga, quorum coronam eſſe pignus nouerat: Nomen tamen aſſumpſit; idque Richardo, qui tranſgreſſus in Germaniam, Chriſti ad cælum euolantis triumphali die inſignia Aquis ritè induit, detrahere inutili altercatione conatus eſt, effecitq; vt duobus Cæſaribus lectis neutro ſine inuidia Germania frueretur. Pax certè paſſim amiſſa eſt, nemine illam pro auctoritate tuente, & iubendi parendíque ordine confuſo. BOIARIAM Philippus Saliſburgenſis Epiſcopus turbauit. TVRBÆ SALISBVRGENSES. cum Alexander Pontifex velut profanum ſacriſque initiari detrectantem Vdalrico Seccouienſi cedere infulas iuſſerat, vindice conſtituto Henrico Chymenſi Epiſcopo ex D. Dominici Sodalibus, qui pertinaciam

naciam illius Eccleſiaſticis ſuppliciis caſtigaret. Iis irritatus Philippus arma expedit, Epiſcopatus caſtra communit, clientelas magnis præmiis in officio continet, auxilia ab Ottocaro Bohemo & Vdalrico fratre ſuo Carinthiæ Duce poſcit; iiſque fretus non modò Pontificias Diras flocci facit, ſed Boios inſuper Vngaróſque Seccouienſi fauentes terret; æmulum ſuum cum Henrico Chimenſi nullo loco paſſus conſiſtere, Romam fugat; & quia illic quoque patronos reperturum ſe non diffidebat, duos ex Canonicorum Collegio eodem ablegat; quorum alter Gregorius nomine in itinere periit; alter ex Ortenburgio ſanguine à Pontifice auditus, cùm præter verba nihil afferret, ex malâ causâ multò peiorem fecit. Religio interim parum ſanctè culta; cùm interdicti leges templa clauſiſſent, quæque Philippi iuſſu recluſa fuerant, inauſpicatò & Superis inuitis ſacrificarent. eam cladem Bohemicus turbo exauxit. Ottocarus plurium terrarum potens inhiabat iis quoque, quas ad BOIOS Hermanni Badenſis morte poſtliminio

Hund. in Metrop. Stero. Auent.

BELLVM BOHEMICVM OB SVPERIOREM AVSTRIAM.

Digitized by Google

diximus acceſſiſſe. Apparebat tamen iure priùs quàm armis diſceptaturum, Welſa oppido deſignato, vbi cum Henrico de ſumma rei decideret. Non abhorrebat noſter ab eo conſilio parabátque profectionem, cùm repentè allatum eſt, Ottocarum vltra Batauа progreſſum BOICAM omni iniuria vexare, iacere ferocia dicta, Landishutanam regiam ſibi deſpondere, eóque copias velut ad theatricam palæſtram agere ludibundum. ea primùm res monſtri ſimilis viſa vixque antè credita, quàm villarum ardentium fumus & miſerorum ciuium clamor auribus oculiſq; ingererentur. Nihilominus vnde deſperatio naſci timidis potuit, inde Henrico animi creuere. quò indignius factum remotiúſque ab omni iure humanitatis fuit, eo erectior ſecuriórque victoriæ inceſſit, certus ſuperbiã quauis manu iugulari, &, ſi deſit hoſtis, ſuis ipſam viribus concidere. Tumultu duntaxat decreto, conclamari publicè, nullóque delectu, quibus militaris ætas eſſet, capere arma & tueri patriam iubet. legit vir virum; ipſæ ſe cohortes centuriant, facili imperio

Stero MS.

OTTOCARI IN BOICAM IRRVPTIO.

HENRICI D. MAGNANIMITAS.

perio in communi omnium cauſa, quæ cuique animos dabat etiam ſine hortatore. Iam ad iter accinctis Ludouicus ſe coniunxit magnum rebus momentum allaturus, etſi penè incomitatus acceſſerat, hoſte iam Fraunhouium populante & inter prædas tumido. Noſtrorum ſuperuentu omnia mutata, & primus de induciis ſermo. Eæ per diem D. Bartholomæo ſacrum conceſſæ, magno dedecore glorioſorum militum, nullo adhuc fortunæ periculo facto, ex ſola conſcientia trepidantium. Succeſſit multò fœdior per noctem fuga, maximum probrum, etiam cùm tuta & ſine metu eſt. Sed noſtris toto agmine incumbentibus & per nota viarum compendia, quidquid fugitiui tenebrarum beneficio præceperant, facilè emenſis, vltima ad Myldorſium conſternatio ipſa etiam fugæ ſubſidia abſtulit omnia metuentibus. Pons enim ſublicius, qui Oeni ripas iungit, à confertiſſimis occupatus ponderi ceſſit, effuſiſq; ſuperſtantibus, alios fluctibus, hoſti alios obiecit longè quàm aquis inclementiori: nam etiam qui enatauerant gladiis haſtiſq; excepti in

Ludovicus fratri ſuppetias fert.

Hostis fuga.

Cædes.

pti in profundum remiſſi ſunt. Multos,
quorum fugam ruina pontis ſtiterat, in
ſuburbanum compactos ſpecum Lu-
INCENDIARII EXVSTI. douicus igne, nullâ ſpoliorum curâ, ex-
uſſit, incendiarios prædones ſuis armis
petendos ſignificans. Quadringenti fu-
ere, quos aqua & ignis inter ſe diuiſere;
qui numerus in Saliſburgenſibus An-
nalibus ad tria millia excreſcit. Reliqui,
præter omnino paucos, quos felicior in
fuga Rex comites rapuit, mœnibus
clauſi in nonum diem obſidionem to-
DVCVM BOIAR. CLEMENTIA. lerarunt. Deditos Ducum clementia
ſeruauit, & vita fortunísque ſaluis in pa-
triam remiſit, tanto illuſtriore exem-
plo, quòd nobiliſſimi Bohemorum Au-
ſtriacorúmque magno paciſcentibus
cum Ottocaro vſui futuri fuerant, ſi in
vinculis detinerentur; ſed honeſti ratio
Rhapſod. Auentini. commodorum ſpe potentior fuit. Ii ni-
hilominus liberali beneficio obligati
PAX CONCILIATA. vicē ſeruatoribus reddidere, Ottocaro
ad honeſtiſſimas pacis conditiones de-
ducto; quas inter ea quoque fuit vnicè
à noſtris expetita, quæ Schärdingam ei-
que vicinum Neoburgum, Riedam li-
mitaneum Norici oppidum & Schit-
tenho-

tenhoſium BOIIS reſtituit. Eximia eo tumultu Gebhardi Hirſpergij Comitis virtus fuit, viámque illi ad affinitatem Principum aperuit Sophiæ ſororis eorundem coniugium ſortito, vnde proximo ſtatim anno Gebhardum filium tulit. quo tempore Eliſabetha altera Principum ſoror, Conradini mater, Meinhardo Goriciæ & Tirolis Comiti locata eſt, Nuptiis ſub initium Octobris Monachij celebratis; qua in vrbe Conradus Friſingenſis Epiſcopus eod. anno xv. Kal. Febr. viuendi finem fecit; mitrâ Conrado ſecundo ex Comitum Silueſtrium ſanguine relictâ. Ratiſbonenſem Alberto non mors ſed ſui mores detraxere, quos Pontifex Romanus eo loco & nomine indignos cenſuit; altero Alberto producto, qui orbe terrarum doctrinâ & virtutibus impleto, Magníque cognomentum paucis mortalibus conceſſum nulla ſua ambitione ſed voluntario populorum præconio meritus maius Ratiſbonenſi Pontificio attuliſſe decus, quàm ab eo accepiſſe credendus eſt. Laugingæ ad Danubium, quam Conradus Rex vnà cum Höchſtadio, Schon-

PRINCIPALIA CONIVGIA. MCCLVIII. Stero.

ALB. MAGNVS RATISB. EPISCOPVS.

Digitized by Google

Schongauiâ, Schvvabekio, Faucibus aliíſque nonnullis Sueuiæ contributis oppidis Othoni Boio oppignorarat, Albertus natus eſt, claris natalibus, ex Dynaſtarum Bolſtadienſium ſiue Faymingenſium ſanguine, ſæculi ſui miraculum multiplex, integris alibi libris, hîc in compendio oſtendendum. Puero etiamnum in Reginæ Cælitum clientelam optimo conſilio concedenti Patrona ſe viſendam præbuit dux ei in vitæ biuio futura, modò veſtigiis, quibus D. Dominicus eiúſque commilitones ad Deum properaſſent, inhærere in animum induxiſſet. Ea, ſimul ac per ætatem licuit, Patauij ingreſſus parum abfuit quin rurſus deſereret, quòd conſequi æquales ſuos per ingenium non poſſet, hebetior naturâ & neceſſariis ad id curriculum adiumentis deſtitutus. Fugam meditanti & inter improba conſilia obdormiſcenti Ternæ Virgines cæleſti vultu famulitium Deiparæ profeſſæ ſeſe offerunt, internunciæ ad patronam futuræ, ſi quid ab ea impetratum vellet. Albertus præcipiti voto Philoſophiæ arcana ſibi pandi poſtulat ignarus meliorum

Compendium rerum ab Alb. M. geſtarum.

Monaſtice.

Scientiarum optio.

liorum aut immemor. Nihilominus bonum habere animum iuſſus eſt, vt cui in tota rerum natura inacceſſum poſthac nihil futurum eſſet. imprudentiæ tamen notam non effugit, quòd optione petendi data, non altiùs extuliſſet ſeſe, & Diuinæ Sapientiæ connubio Deum in dote offerenti tam humile nomen antepoſuiſſet, vtique Philiſophiam inter pediſequas habiturus, niſi ſponſam maluiſſet. fore tamen, cùm erroris commiſſi pœnas daturus eſſet, eadem rubigine mentis aciem obfuſcante, quam propitia Virgo nunc abſterſam velit. Somnium non fuiſſe quod viderat, res comprobauit. cùm ille meliorum artium paulo antè rudiſſimus ingeniorum miraculis accenſeretur, neque tam abditum quidquam aut ab hominum cognitione remotum eſſet, quod non penetraret protraherétque in lucem, quæque literatorum omni æuo Principes ſingula particulatim comprehenderant, iſte capaci pectore vniuerſa complexus depromeret in humani generis vſum literaturæ omnis veluti promus condus. Anguſtæ docenti ſcholæ fuere,

PLAVSVS DOCENTIS.

Digitized by Google

fuere, cùm ad audiendum eum felicia omnia ingenia concurrerent; quæ inter Aquinatem Thomam nominaſſe ſatis ſit Alberti primùm oraculo ſuis Sodalibus agnitum, cùm illi Bouis Muti infame cognomentum abſterſit, Boaturum olim dictitans, quod vniuerſus orbis audiat miretúrque. Monumentorum ingenij Alberti indicem dare æquè difficile ſit atque virtutum, quæ modeſtiſſimum virum ex Bibliotheca & puluere ſcholaſtico ad Epiſcopale ſolium extraxerunt, non ſine ingenti ſodalium dolore præcipuum ſibi decus eripi lamentantium. Certè qui familiæ vniuerſæ tum præerat Humbertus grauiſſimis literis eum ad fugam honoris ſancto illius otio inſidiantis eſt hortatus, niſi vel hominum inuidiâ vel Dei odio conflagrare velit; quæ incendia qui metuat, haud temerè, in Germania certè vllam humo infulam ſublaturum. ſe quidem præcipientem animo fluctus & ſcopulos, quibus tranquillitatis ſuæ cymbam obiiciat, vicem illius ſortémque dolere; leuiùs laturum, ſi compoſitum in ſandapila, quàm ſublimem in cathedra vidiſ-

THOM: AQVIN: ALB. M. DISCIPVLVS.

DETERRETVR AB EPISCOPATV.

vidiſſet. Sed nimirum eadem incommoda iam olim præmeditata Alberto fuerant, nunquam eorum periculum facturo, ſi defugiendæ auctoritatis pontificiæ facultas aut ſpes fuiſſet. Id quod vnum potuit, cauit ſtudioſè, ne honor mores in poteſtatem perduceret, & adſcititius ille ſplendor genuinum obfuſcaret. Ratiſbonam ſubituro parata erant ciuium ſtudia gratulantium felicitati ſuæ, quòd virum inter mortales doctiſſimum diuinitas vrbi ſuæ donaſſet. Sed Albertus oſor popularium pomparum, ne quid in oculos aureſue modeſtiæ inimicum incurreret, inobſeruatus incomitatúſque ſub primam facem vrbem ingreſſus rectà ad Sodales ſuos diuertit. Manè Canonicorum ſe cœtui diuinas laudes cantantium inſerens illas ſcilicet auſpicatiſſimas voces optimóſque plauſus exiſtimauit, quos captare impunè liceret. Ab his initiis progreſſus ad curam Reip. breui quam bellator Epiſcopus peſſumdederat, fundator ipſe pacis ſanctioribus artibus recreauit. cùm æris nihil reperiſſet niſi alieni, nulla ne in quotidianum quidem

MODESTIA ALBERTI.

VTILIS EPISCOPATVS.

Digitized by Google

vſum vitæ ſubſidia, aliis tamen moribus legibúſque in domum Pontificiam introductis mox oſtendit pietatem etiam opulentiæ matrem eſſe, & maximum ex religioſâ parſimoniâ colligi vectigal.

STVDIA.

Neque tamen cum Sapientiæ ſtudiis interim diuortium fecit, in lucubrando commentandóque moris ſui retinens. & monſtratur hodie etiam ſpiſſum volumen ſacrarum in D. Lucam enarrationum, quod in Stauffenſi arce iam Epiſcopus concinnauit magnum annui laboris penſum, etſi ſolum fuiſſet.

ABDICATIO EPISCOPATVS.

Illi cùm vltimam manum impoſuiſſet, etiam Alexander Pontifex, à quo Epiſcopatus Maieſtate oneratus fuerat, deceſſit, & Albertus velut ſacramento ſuo liber infulâ excuſſâ in priſtinæ libertatis arcem refugit: vt errare eos certum ſit, qui poſt Vrbani V. mortem, ſub Clementis IV. Imperio, eum abdicaſſe ſcripſerunt.

PHILIPPI IN RETINENDA INFVLA SALISB. PERTINACIA.

Porrò quod Albertus ſponte fecit, Philippus Saliſburgenſis nullis minis execrationibúſque, neque præſenti armorum metu à ſe impetrari paſſus eſt, vt luculentum eodem tempore inter bonos malóſque extaret diſcrimen,

men, cùm illi honores mereri malint, quàm gerere; hi malis artibus partos peioribus tueantur, ſuo malo nati, publico perituri, ignobilem ruinam aſpernantes, qua ſinguli obruuntur aut duntaxat perire digni. Redierat anno quinquageſimo octauo Vdalricus eius æmulus cum Othone Præpoſito & Henrico Chimenſi Româ noua imperia portans, ſed quæ Philippus eodem quo priora loco duceret: vnde ipſe quoque ſibi armis putauit agendum, fœdâ perſuaſione & nimis quàm aliena à priſcis moribus, quibus præditi maiores noſtri homines incorrupti ſanctíque ad Crucem currebant, ad Mitras trahebantur gnari totidem Deo adnumerandas animas eſſe, quot ab eo regendas accepiſſent. Armatus cùm Saliſburgum tenderet bellicum imperium cum ſacro mutaturus, Radſtadij Philippi fratrem Carinthiæ Ducem cum copiis iam occaſo ſole obuium habuit. Ira claro etiam die cœca iniquiſſimo tempore acies tamen commiſit. cæſi vtrinque multi; vulnerati plures, hoſtili an amico ferro incertum, cùm tenebræ diſcrimen ſuſtuliſ-

AMBITIONIS STVDIVM INTER ÆMVLOS EPISCOP.

PRÆLIVM PRO EPISCOPATV.

Digitized by Google

MOSTRVM. ſent. Radſtadij, vbi pugnatum eſt, paulo antè bicornis partus in lucem effuſus fuerat aliáque fœditate inſignis, cuius vagitus multo ante, quàm ederetur, clarè auditus mortales terruit grauiora portendi metuentes, etſi præſentia ſatis triſtia erant, & geminis monſtri cornibus haud abſurdè riuales Epiſcopi denotarentur, qui paſtoritiam profeſſi in Chriſtianum ouile, nulla nominis munerîſque habita ratione, arietabant; iniquiore plerunque Vdalrici fortunâ, cùm tamen iure prævaleret. Infelix illius, etiam anno ſexageſimo, conatus fuit; cùm per Anaſſi vallem in BOIARIAM properans in Auſtriacorum inſidias præcipitauit, ab Henrico de Turri in Agro Admontenſi captus & in arcem Wolkenſtainiam abductus; ex qua cùm denique euaſiſſet, æquè moleſtam illi Quæſtor Romanus litem intendit auro honorario exigendo, quod in Pontificis ærarium ex primitiis ſacrorum vectigalium à nouis Pontificibus inferri vel lex vel mos iubet. neutro teneri ſe Vdalricus contendebat, quòd inane hucuſque Pontificis nomen tuliſſet,

VDALRICVS REM INFELICITER GERIT. A. MCCLX. *Chron. Salisb.* CAPITVR.

liſſet,

liſſet, nondum pulſo incubatore; iniquè à ſe agri decumam repoſci dictitans, in quo alter meſſem fecerit. Quæſtor nulla re niſi auro placandus Vdalricum ad cæteras ærumnas vltimâ ignominiâ notatum à ſacris arcet; quâ ille indignitate permotus Rom. Pontificem appellauit. id miſero hactenus profuit, vt paulò pòſt Squillacenſi Epiſcopo adiuncto in Germaniam remiſſus lege tamen pecuniaria teneretur, iterum deuouendus, niſi ad certum diem ærario ſatisfeciſſet. Ita pariter fortunis famáque excidit. nam octo oppida, quæ BOIORVM auxilio de Philippo receperat, Henricus ſumptum cauſatus ad ſe trahebat ipſi Saliſburgo imminens & Wiſpacenſium Regulorum ope parte eius potitus, neque deſtiturus victoriam vrgere, niſi fulminis claro die cæloque excuſſi prodigio admonitum ſe crediſſet, ne vrbem à Maioribus ſuis D. Ruperto dono datam per vim & iniuriam repeteret. Ergo poſitis armis ad pacis conſtituendæ conſilia verſus Philippum abdicare coëgit. Vdalricus denique ab eo in vrbem

EXAGITATVR À QVÆSTORIBVS ROMANIS.

HENRICVS BOIVS AB OBSIDIONE SALISB. AVERTITVR.

VDALRICVS SVMMA VI PARTVM EPISCOPATVM SPONTE DEPOSVIT.

bem deductus cùm neq; prioribus calamitatibus odia hominũ exſaturaſſet, & fruſtra pietatem oſtẽtaret nupera illius facta deteſtãtibus, quantumuis ſerò debita ambitioni ſuæ præmia reſpicere & vecordiæ damnare ſeipſum cœpit, cui, factâ opum innocentiæque iacturâ, per tot hominum ſtragem, collatis prouinciarum auxiliis, infulam aucupato, captatâ tantis ſudoribus & ſanguine prædâ ne nunc quidem frui contigerit. à pluribus ſe velut lupum timeri, quàm paſtorem amari. at enim qui præſit inuitis, parum à tyranno differre; eodem certè vultu aſpici, etſi aliis moribus imperet. quid ergo ſupereſſe, quàm vt erumpentibus odiis, quæ ægrè diu premuntur, malè ſopita incendia reſurgant; quique honeſtè adeundi Pontificatûs facultatem non habuerit, eiuſdem cum laude ponendi occaſionem amittat. Hæc reputanti optimum factu viſum, ſemet componere & de faſtigio deſcendere, priuſquam deturbaretur. Impetrata ergo à Pontifice miſſione, iniquis ſe oculis ſubduxit.

Sed

Digitized by Google

Sed id anno demum ſexageſimo quinto factum, à quo nos ad ſexageſimum regredimur, quo Ludouicus alteram Coniugem Annam Conradi Poloniæ Ducis F. melioribus auſpiciis in thori conſortium aſſumpſit; concordiâ priùs cum Ratiſbonenſibus initâ, ad quos frenandos arcem in Monte Miluio molitus fuerat, indignantibus ciuibus, quaſi non monti ſed ceruicibus eam ſuis impoſuiſſet, vltróque æs pollicentibus, ſi eius diruendæ copiam impetraſſent, ſpretâ fortunarum iacturâ, præ deſiderio libertatis. Ludouicus pecuniâ acceptâ arcem deſtrui æquaríque eſt paſſus. Henricus Ludouici frater per eadem tempora Ottocarum Bohemum & Belam Vngarum nouo fœdere illigauit. Bohemus iratus facilitati ſuæ, qua ad concedendam Vngaro Stiriam eſſet adductus, eandem armis repetebat. Vngarus ei Stephanum F. oppoſuit, Marcha flumine vtraque caſtra dirimente. ea Bohemus non commodiſſimè metatus alio transferre cogitabat. Vngarus fugam ſuſpicatus ne conſternatum è manibus emitteret, tranſportato ſtre-

VII. MCCLX. *Stero.* LVDOV. BOII ALTERVM CONIVGIVM. Geyerſperg.

Stero MS.

INTER VNGAR. ET BOHEMVM PVGNA.

Digitized by Google

nuè exercitu, multo paratiores quàm ſperauerat ad confligendum eſt aſſecutus. Sole & Canicula paritérque animis ardentibus pugnatum eſt XIII. Kal. Aug. multi ferro, multi flumine hauſti; multi, qui ferro corpus texerant, æſtus impatientiâ deflagrarunt. Stephanus vulnere accepto coactus eſt pro victo ſe gerere, æquatis ferè cætera cladibus, quas Bohemus tanto acerbiùs ſenſit, quòd paulo antè Tartaris in Auſtriam irruentibus, exploratorias cohortes, quas Otho Hardekius & Conradus Plainius regulorum nobiliſſimi duxere, amiſerat. ij ſpeculandi gratiâ cum trecentis longiùs à caſtris egreſſi, circumuenti multitudine hoſtium, ad vnum omnes cæſi ſunt. Maior quàm pro clade luctus, neque expers eius BOIARIA fuit, quæ inclitæ ſtirpis Plainiæ hoc vltimum funus fleuit, ſpe omni poſteritatis extincta. Bohemum pigere bellorum cœperat, oſtendebátque à pace cum Vngaro ineundâ ſe non abhorrere. arbitrium conditionum ferendarum Henrico BOIO permiſſum, qui Bohemum ſanguine, Vngarum affinitate

Chron. Auſtral.

OTTOCARI BOH. COHORTES À TARTARIS CÆSÆ.

BOIVS PACIFICATOR REGVM, VNG. & BOH.

con-

contingebat. Is ergo ad Belam ſocerum profectus pacis bona ei tam luculenta oratione explicauit, vt eius fruendæ causâ Stiriâ omni & Ciuitate Petouia lubens volénſque ceſſerit. Vt arctiùs inter ſe Reges deuincirentur, Kunegundis neptis Belæ Regis Ottocaro deſponſa; quem confirmatâ potentiâ Margaritæ Auſtriæ odium ceperat, ſterilitate ei obiectâ, verè quidem, at non ſine mariti probro, qui effœtam iam non ſobolis ſed dotis cauſa duxerat. Sed propria eius æui corruptela fuit, omnium gentium hiſtoriis proſciſſa inconſtantia couiugiorum; ſemper repertâ aliquâ iuris fallaciâ, qua nodus ille pluſquàm Gordius vel ſolueretur vel rumperetur. Cæterùm ſileri nō debet, hunc annum, cuius nos quidem exigua deco ra numerauimus, *Generalis Deuotionis* pulcherrimo nomine & nulli ante hunc diem indito appellatum fuiſſe, ab inuſitata & eouſque inuiſa ſanctitatis ſpecie, quæ apud Peruſinos orta & per Italiam pleramque vagata Alpes deinde tranſcendit, & Germaniæ oſtenſa, alicubi etiam

Licentia divortiorum.

Annus generalis devotionis.

Stero.
Sigon.
Ann. Colm.

iam acceptata eſt. Peruſiæ, vti dicere coeperamus, quidam actâ inter ſiluas ætate & Superûm commercio nobilis conuocatæ ad concionem plebi iratum flagitiis Diuinum Numen & decretas in orbis exitium peſtes ferali præconio explicabat; pollicitus tamen regreſſuris ad innocentiam idoneum ſpatium facultatémque voluntariis ſuppliciis cæleſtes pœnas antevertendi. Eæ voces altè in animos hominum demiſſæ; & ſiue ipſe affli&andi ſui rationem dictauit, ſiue priuatæ pietatis ingenio reperta eſt, ſeipſos palàm verberantium magni mox greges in publico viſi: qui dein effuſi mœnibus mœſto agmine ad vicina oppida progreſſi & nudati lumborum tenus ſcuticis flagríſque inclementer tergum omne exarabant, incondito carmine Virginis Matris nomen identidem ingeminantes. Vtcunque horrida res vbique imitatores reperit; neque iam ex plebe tantùm, ſed ſummis vtriuſque ordinis viris duces ſe præbentibus ad crudelem pietatem. Viginti alicubi hominum millia omnis ætatis ſexúſque hoc nouæ religionis exemplum

VERBERANTIVM RITVS.

circum-

circumtulere, integris ciuitatibus ad æmulationem attractis. tres & triginta dies cum ſemiſſe, quot ſcilicet annos Seruator noſter viuendo exegit, à ſingulis, qui nomina dederant, vt piaculares in hanc lanienam impenſi. Sic ſatisfieri Numini creditum & cæleſtes iras placari. varij, vt in re nouâ, hominum de ea ſenſus. multis immodica viſa & ſuperſtitioni quàm Religioni propior. Commendabilem aliis inſignis morum mutatio, condonationes veterum offenſarum, redintegratio Chriſtianæ beneuolentiæ fecerunt. BOII ab Italis accepto more cruentam ipſi quoq; pompam Friſingam vſque duxere. Ludouicus probantium improbantiúmq; ſententiis diſtractus vltra eos progredi vetuit. Henricus & ex Epiſcopis nonnulli vt errorem deluſarum mentium & ludibrium ſinceri cultus aſpernati ſunt. Ille contemptus impetum ſtitit, vt ferè dubiæ merces detracto pretio obſoleſcunt. Proximo nihilominus ſeculo qualiſcunque Religio iam ſepulta refodietur. Annis duobus ſequentibus geminis filiis Henricus auctus eſt, Othone & Hen-

MOS ETIAM IN BOICA RECEPTVS.

MCCLXI.

MCCLXII. Stero.

HENRICI FILII. & Henrico. Ratiſbona, Alberto cedente, Leonem ciuem ſuum Epiſcopum accepit: Orbis vniuerſus Vrbanum IV. patrem ſalutauit, cuius in breui imperio biennij & paucorum menſium ſpaciis comprehenſo nonnullæ res huc inſeri poſtulant. Richardi inprimis Cornubienſis & Alphonſi Caſtellani de Imperij iure nominéque contendentium controuerſiam finire aggreſſus literas ad vtrumque dedit prolixas inprimis & ad ſtabiliendam Septemuiralis in Imperio dignitatis Antiquitatem, quam Auentinus aliique conuellere conati ſunt, oppidò appoſitas: quibus & numerum Electorum Septenario definit, eorúmque inſtitutionem ab vltimâ hominum memoria repetit, totam Comitialis ritus pompam & ſuffragiorum ſolennia exactè perſecutus. Porrò dum competitorum momenta, quibus vterque æmulo potiorem ſe videri volebat, examinat; alia aliis, Ludouico noſtro propriè Religioſorum hominum cædes, iniecta iiſdem vincula, ſtudiúmque partium Friderici & Conradi ab Alphonſo obiecta memorat; quæ illum vt diris deuotum

LITERÆ PONTIFICIÆ DE IVRE SEPTEMVIRALI. *Extant apud Bzouium ad Ann. Chr.* MCCLXII.

LVDOVICO BOIAR. D. PROBRA AB ALPHONSO OBIECTA.

tum

Digitized by Google

tum à ſuffragio ferendo excluſerint vitioſámque Richardi inaugurationem reddiderint. Verùm ea lis diſceptata non eſt, bellicis Regum curis & morte Pontificis ſuſpenſa. vnde neque de Ludouici cauſa ampliùs quæſitum; cui tamen, ſiue vera Caſtellani accuſatio, ſiue criminatio potiùs fuit, aperta offerebatur ſui purgãdi via, pridem ſub ipſa principatus initia, vti cõmemorauimus, cũ Pontificibus reconciliato. Altera Vrbanum cura de regno Siculo inceſſerat, quod Manfredo prædæ eſſe moleſtè ferebat. cui cùm Conradinus legitimus vnicúſque hæres objici poſſet, eique Gibellini palàm apertíſque ſtudiis vt Cæſarum ſuorum ſanguini fauerent, Guelphi verò ob natalium ſplendorem, quódque de indole modeſtè habita & diligenter excultâ nondum deſperauerant, ab illo alieni non eſſent, Pontifex tamen in ſuſpicionem pronior Gallis, vnde ipſi genus, hoc decus deſtinabat, Carolo Prouinciæ Comiti D. Ludouici fratri iam dudum coronæ auido viam eò muniens, quò denique Vrbani ſucceſſor Clemens eum perduxit.

Controverſia de regno Siculo.

Conradinus à Pontifice præteritur.

xit. Sed nihil ex omnibus Vrbani actis vel cœptu pulchrius vel felicius exitu fuit Triumphalis Feſti Euchariſtici in Chriſtianam Rempublicam introdu- Feſti corporis Christi institutio. ctione; quam Numini cordi fuiſſe, cæleſtibus prodigiis oſtentíſque compluribus compertum eſt. Ritum Boica pro ſuo in pietatem affectu ſemel ſuſceptum non modò conſtanter hucuſque ſed magnificè etiam coluit, in vrbe præſertim principe, quæ in nullius rei apparatum effuſior, quidquid mortali ingenio excogitari vel adornari ſumptu poteſt, ita prodigè contulit, vt vel hanc vel aliam nullam Deo dignam pompam confluens ad ſpectaculum innumerabilis hominum multitudo cenſeat, & cum hoc Boicæ Pietatis triumpho nullum Romanæ ambitionis patiatur comparari. MCCLXIV. *Stero.* Porrò annum, quo Vrbanus vitam cum dignitate poſuit, minax cæli facies ſidus crinitum populis oſtentans & ventorum ſæuitia illætabilem maximè Boiariæ reddidere. MCCLXV. ſyluis vrbibúſque illata vaſtitas, arborum ædificiorúmque ruinâ. Proximus Ottoni Batauenſi Epiſcopo fatalis fuit, cuius æqui-

æquitate omnes controuerſiæ, quas ſuperiorum Antiſtitum impotentia accenderat, extinctæ ſunt. conditiones concordiæ Henricus Princeps in tabulas hodieque ſuperſtites retulit. Clemens Pontifex Othoni Vuladislaum Sileſium Boleslai Pij F. Henrici Barbati & Hedvvigis noſtræ nepotem ſuffecerat; verùm cùm ſub idem tempus Vdalricus Salisburgenſis, vti ſuperius dictum eſt, ſponte abdicaſſet, eò Vuladislaum tranſtulit, Petro Vratislauienſi Canonico ad Batauenſem ſedem vocato. Cum eorum in BOICAM ingreſſu tumultus Bohemicus coniunctus eſt, haud ſcio an aliqua illorum culpâ; certè Saliſburgenſis, Batauenſis, & Ratisbonenſis vrbes Bohemo fœderatæ communi cum eo conſilio opibúſque rem geſſerunt; & credi voluit Bohemus, ſociorum maximè causâ ſumpta arma, ne ſcilicet Boii fratres eos Epiſcopatus impune vexaſſent. Honeſtatis ſpecies iniuriæ obtenta, vt ingenioſa in eam partem eſt mortalium vafrities. Pudor acceptæ ad Myldorfium cladis dedecoríſque, obliterandæ infamis fugæ cura regem animi immo-

Extant in Metrop. Salisb.

BELLVM BOIO-BOHEMICVM.

Chron. Salisb.

CAVSÆ TVRBARVM.

immodicum, & nemini, quod omnis eius vita docuit, ceſſurum extimularint ad contemptum fœderis & cognatorum Principum otium turbandum. Latrociniis primùm prædíſque agendis veluti prælusum eſt. animis vtrinque exaſperatis, ipſe Auguſto menſe ſuis ſaltibus in BOICAM effuſus, Regenſtaufium, Nittauiam arcéſque alias plures exſcindit, eadem in homines crudelitate Ratiſbonam vſque exercitâ. Vbi cùm biduum ſubſtitiſſet, commeatus inopiâ in regnum retractus eſt, eadem mox, quæ fecerat, paſſus. Henricus enim vltor à tergo cum tumultuariis copiis vltra Iliſſum flumen ſecutus hoſtilem agrum in prædam publicauit. Veldæ oppido & aliis nonnullis ignem iniecit; porta denique Batauenſi III. Kal. Nou. nocturna proditione potitus, antequam ad ſopitos ciues mali ſenſus aut fama pertingeret, magnam vrbis partem inflammauit; neque cohiberi vis potuiſſet, niſi dilapſus à ſignis miles prædam rapere, quàm corrumpere maluiſſet. ita modum ſæuitiæ auaritia ſtatuit, non mitius ſed quæſtuoſius malum. Exhauſto vtrinque

HENRICVS IRRVPTIONEM BOHEM. VLTVS VRBEM PASS. INCENDIT.

que

que furore, &, quod ferè fit, in ciuium innocentum capita & fortunas effuſo, iterum belli tædio pax repetita, & ſequenti anno inter Bohemum Boiúmque ſancita eſt. Qua tempeſtate Guido Tit. S. Laurent. in Lucina Cardinalis Pontificius Legatus Viennæ Auſtriæ ſacros conuentus habuit. Adfuere Ioannes Pragenſis, Petrus Batauenſis, Conradus Friſingenſis, Leo Ratiſbonenſis, Bruno Brixinenſis, Amalricus Lauantinus, & minorum gentium Præſules ampliſſimo numero. Mores Chriſtianę plebis, quíque ei ſanctius ius dicunt, ſeuerioribus legibus adſtricti, quas nunc quoque legi profuerit: Sacerdotes ſanctè viuunto. Crucifixi Patrimonium ne deuoranto. Paſtores Chriſtiani ouilis oues ſuas immodicis exactionibus ne deglubunto; ſacra caſtè ſanctéque tractanto. Scorta intra menſem ablegan- to. Mancipia Veneris ab aris proſcribuntor. Profani ſacras poſſeſſiones abdicanto, vel ab Eccleſiis & menſâ Chriſtianâ arcentor. Mortuos ante eius ſacrilegij expiationem inter pios pij ne tumulanto. Hominem ſacrum cædere

MCCLXVII. *Stero.* CONCILIVM VIENNENSE.

STATVTA CONCILII.

Digitized by Google

, vel occidere auſus Diris deuouetor. &
, execrabilis per præconem proclama-
, tor. Eccleſiaſticâ immunitate violatâ, &
, ſacrorum Antiſtitibus vel Canonicis per
, nefas in cuſtodiam abreptis, ſacra ceſ-
, ſanto. Beneficia ſacra ne cumulanto;
, ſinguli ſingulis contenti ſunto; aut cau-
, ſam ſuam Saliſburgenſi Pontifici pro-
, banto. In decumas profanis nullum ius
, eſto. fœnori pecuniam nemo dato; qui
, dederit, ſi de populo eſt, anathemate
, percellitor; ſi ex ordine ſanctiore, ab arâ
, ſubmouetor. Sacerdotibus inteſtatò
, mortuis patroni Eccleſiarum ne ſucce-
, dunto. Sacra munia ritè auſpicantor.
, profanus Sacerdotem ne inaugurato,
, ne inueſtito: Dotem Eccleſiæ ne auerti-
, to, neue alienato. Paſtorem animarum
, profeſſus oues paſcito; ab ouili ne ab-
, eſto. Religioſorum moribus ad nor-
, mam reducendis Antiſtites ſupremi in-
, uigilanto; Cenſores in Aſceteria im-
, mittunto. Hebræi cornutum petaſum,
, perfidæ ſectæ teſſeram, deferunto; Chri-
, ſtianis ne miſcentor; Reipub. partem
, nullam attingunto. cùm Myſteria Chri-
, ſtiana per vrbem transferuntur, in
publi-

Digitized by Google

publico ne verſantor. ritibus ſuis nemi-
nem imbuunto. Hæc ferè ſumma de-
cretorum capita ſunt, quorum memo-
riam ſingulis annis in prouincialibus
Comitiis renouari placuit. Soluto con-
uentu, Batauenſis, Friſingenſis, & Ratis-
bonenſis Saliſburgi Wladislaum ſacer-
dotio primùm, tum etiam Pontificatu
inaugurarunt. Sequenti anno, qui Sexa- MCCLXVIII.
geſimus Octauus fuit, Vdalricus Secco- *Stero.*
uienſis & nuper etiam Saliſburgenſis *Chron. Saliſb.*
Pontifex vita deceſſit. Bernhardus Ba-
tauenſis Decurio ei ſuffectus eſt. Philip-
po, cuius cum Vdalrico contentionem
ſupra retulimus, paulo pòſt amplior di-
gnitas ad Patriarchatum Aquileienſem
vocato obtigit. Vdalricus frater eius
Carinthiæ Dux Saliſburgenſibus pro il-
latis iniuriis ſatisfacturus Clagenfur-
tum, S.S. Viti & Georgij oppida eiſdem
contribuit, neque alio deinceps quàm
beneficiarij titulo ea adminiſtrauit, exi-
guo eius Eccleſiæ emolumento & bre-
ui interuerſo, quòd Philippus Patriar-
cha factum fratris paulo pòſt mortui
ratum non haberet, etiam cùm cæte-
ram Carinthiam Ottocaro Bohemo
 cede-
Digitized by Google

cederet, earum vrbium poſſeſſione mordicus retenta.

VIII. Sed ab hac iniuriâ, quæ ad annum ſexageſimum nonum pertinet, ad publicam alteram ſexageſimi octaui tragico

CONRADINI TRAGŒDIA.

ſæpe cothurno nequidquam defletam reuocamur. Carolus Andegauenſis Pontificum fauore Rex Siciliæ ſalutatus Manfredum Friderici Nothum prælio cum eo congreſſus occiderat, ægreſcentibus dolore Gibellinis & ad erigendas factionis ſuæ fortunas nouum continuò Ducem circumſpicientibus.

Præter Script. Veteres Blondus, Sigon. Aemilius, I. Lipſi.

Nemo opportunior viſus Conradino, qui regio ſanguine in maximas ſpes genitus ad eas vrgendas Pontificiis imperiis circumſcriptus in ſe ipſo opis nihil habebat, aliunde ſi quid offerretur non neglecturus. Hunc ergo Carolo obijciendum in Italiam aduocant, decimum quintum non amplius ætatis annum agentem, ſed plenum paternis auitiſque ſpiritibus, & tantò gratioſiorem, quantò erat adoleſcentior. Magnum rebus momentum Henricus attulit Alphonſi Caſtellæ Regis, qui ſe Auguſtum dicebat, germanus frater, is vltro in Boi-

HENRICVS CASTELLÆ

cAM

cam profectus Conradinum eóſque quorum conſiliis regebatur, oſtentatis maximis auxiliis totáque fortunæ ſponte ſeſe offerentis captandæ ratione explicatâ, facilè impulit, ne in tam beneuolis amicorum pro ſe excubantium curis, ipſi defuiſſe ſibi, aut tam æquæ cauſæ minimè omnium fauiſſe viderentur. Ergo corrogatâ primùm omnium quantâ maximâ potuit pecuniâ, quam & aliunde, & venditis etiam Ludouico Boio auunculo ſuo, quæ Conradus Pater eidem oppignorarat, oppidis confecit, cum exercitu in Italiam eſt profectus; cúmque Octobri menſe anni ſexageſimi ſeptimi Veronam perueniſſet, ibidem hiemare decreuit. Ludouicus diſcedentem ſecutus eſt. vel tutelæ, vel cognationi id datum: quas cauſas Tirolenſis etiam Comes, quem ego Menhardum Conradini vitricum interpretor, habuit. Fridericus Hermanni Badenſis & Gertrudis Auſtriacæ filius intimæ neceſſitudini idem officium impendit, fide vſque ad vltimum exitium cultâ, quàm vlla re alia clarior, auctorúſque paucula amicorum paria, quæ

Pr. evm in Sicil: invitat.

Lvd. Conradinvm in Italiam secvtvs.

Frid. Avstrivs Conradini intimvs.

præteritis mortalis æui ſæculis innotue-
runt. Minora nomina ex Boica Sue-
uiáque Conradino conciliata numera-
re nihil attinet; quando inauſpicatum
& infelix omne hoc iter fuit, obnun-
ciante Pontifice ſuſceptum, & ad pri-
mum Italiæ ingreſſum diris execratio-
nibus omnium caput deuouente, qui
Conradini ſigna ſequerentur. Qua re
permotus Ludouicus pedem retulit, &
fortaſſe etiam Tirolenſis; veſtigia certè
illius extrita ſunt. Reliquis amor Prin-
cipis patrium repetentis regnum Pon-
tificis reuerentiâ potior fuit. aſſuetæ
eiuſmodi fulminibus aures minùs iam

Conradini iter.

excommunicationis nomine moue-
bantur; & rara eſſe neceſſe eſt, quæ for-
midini eſſe velis. iv. Id Ianuar. Veronâ
profectus per Laudenſem agrum Papi-
am peruenit; ibíque bimeſtri ſtatiuis ha-
bitis, Genuam, inde Piſas menſe Maio
acceſſit, tanto vbique Gibellinorum
plauſu exceptus, vt mirum non ſit in-
cauti adoleſcentis aures aduerſus Pon-
tificis minas obſurduiſſe. Senis aliquan-
tiſper moratus vi. Kal. Iul. lætum nun-
cium

Digitized by Google

cium de copiis Caroli Apuliam repetentibus per Legatos ſuos profligatis accepit. Cùm Viterbium, vbi Pontificia ſedes tunc ſtetit, explicatis ſignis prætereueheretur, Clemens regios iuuenes ex cultu agnitos procul conſpicatus, properare ad aram victimas dixit, ſiue ea coniectura animi, ſiue oraculum veriùs fuit. Romam aduentanti Henricus Caſtellanus potiſſimus huius expeditionis, vti docuimus, auctor præſtò fuit; cúmque ſummum in vrbe magiſtratum gereret, nobiliſſimum quemque honoris cauſa hoſpiti prodire obuiam iuſſit. ipſe deinde cum inſigni manu eidem ſeſe coniungens aduerſus Carolum rectà contendit. haud procul Fucino lacu hoſtis in conſpectu fuit. Capto ad præliandum loco Conradinus armis ſuáque iuuentâ decorus ordinibus obequitabat militum animos ſolo aſpectu accenſurus & inuidiam moturus hoſti, qui tali capiti coronam præripuiſſet. quacunq; ibat, omnia gratulationibus fauſtíſque ominibus perſonuere; vbique is habitus mentium vultu oculíſque prodebatur, quaſi ludicrum nouo

PONTIFEX CLADIS VATES.

Digitized by Google

Regi ſpectaculum, non ſerium cruentúmque certamen pararetur. Eâ beneuolentia excitatus Conradinus latè circumfuſos ſibi alloquendos putauit, hac ferè ſententiâ: Si vel animorum vel virtutis egere vos intelligerem, Milites, vndecunque ea potiùs, quàm ex mea oratione petenda cenſuiſſem. Quid enim loquar Adoleſcens, quod iuuet viros? quas faces veteranis ſubdat tiro? quibus vos artibus imbuat, cuius hoc primum bellum eſt, & id quoque ante militarem ſuſceptum ætatem, ſummâ hominum iniquitate, vltima fortunæ inuidiâ? niſi hoc ipſum beneuolentiæ eius imputabitis, quòd Ducem me prius eſſe quàm militem cogit, omnéſque ſpes in me ipſo mihi, vel in aliena manu voluit eſſe ſitas. Quid enim iam ſupereſt, quod dicere meum poſſim? qui Patrem, & cum illo reliqua omnia inter cunas perdidi, ne aliquando præliantem viderem, & domeſtico exemplo diſcerem, quomodo triumphos coronáſque Heroum filios quærere æquum ſit. At fortaſſe nihil opus futurum erat his crudis artibus nato in poſſeſſionem orbis terrarum &

ORATIO CONRADINI MILITARIS.

Maio-

Maiorum virtute partis fruituro. Supra ‘
centum annos Imperium Germaniæ in ‘
noſtro ſanguine ſtetit. Quinque Cæſa- ‘
ribus vnicus hæres ſuccedo. Regni Hie- ‘
roſolymitani titulum mecum in cunas
intuli. Siciliam, ſi quod inter homines ‘
ius eſt, aut certè de cælo terras reſpi- ‘
cit, me viuo nemo ſuam dixerit. Sue- ‘
uia præter me Principem non habet, ‘
neque alium niſi ex me optat. Hæc ſci- ‘
licet tot Regna & decora cùm vel inci- ‘
diſſent in natales meos, vel certo mihi ‘
voto deſponderentur, ſimul ac eorum ‘
capax ætas fuiſſet, potui fortaſſe damna ‘
re bella & inermi ſinu excipere tot ad- ‘
uentitia ornamenta. ad quæ etſi nihil ‘
vnquam acceſſiſſet, non debebam ta- ‘
men de fortuna conqueri. Sed ô miſe- ‘
ram ſortem meam, cuius omnis in aui- ‘
tis Imaginibus ſita felicitas eſt, quæ vel- ‘
ut vicina occaſui ſidera nihil præter ‘
pompæ veteris vmbras habet reliqui. ‘
Hieroſolyma Sanctum potiùs quàm ‘
opulentum nomen quid mihi præter ‘
abaui & Magni Auunculi triſtem me- ‘ *Ahenobarbi & Filij eius.
moriam refricat? * Duorum illic Fride- ‘
ricorum tumulos reperiam; imo ne tu- ‘

Ggg 5 mulos

Digitized by Google

mulos quidem; nam eorum alterum, cuius magnitudinem orbis non cepit, ignobile flumen abſorpſit. Coronam Imperij Principum fauore tot Cæſarum ſoboli deſtinatam Alexander Pontifex inuidioſiſſimis literis, quibus omne gentis noſtræ nomen confixum eſt, intercepit. Sicilia ſupererat nobiliſſima certiſſimáque portio paternæ hæreditatis. eam quoque ſi adiiſſem, nimis felix futurus Pontificibus ſum viſus. Ergo qui Alexandrum proximè ſecuti ſunt, coniuratis ad euertendas omnes ſpei meæ reliquias animis, iure gentium frui me non ſunt paſſi. & quia ſoli hodie imperant, regnáque ſportularum inſtar diuidunt mancipiis aut clientibus ſuis, Coronam meam alter homini extero oſtentauit, alter impoſuit. Nunc quoniam nullo meo merito exhæres non ſuſtineo viuere, & communibus naturæ humanitatíſque legibus, quibus vltimi bipedum ſubleuantur, excludi nolo Regum Filius, non modò cælo, à quo illorum ſententiâ proſcriptus ſum, ſed luce inſuper publicâ & humano omni conſortio iudicor indignus. Nullum iam

meo

meo nocentius eſt caput; ego Colubri
Pullus, ego Lernæâ Hydrâ peſtilentior
Baſiliſcus, ego mali corui peſſimum
ouum Pontificum literis, communium
orbis Chriſtiani parentum vocibus traducor. Omnia in me arma acuuntur, & nullum hodie ſanctius bellum dicitur, quàm quod in adoleſcentem innoxium omnibus pupillis calamitoſiorem Pontificum auſpiciis apprecationibúſque eſt ſuſceptum. Vobis quoque, ô Socij, quos miſeratio iniquiſſimæ ſortis noſtræ & communis naturæ vinculum, quo homo homini illigatur, ad ferendam afflicto opem excitauit, niſi repentè intempeſtiuam hanc pietatem mitioréſque erga me affectus exuitis, & ſumpta pro me arma in me vertitis, velut proditæ Religionis & Maieſtatis diuinæ humanæque conuictis Aqua & Igni, cælo terráque interdicitur. Hoc denique vltimum miſeriæ genus eſt, miſericordia cenſeri indignum; ab alienæ clementiæ fauoriſque arâ prohiberi; & nullum cælo propitium Numen, nullum inter homines patronum reperire. Vix habeo quid ſtatuam, Milites, meámne

, ne potiùs an veſtram vicem doleam; tantíne caput hoc eſſe vel mihi vel vobis æquum ſit, cui non ſanguinem modò, ſed inſuper, quod iſti cenſent, pietatem impendatis. Ego alienæ innocentiæ peſtis, ego fax fortunarum, ego ſcopulus fidei conſtantiæque veſtræ ſim? & per tot iacturas aliquod melioris Fati initium, aut huius, quo premor, finem petam? quanto melius fuerat, vel nunquam naſci, vel citiſſimè perire: aut ſi omnino viuendum, viuere ſine clade publicâ, & iratis ſuperis ſimplici ruinâ ſatisfacere. ſed faceſſant infauſta omina, neque demus iniquiſſimis candoris noſtri indoliſque arbitris, vt ad infames eorum cenſuras noſtrum adieciſſe calculum videamur. Nullum vindicare meum crimen poſſunt, ſed ne obijcere quidem; niſi ideo ſceleratum me putant, quòd iis, quos ipſi oderunt, natus ſum: qui ſi mortalium omnium, quod quidem hi volunt, improbiſſimi fuiſſent, id mihi nec fraudi eſſe nec malo debuit. Deus certè non ſinet, quóſque poſt DEUM ſolos vnicóſque habeo optimæ cauſæ patronos & vindices, vos fortiſ-

fortiſſimi milites, non patiemini, adoleſcẽtem afflictum, nulli affinem culpæ, eo ſolo nomine, quia Cæſaribus Regibúſque natus eſt, exhæredem & inglorium viuere. in quorum nomine & adoratâ olim orbi terrarum Maieſtate ſi nullum mihi præſidium eſt, ſaltem inuidiam prohibete. Ætatem meam, non ſanguinem aſpicite: non Regi, ſed inſonti manus commodate. ſi cuiuſquam exitio natus ſum vel vixi, nec regnare cupio nec viuere. ſed ſi ad alienam libidinem crudelitatémque victima quæritur, parcite Pontifices, non modò regium ſed nullum omnino caput vile eſt. Ingentes motus cordata oratio fecit, & ne nos quidem ſine morſu hæc repetimus, qui ſpeciem habitúmque dicentis & decoras per ora lacrymas, quas repugnanti indignatio & iuſtus dolor expreſſit, non oculis ſed animo tantum vſurpamus, nequaquam ad viuum compoſita imagine, neque noſtrís coloribus repræſentandâ. Pugna certè ab vndique acclamantibus efflagitata eſt, paratis mori vel vincere & ſuo hoſtiúmq; ſanguine inuidiæ maculas eius

genio

Pvgna Conradini.

genio nomini que aſperſas eluere. Primas ſibi Italica auxilia, quóſque Henricus Caſtellanus adduxerat, depopoſcere. Circa Conradinum & in ſubſidiis Germani collocati. Carolus vafro conſilio Alardi veterani ordinum ductoris & Germanicæ militiæ aſſueti vſus, Legatum ſuum Regiis Inſignibus exultum curare in prima acie iubet, ipſe poſt principia cum lectiſſimis copiis occultata maieſtate ſeſe tenet in tempore adfuturus. Ita prælium vtrinque cœpit eo ardore, quem cauſa poſceret, & vltima odia ſuppeditarent. Tribus horis nemo hoſtis tergum vidit, pari vtrobique ſpe, audacia, virtute. Perſonati Regis mors, vti neceſſe fuit, omnia mutauit. Noſtri, velut Carolo cæſo, victoriam conclamare, augeri animis, neque ire iam, ſed ruere in victos, pérque hos in prædam.

P. Æmilius. Ex Monacho Paduano.

Caroli astvs.

Eo rerum articulo Carolus ſeſe oſtendit, non vt ex inſidiis ſed ipſis mortis faucibus redux, & ſuis quoque vitam daturus & vires, quibus poſtea noſtri pares non fuere. neque ſolutos ordines redintegrandi, neque fluctuantes animos & ex ſumma ſpe in maximum repentè

pente metum reiectos colligendi firmandíque facultas fuit. Momento penè omnia Conradini auxilia vel cædes vel fuga ſuſtulit abſtulítque. Ipſe quoque cum Achate ſuo Friderico Auſtrio, qui ab eius latere nunquam diſceſſerat, inter multitudinem elapſus & fata ſua vitabundus Agaſonem induit, tutò ſub centonibus latitaturus, ſi ex prioris fortunæ inſignibus nihil ſibi retinuiſſet, Annulus, qui digito hæſit, fabulam euertit. Aſturam venerant, inde Piſas nauigio ituri, vbi, vt in amica vrbe, perſonam ponerent. properantibus moram fames fecit haud minùs inſuetum malum, ſed cuius neque diſſimulandi neque propulſandi ratio ſuppetebat. Anulus, in quo ſpes omnes erant ſitæ, quanto pretioſior, tanto minus opportunus fuit, qui commeatu nautico permutaretur. Gemma rariſſimæ æſtimationis Nauicularium, quem obſonatorem fecerant, ſuſpicioni obiecit, parum vtique cum illius ſordibus & cæterâ fortunâ conueniens. Vbi verò rogatus, vnde haberet? muliones ſuos nominauit, multo eius fides facta eſt ſuſpectior.

CONRADINI FVGA.

I. Lipſius in Exemp. Polit.

ANVLO SVO PRODITVR FVGITIVVS.

Placuit

Placuit Toparchæ, ad quem indicium delatum eſt, in rem præſentem venire. Ioannes is fuit è Frangipanum familia; in cuius conſpectum Adoleſcentes adducti commentum tueri non potuerunt, nobilioris genij argumentis toto ſe vultu prodentibus, refutantibúſque extemporales Agaſones. Neque tamen cauſa ſuberat, cur magnopere dolerent ſe deprehenſos. Extra hoſticum iam erant; nullam Frangipanes maleficij cauſam habebat; humanitatis colendæ permultas; & ſi pretium operæ aliud nullum appareret, ſeruaſſe Principes Germanicæ Iuuentutis, quibus non triumphis erat anteferendum? Sed auarus animus & honeſti curâ intactus lucri ſpe nobiliſſimam prædam hoſti venalem fecit, æternis conuitiis non vt hominum ſed ipſius humanitatis proditor lacerandus. Carolus ſine morâ adfuit & captiuos Neapolim abduxit, non in cuſtodiam (ferri id potuit in æmulo & profeſſo hoſte) ſed, quod mens cogitare horret, ad carnificinam. Conſulti tamen priùs amici; in quibus Rupertus Flander meminiſſe eum humana-

DEPREHENDITVR SVB MVLIONIS CVLTV.

PVDENDVM FRANGIPANIS FACINVS.

CAROLO ADDVCITVR.

Digitized by Google

manarum rerum juſſit & famæ conſulere. vtrumque egregiè facturum, non fundendo nobiliſſimo ſanguine, ſed confundendo cum ſuo, filiâ Conradino, nepte Friderico elocatis. Ottocarum contra Bohemum ferunt rebus ſuis & Auſtriæ Imperio metuentem monuiſſe, litem de Regno Siciliæ, quod dubium illi Conradinus faceret, vno ictu decidi poſſe. Sed & Clementem Pontificem oblitum nominis ſui neceſſe eſt, ſi, quæ vulgo circumfertur, illius vox fuit, *Vitam Conradini Mortem Caroli* futuram. Equidem ne illis quidem libenter acceſſerim, qui id duntaxat reſpondiſſe referunt, non interceſſurum ſe, ſi in captiuos lege agere conſtituiſſet. Malim Carolum crudelitatis barbaræ conſultorem eundem auctorémque fuiſſe, neque vllum tam magnum nomen cum illo inuolui, inuidiâ, dum erunt literæ & factorum vlla hominúmque memoria extabit, conflagraturo, cui hæc duo decora orbis terrarum, vtrumque ſtirpis nobiliſſimæ vltimum florem ſubjicere carnificis gladio

Auentin. SENTENTIÆ DE ILLIVS CAPITE DICTÆ.

Hhh vere-

Digitized by Google

SVPPLICIVM DE CONRADINO SVMPTVM.

verecundiæ non fuit. Animaduerſum eſt in eos publicè veluti capitalia auſos dignóſque more latronum perire. Fœdiorem ſcenam inter Chriſtianos nulla tyrānis ſtruxit, ſiue caſtelli aream, quod Ludouicus Boius Cæſarum eo nomine Quartus poſtea demolitus dicitur, ſiue medium Vrbis forum Carolus ipſe ſpectator ſceleris ſui crudelitati conſecrauit, oculis inde voluptatem quæſiturus, vnde etiam minimè humanis aut mollibus lacrymæ ſunt citatæ. Audiuit tamen, quæ ſic morituros decuit loqui precaríque, & verò etiam cum poſteris ſenſit immortalium cum gente Hiſpanâ bellorum autor; quæ jam inde à Siculo Veſpere cruento Gallis & in omne æuū nefaſto quātas Conradino Inferias mittēt? Prior Fridericus Auſtrius ceruices incidēdas præbuit, innocentiámq; quam jure tueri non potuit, communi mortalium Patronæ Matri Virgini vltimis vocibus commendauit, cuius nomen ingenti miraculo jam auulſum à trunco caput ſemel iterúmque clarè pronunciauit. Conradinus vltima ei Amoris juſta perſoluit lacrymis oſculíſ-

GerardusRoo ex Collenutio.

MARIÆ NOMEN À TRVNCO FRID. CAPITE PRONVNCIATVM.

que,

que, & triſtibus de tali exitio querelis, quas dolor & cupiditas ſuauiſſimo mortalium commoriendi abrupit. Pro ſe locutus pauca, judicem cauſæ vindicémque innocentiæ ſuæ Deum, & ſecundum hunc BOIARIÆ Principes; hæredem Iuris ſui in Siciliæ regnum ſiue Petrum Aragonium, ſiue ex Fratribus Caſtellanis Henricum Fridericúmve (pro ſingulis authores ſunt) nominauit, manicâ, vt vltimæ voluntatis teſſera extaret, in populum jactâ, quàm à nobili exceptam equite ad Petrum Aragoniæ Regem perlatam Pius Pontifex ſcripſit. tum denique ingeniculans, excepto fortiter carnificis ferro, crudelitati Caroli ſatisfecit; qui ne nihil dediſſe regiis adoleſcentibus videretur, carnificem illis, honorarium nimirum funus, adiecit, ſubmiſſo confeſtim, qui illum quoque de medio tolleret, ne ſupereſſet, qui talium victimarum cæde poſſet gloriari; quaſi vitâ dignior fuiſſet, qui mortem imperârat, non iniuriâ deinde à Petro Aragonio *Nerone Neronior*, & *Saracenis crudelior* appellatus. Locum

Digitized by Google

SVPPLICIVM DE CONRADINO SVMPTVM.

verecundiæ non fuit. Animaduerſum eſt in eos publicè veluti capitalia auſos dignóſque more latronum perire. Fœdiorem ſcenam inter Chriſtianos nulla tyrãnis ſtruxit, ſiue caſtelli aream, quod Ludouicus Boius Cæſarum eo nomine Quartus poſtea demolitus dicitur, ſiue medium Vrbis forum Carolus ipſe ſpectator ſceleris ſui crudelitati conſecrauit, oculis inde voluptatem quæſiturus, vnde etiam minimè humanis aut mollibus lacrymæ ſunt citatæ. Audiuit tamen, quæ ſic morituros decuit loqui precaríque, & verò etiam cum poſteris ſenſit immortalium cum gente Hiſpanâ bellorum autor; quæ jam inde à Siculo Veſpere cruento Gallis & in omne æuũ nefaſto quãtas Conradino Inferias mittẽt? Prior Fridericus Auſtrius ceruices incidẽdas præbuit, innocentiámq; quam jure tueri non potuit, communi mortalium Patronæ Matri Virgini vltimis vocibus commendauit, cuius nomen ingenti miraculo jam auulſum à trunco caput ſemel iterúmque clarè pronunciauit. Conradinus vltima ei Amoris juſta perſoluit lacrymis oſculíſque,

Gerardus Roo ex Collenutio.

MARIÆ NOMEN À TRVNCO FRID. CAPITE PRONVNCIATVM.

que, & triſtibus de tali exitio querelis, quas dolor & cupiditas ſuauiſſimo mortalium commoriendi abrupit. Pro ſe locutus pauca, judicem cauſæ vindicémque innocentiæ ſuæ Deum, & ſecundum hunc Boiariæ Principes; hæredem Iuris ſui in Siciliæ regnum ſiue Petrum Aragonium, ſiue ex Fratribus Caſtellanis Henricum Fridericúmve (pro ſingulis authores ſunt) nominauit, manicâ, vt vltimæ voluntatis teſſera extaret, in populum jactâ, quàm à nobili exceptam equite ad Petrum Aragoniæ Regem perlatam Pius Pontifex ſcripſit. tum denique ingeniculans, excepto fortiter carnificis ferro, crudelitati Caroli ſatisfecit; qui ne nihil dediſſe regiis adoleſcentibus videretur, carnificem illis, honorarium nimirum funus, adiecit, ſubmiſſo confeſtim, qui illum quoque de medio tolleret, ne ſupereſſet, qui talium victimarum cæde poſſet gloriari; quaſi vitâ dignior fuiſſet, qui mortem imperârat, non iniuriâ deinde à Petro Aragonio *Nerone Neronior*, & *Saracenis crudelior* appellatus. Locum

Digitized by Google

vbi ſuprema Sueuiæ Auſtriæque lumina extincta ſunt, poſtea Ædiculâ impoſitâ Collegium Coriariorum Neapolitanum ſacrauit & carmen epitaphium addidit, quod manifeſto errore Fridericum Aſburghiæ genti aſſerit, qualis inter Principes nulla vnquam fuit; Habspurgiam in animo ſcriptoris fuiſſe exiſtimem, ad quam Auſtriæ Imperium ſubinde eſt deuolutum. Sed quouis monumento clarior eſt prodigioſus circulus, quo diuina manus areolam illuſtri illo ſanguine cruentatam circumſcripſiſſe fertur, nullis vnquam caloribus deſiccandum: quemadmodum etiam quadrum, quo orbis ille ſeptus eſt, perpetim exſudantibus guttis qualeſcunque lacrymas clariſſimis funeribus affundit. Ita reuerentia loco & dignatio conciliata, quem Carolus æterna inſignitum infamia voluit. cùm enim pænè ſub patratæ cædis tempus Eliſabetha Conradini Mater cum Magnis opibus Neapolim, filij, quem viuum etiamnum putabat, redimendi ſtudio acceſſiſſet, ei etiam Mauſolei in illo ferali fundo condendi gratia facta non eſt. Id dun-

CARM. EPITAPHIVM.

Abrah. Bzouius in Annal.

PRODIGIOSVS CIRCVLVS.

Summont. in Carolo.

ELISABETHA BOIA CONRADINI MATER OSSA FILII TVMVLAT.

duntaxat permiſſum, vt Ædi alibi poſitæ filij cadauer inferret; quam ampliſſimè dotatam DD. Eligio & Martino dicauit, multò poſtea nobiliori, quàm Conradini fuit, ſanguine, & per atrociorem iniuriam fuſo, nobilitatam. Aleator infelici ludo ad inopiam pariter inſaniámque redactus, hanc in Deiparæ Iconem parieti affixam effudit, luculentâ plagâ inflictâ; vnde copioſus confeſtim ſanguis profluxit, celeri, vt par erat, grauíque ſupplicio vindicatus; adhuc tamen ſpectabilis impietatem in Superos, vti Conradini circulus crudelitatē in homines eodem ferè prodigij genere ſuis auctoribus exprobrat. Porro Sueuiam Conradini morte orbam Tecceníes, Wirtenbergenſes, Badenſes Reguli, & Habſpurgij Comites diuiſis imperiis rexere. Waldpurgij dynaſtæ vetera Principum inſignia ſortiti ſunt eo iure, quod Henricus Waldpurgius in ſuam intuliſſe gentem dicitur, cùm Conradinus anulum ſignatorium in ipſo carnificinæ loco ei dono dediſſet; quod vt antiquis tabulis affirmare non poſſumus, ita ſine ratione nolumus refutare, Tra-

MIRACVLVM.

* *alij Eberhardum appellant.*

MORITVR ETIAM PONTIFEX.

INTERREGNVM.

gœdiam hîc denique finituri, niſi illius appendix cenſeri Pontifex Clemens debet, eodem, quo Conradinus cæſus eſt, menſe è viuis ſublatus; cui ſucceſſorem Cardinalium diſcordia per triennium non reperit. Sed neque domi, quod iuuet ſubnectique tam triſtibus poſſit, reperio. Nam præter funera anni ſexageſimi noni paulò ſuperiùs elata, fœda quoque aquarum eluuies, quantam mortales nunquam meminerant, BOICÆ vaſtitatem attulit, tanto certius irati Numinis argumentum, quòd ſumma hyeme, Natalitiis Chriſtianis, minimè ſuo tempore, id malum in agros eſt debacchatum.

EXVNDATIO AQVARVM.

MCCLXX. *Stero.*

Sequenti anno alternantibus calamitatibus ſiccitate laboratum. ſeges in herba decocta eſt; falci nihil relictum; vacantibus granariis, vindemia lætior cellas generoſiſſimo vino impleuit. per idem tempus Wladiſlaus Salisburgenſis Pontifex deceſſit, veneno, vti ſuſpicio fuit, in patria hauſto, amicis propinantibus, quibus præteritis, Salisburgenſem Eccleſiam hæredem inſtituere cogitabat. Fridericus Wallenius ei ſuffectus eſt, qui primo dignitatis an-

Metrop. Salisb.

SALISBVRGVM ARDET.

no

no totam penè vrbem ardentem vidit. Mortuus etiam Bela eſt Vngariæ Rex Henrici Boij ſocer; cuius obitu fœdus cum Ottocaro Bohemo ſancitum diſſiliit. Stephanus eius filius ſub anni finē, irruptione in Auſtriam, quà meridiem ſpectat, factâ latè omnia populatus eſt, & ad ſeptendecim hominum millia pecorum more in ſeruitutem abegit: qua iniuria motus Ottocarus, proximo vere, cum validis in Vngariam copiis deſcendit, & Poſonium, Altenburgum, Tyrnauiam & S. Georgij caſtrum in poteſtatem adduxit. victoriæ curſum commeatûs inopia ſtitit. Stephanus viciſſim Auſtrios Morauóſque vexauit, donec ſub ſolſtitium æſtiuum ab Epiſcopis aliíſque cordatis viris cladem patriæ miſerantibus detracta Regibus arma ſunt. Autumnus Henrico Boio Eliſabetham coniugem lectiſſimam fœminam abſtulit ſex liberorum Matrem, Eliſabethæ, Othonis, Henrici, Katherinæ, Ludouici, Stephani. Eliſabetham fœcunditatis ſuæ primitias priore anno Chriſto conſecrauerat in Landishutano Parthenone, quem virtutibus ipſo ge-

MOTVS VNGARICI. MCCLXXI.

ELISABETHA BOIA PRINCEPS OBIT.

Stero MS.

PRINCEPS VIRGO DEO DICATA.

nere clarioribus ita illuſtrauit, vt, qui proximus Diuis honos eſt, Beatæ Memoriæ encomium nomini ſuo adiunxerit. Mortem Eliſabethæ optimæ Principis tota BOIARIA veris lacrymis defleuit; quæ maxima principalium funerum gloria eſt, ſed vitæ meritis & ſuauitate imperij comparanda. Iungamus fœminæ Principi pauperrimum virum, nullo præter Virtutes ingentes peculio, quibus ea tempeſtate in BOICA nemo ditior fuit.

MORS ET MEMORANDA ALIA B. BERTHOLDI FRANCISCANI. *Chron. Saxon. Bruſch. Cruſius p.3. Ann. Sueuicorum. Marianus l.2. Luc. VVaddingus Chron. Minor.*

Bertholdus eſt Ratiſbonenſis ortu, Religione Franciſcanus, Spiritu Elias, eloquentiâ Chryſoſtomus, factis Thaumaturgus, cuius certamen cum Othonis BOIARIÆ Ducis pertinacia alibi vidimus; quem vnum conſtat magno malo ſuo impenetrabiles diſertiſſimo oratori aures occluſiſſe, cùm aliàs Bertholdus neque ex roſtris, neque ex priuatis congreſſibus niſi victor diſcederet, cum ingenti animarum præda; dignus proinde cuius in Thuringia concionantis capiti coronæ imminerent, Ciuicæ ſine dubio, ob Rempub. Chriſtianam mirabili eius facundia ſeruatam auctámque, quas oculati teſtes à ſe vi-

CORONÆ CONCIONANTI IMPENDENT.

ſe viſas affirmarunt. Extat eius in Annalibus Fabarienſis Monaſterij memoria; vbi Albertum Saxenſem Regulum ad Wartenſteinenſe caſtrum nullo iure poſſeſſum Monachis reddendum impulit. Spurcas aliquando voluptates, putidiſſimam humani generis Camerinam, libera oratione commouerat, effecerátque dicendo, vt illud non minus familiare quàm peſtilens animorum vlcus, in quo Bertholdus vnguem fixerat, nemo præſentium non abominaretur. Aderat in turba proſtibulum, arcanarum magiſtra libidinum & certiſſima iuuentutis corruptela: huic Bertholdus non loqui ſed tonare, non verba ſed fulmina jactare viſus poſt ſingultus & lacrymas ipſam denique animam expreſſit. Collapſam alij miſerari; qui indolem moréſque nouerant, iure plexam dicere, & vtique affirmandis, quæ à Bertholdo funderentur, oraculis luculentum teſtem acceſſiſſe. ille ad explorandum diuinitatis conſilium vota indicere, primúſque in genua prolapſus cælo vim inferre. Inter comprecationem mulier animâ vocéque receptâ,

VIS CONCIONANTIS.

Antonin. t. 24. c. 9.

MORTVA MVLIER

SPIRITVM RECIPIT.

IVDICII DIVINI RIGOR.

miriora miris audita viſáque ſibi tantilla temporis, quo à ſe diſceſſerat, intercapedine, cum adſtantium ſtupore commemorat. Attonitam ſcilicet ſeſe pondere veriſſimæ orationis, quæque meruiſſet metuentem juſti doloris magnitudini ſuccubuiſſe; eodémque momento cum ſexaginta hominum millibus apud æternum judicem cauſam dixiſſe. reos omnes peractos; nihil cuiquam in ſe, nihil in alio opis aut ſpei fuiſſe. ſe quantumuis ſerâ pœnitudine nonnihil ſubleuatam, & Bertholdi patrocinio elapſam judicio, pro immortali munere comperendinatam. tribus ex omni numero temporarium exilium in piacularibus flammis decretum: vnum aliquem eiuſdem cum Bertholdo inſtituti cæleſti ciuitate donatum; quam ne incomitatus ſubiret, duos, quos nuper expiauerat, ex incendio raptos in libertatem aſſerendi poteſtatem obtinuiſſe. Narrationi omnibus Tragœdiis triſtiori Antoninus vir ſanctus neque minùs doctus aſſenſus eſt, eámque frenandæ mortalium licentiæ publicandam putauit; vnde nos quocunque demum loco

apud

Digitized by Google

apud delicatos & triſtium nunciorum inſolentes futuram exſcripſimus. Nullo æuo exempla defuere ignauiam excuſſura mortalibus, niſi veteri o laboraretur, aut mollior, quàm par eſt, philoſophia, cum pernicie virtutum, animos corrupiſſet. Abducimur blandis opinionibus, & veris minis fallacia promiſſa præualent cælum paruo venditantium, quod maioribus noſtris ſanguine aut certè largis ſudoribus ſtetit. Calcare roſas volumus; cùm virtutis iter ſpinis & muricibus non modò Chriſtus ſectatoribus ſuis, ſed etiam Herculi ſuo antiquitas ſtrauerit. Iam illi quoque, qui virtutem jactant, ſæpe ſub fuco & larua pietatis magnam nequitiam abſcondunt; quâ vt hominibus imponi poſſit, Deus certè non irridetur acerrimus cenſor hoſtiſque bracteatæ & ad inanem plauſum compoſitæ religionis. Huc grauiſſima filij Dei monita, huc rectè de Deo ſentientium conſona oratio, huc cæleſtia viſa & miſerabiles denique proſcriptorum à cælo non tamen ideo in propria cauſa inteſtabilium voces pertinent; quos ſubinde ex ſuis, qui-

CAVSÆ LICENTIÆ PVBLICÆ PECCANTIVM.

Digitized by Google

quibus æternùm arſuri ſunt, flammis colloqui cum mortalibus Deus eſt paſſus, ne quod genus argumentorum deeſſet, ad inculcandam certiſſimam veritatem, de ſtrictiſſimo æterni Iudicis rigore ad ſcientiæ ſuæ libellam dicta factáque noſtra exigentis. Iuuat, quando huc delapſi ſumus, antiquius ex Cæſario in eandem rem teſtimonium tranſcribere, quod ſub horum Principum, quorum annos digerimus, Auo (vti exiſtimo) familiarium eius longè ditiſſimus, juſſu Numinis, nullo ſuo, ſed maximo noſtro, ſi volumus, commodo dixit; quod quia certam anni notam nullam præfert, nunc repræſentamus. Obierat quiſquis tandem & quocunque nomine *ditiſſimus*, vti Cæſarius loquitur, *Ducis* BOIARIÆ *Miniſterialis*, non ſine opinione ſanctitatis, quam liberali potiſſimùm in egenos beneficentia comparauerat. Haud diu pòſt, intempeſta nocte, gentilitium caſtrum, quod viuus incoluerat, ab imis quati fundamentis conſternati incolæ ſenſere, fragor, qualis mouente terrâ auditur,

DAMNATI HOMINIS DE SVIS POENIS TESTIMONIVM.

Cæſarius l. 12. c. 19.

tur, ruentis ædificij ſpeciem præbebat. Maior illa vis fuit, & loci domino ſua tecta reuiſenti ſic debuit applaudi. is enim vultu, quo agnoſci poſſet, infernali larua giganteæ molis comitatus arcem & coniugis cubile ſubierat. mulier agnitum veteris neceſſitudinis fiduciâ, ſatin' ſaluæ? rogare auſa eſt. Imo deſperatiſſimæ, reſpondit maritus; æternis flammis æternùm miſer ardeo. Quærenti iterum, Nulláne egregiorum operum habita ratio, nullum in largiſſimâ ſtipe, qua inopes ſubleuarit, præſidium fuerit? adeóne irrita eſſe promiſſa, quæ nulli virtuti clariora diuino ore facta ſint, vt neque ad explicanda diluendáque debitorum nomina aptiorem ſpongiam, neque ad amicitiæ diuinæ aditum certiorem teſſeram ſibi quærendam mortales putent? Nihil eorum falsò dici aut vanè credi retulit infelix maritus; ſibi quoque ad capeſſenda beatitatis inſignia prona omnia futura fuiſſe, niſi illa ad ſpeciem præclara opera popularis auræ ſtudio patrata in fumum imò flammam abiiſſent. Hic finis colloquij fuit; nam ſuppliciorum molem

VXOR CVM MARITO DAMNATO COLLOQVITVR.

SIMVLATA VIRTVS DVPLICATA NEQVITIA.

Digitized by Google

lem negauit explicari poſſe; nec ſi omnia arborum folia linguarum vicem eſſent, parem vllam tormentis ſuis orationem futuram. Rem, vti narrata eſt, ex Gerhardi Ratiſbonenſis Canonici ore Cæſarius publicauit, nihil per BOIARIAM ita vulgatum ſermonibus hominum fuiſſe affirmantis. Sed nos ad Bertholdum reuertamur. Aperuerat aliquando Pontificis nomine theſaurum cæleſtium gratiarum, quas Indulgentias appellamus, ab improbis per derediculum auditus, quibus haud temerè alia ad cauillandum aptior ſeges: Trapezites potiſſimùm argentarius collybo præfectus impotentiùs bacchabatur in ignota ſibi ſacri quæſtûs nomina, nullas niſi ſuorum follium opes æſtimare doctus. Ad hunc, Bertholdi juſſu, fœmina inops cum ſyngraphâ denûm dierum indulgentiam præferente adit, inuitátque hominem ad commercium, immiſſâ in lancem ſyngraphâ, contra quam alter argentum appenderet. Acceptat conditionem menſarius cum riſu, argumentum nouæ fabulæ inter congerrones exſibilandæ ſibi pollicitus. Contrà euenit,

Marian. l. 2. c. 17.

INDVLGENTIARVM VIS ET PRETIVM.

euenit. Quanto fœminæ argento opus erat, tantum injiciendum in alteram lancem fuit, donec ad æquilibrium eſt ventum. Idem nimirum pondus, quod orationi Bertholdi inerat, etiam ſyngrapha habuit non modo argento grauior, ſed faſtum etiam impietatémque argentarij depreſſura. Iam illud quoque ingentem habuit admirationem. Laſciua mulier diuturnam mariti in bello ſacro abſentiam non ferens alterum velut mortuo ſuperinduxerat. Reducem denique præ adultero dedignata obtruncat, quantumuis illo ipſo dehortante, qui in mariti locum erat aſſumptus. Re ad judices delata, parum abfuit, quin cædis culpam ferret innocens; tantum in omnia ſcelera armatæ in attritâ fronte & caninâ facundiâ præſidij fuit. Litem Bertholdus diremit. Allato cadaueri imperat homicidam prodere. Cum dicto caput in fœminam inſilit, & quo maximè indicio lupam deprehendi par fuit, infidum pectus mordicus arripit, reúmque peragit ſine voce; ſed & innocenter accuſatum ſine voce abſoluit; neque Bertholdi virtus

OCCVLTVM FLAGITIVM PRODIGIOSE DETECTVM.

diſer-

diſertius teſtimonium poſtulauit. Ipſe porro cùm felicem Dauidis de Auguſtâ mortem, quem morum ſimilitudo & inſtituti ſocietas ei intimè conciliârant, dum ad populum diceret, diuinitus intellexiſſet, eam confeſtim vulgauit, & carmen illi epitaphium accinuit ex ſanctioribus depromptum odis, quibus Confeſſorum laudes Eccleſia celebrat:

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, caſtus fuit & quietus;
Vita dum præſens vegetauit eius
Corporis artus.

quod quia plauſibilius, vti verè eſt, omnibus Panegyricis Sanctus vir idémque eloquentiſſimus exiſtimauit, ipſi quoque paulò poſt Dauidem mortuo jure optimo reddimus. nam quod eius tumulo Ratiſbonæ inciſum eſt, vnicam illi magni Oratoris laudem attribuit, quem tamen in ſeipſo commendando Chriſtiana modeſtia infantem fecit.

A. MCCLXXII. PONTIF. POST TRIENNII INTERREGNVM.

Hoc demum anno iterum Italia Pontificem vidit, qui Gregorij X. nomine adſcito, reliquias Conradinianæ factionis, inque iis Ludouicum Boium & Menhardum

hardum Tirolenſem nouo anathemate perculiſſe dicitur, ſed ab illo ſcriptore, cui etiam cùm Pontificum Epiſtolas jactat, non ſemper credimus, gnari in iis inſpiciendis ſæpe eum cœcutiiſſe, aut alieno tempore eas adduxiſſe: cuius inſigne documentum eſſe poteſt, quòd earundem Epiſtolarum fide euiciſſe ſe gloriatur, Rudolphi Habſpurgij Electionem, quam concors ſcriptorum ſententia in ſeptuageſimum tertium rejicit, ſexageſimo ſeptimo anno peractam, quòd jam illo tempore edita à Clemente Pontifice ad Rudolphum, ſi Superis placet, extet epiſtola; cuius auctoritate cùm haud immeritò ſcriptores omnes perculeret, nuper tandem, quod bene vertat, Lucas Waddingus diligentiſſimus & candidiſſimus Franciſcanæ hiſtoriæ conditor panicum metum in riſum vertit, qui Vaticanis Codicibus inſpectis deprehendit grauiſſimum hiſtoricum Elementario lapſu corruiſſe: cùm enim nomen Regis Romanorum Electi, notiſſimo Notariorum compendio, prima duntaxat capitali litera ſcriptum reperiſſet, Epiſto-

Digitized by Google

lam non ad Richardum Cornubienſem, ſed Rudolphum Habſpurgenſem pertinere ſubtili coniecturâ pronunciauit, idque vnicum telum habuit, quo omnem antiquitatem confoderet. Porrò quando eò ventum eſt, vt hunc gloriæ Habſpurgicæ Atlantem, tot Cæſarum, Regum, Principúmque parentem & familiarum omnium, quas hodie orbis habet, potentiſſimæ & cum BOICA arctiſſimis neceſſitudinibus connexæ columen in theatrum producere neceſſe ſit, auſpicatiſſimum non modò vni illi genti, ſed humano generi vniuerſo annum, velut nouam melioris ſeculi venam, nouo libro aperiemus; quando hîc quoque fidiſſimus dux Hermannus Altahenſis Abbas, cuius Annalibus, qui Stероni vulgo attribuuntur, diu vſi ſumus, nos deſerit. Senium viro optimo, quæque ſenium comitantur incommoda calamum inuito extorſerunt. Pedum enim & honoris infulas triginta annos cum inſigni laude portatas ſponte poſuit, exorato Petro Batauenſi Epiſcopo, ne ætate morbíſque prægrauato hoc alleuamentum negaretur. Eâ laxatus curâ

ELOGIVM HERMANNI ABB. ALTAHENSIS.

râ cum morbis biennio, quo ſuperuixit, integro inuictâ patientiâ decertauit, cùm reliquarum virtutum curriculum ſano corpore jam abſoluiſſet, de Monaſterio ſuo ita meritus, vt Stero affirmet, veriſſimè, ſi libuiſſet, illis Augusti verbis vſurum fuiſſe, Vrbem quam lateritiam inueniſſet, à ſe marmoream relinqui.

Digitized by Google

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM LIBER XV.

Breviarium rerum Geſtarum LVDOVICO V. ET HENRICO XIII. FRATRIBVS. RVDOLPHO ET LVDOVICO VI. LVD. V. FILIIS. OTHONE V. ET STEPHANO HENR. XIII. FILIIS DVCIBVS BOIARIÆ.

I. Pletas RVDOLPHO HABSPVRGIO *viam ad Imperium ſternit*. BOIIS *Principibus Suffragij Ius ab Ottocaro Bohemo nequicquam in dubium vocatum confirmatur. Ludouici V. cum Mechtilde Rudolphi Cæſ. F. feliciſſimum Coniugium. Henrici XIII infelix cum Ottocaro fœdus.*

Digitized by Google

dus. Auſtria Bohemo erepta, inque ea Neoburgum BOII *Principis ſtratagemate recuperatum. De Ottocari Faſtu Rudolpho ſacramentum dicentis triumphatum. Leonis Epiſcopi Ratisbonenſis res memorabiles. Ottocarus in bello cadit. Illuſtres in* BOICA *familiæ complures extinguuntur.*

Belli imminentis periculum à BOICA *auertitur. Abbas Altahenſis ex inſidiis occiditur. Henricus XIII Myldorfium occupat. Iniuriam Salisburgenſis Antiſtes vlciſcitur. Ludouicus vtrumque in concordiam redigit. Cædem Chriſtiani Infantis Monachij patratam Iudæi flammis inuoluti luunt. Auguſtanis Comitiis Paci Publicæ conſultum. domi leges aduerſus Graſſatores latæ. Controuerſiæ Principum ex diuiſione Prouinciarum natæ delatæq; ad Arbitros vtcunque ſopiuntur. Ali-* II.

quid ex Auſtria turbarum gliſcit. Henricus XIIII moritur. Ludouicus Ludouici V. Filius in certamine ludicro, accepto lethali vulnere, piiſsimè decedit.

III. *Otho V. Henr. XIII F. Dux Inf:* BOIARIÆ *ex Arbitrio Henrici Ratisbonenſis Epiſcopi Controuerſias cum Ludouico Patruo componit. Idem ſpe Styriæ ineſcatus arma parùm auſpicatò ſumit. Ludouicus V. Comitem VVirttemberg: fœdere ſibi jungit. Pacificatorem ſe Othoni & Alb. Auſtrio offert. Auſtrius Imperio imminens ſpe excidit. Otho Carinthiam maiore ferocia quàm jure inuadit. Ludouicus Cæſaris odium incurrit innocens; Proſcriptionis iniuriam moderatè fert & fortiter propulſat. Othonem & Auſtrium conciliat. rebus domi rectè conſtitutis, Haidelbergæ moritur. Aliquot Cænobia*

Digitized by Google

nobia Miraculis & Piorum liberalitate exurgunt.

Albertus Auſtrius veneno & æmulorum odiis appetitus à vindicta latius propaganda BOIORVM *ſtudio auertitur. Rudolphus Lud. V. F. Adolphi Cæſaris Filiæ coniugio ſociatur. Ratisbona inteſtina diſcordia laborans in Cæſaris ſententia acquieſcit. Henrici eius Vrbis Epiſcopi Viri S. Beata mors & diuturnus ad illam rite excipiendam apparatus. Rudolphus arma contra Tirolios fratres ſumpta in Auguſtanos vertit; poſt etiam cum Henrico Burgauio colliditur. Cædes nobilis* BOII *in auctores ſuos acriter vindicata. Otto Crondorferus ex humili loco ad faſtigium dignitatum eluctatus Fortunæ non reuerenter habitæ pœnas exſoluit. Ratisbona à Principibus* BOIA- IV.

Digitized by Google

RIÆ *domita iudem conciliatur. Iura Principum in ea vrbe.*

V. *Principes Imperij à Moguntino in Adolphum Cæſarem concitantur, alienis ab ea factione* BOIIS *Principibus. Otho etiam copias auxiliares illi adducit: Haigerlohius iter morari auſus in pugna occiditur. Adolphus exauthoratus bellum improuidè adminiſtrat, & infeliciter pugnans cadit.* BOII *Principes fide egregiè culta decora è prælio vulnera efferunt. Auſtrius inauguratur. Paſſauienſis plebs affectatæ libertatis ſententiâ Cæſaris damnata dat pœnas. Iudæi in inuidiam adducti paßim ad ſupplicia rapiuntur. Conradus Nantouinus vir innoxius ſcelerati Iudicis improbitate circumſcriptus ad rogum damnatur, ſed à morte prodigiis inclareſcit.*

Annus

Digitized by Google

Annus MCCC *primo Iubilæo inſignis. Albertus Cæſar Principum odium incurrit. de eius Iure Rudolphus Rheni Palatinus cognoſcit, eo nomine à Cæſare parte prouinciæ multatus. Eiuſdem Rudolphi iniqua erga Matrem fratrémque odia & acta à Cæſare reſcinduntur. Mechtildis Mater decedit.* VI.

Otho Inf. BOIARIÆ *Dux ad Coronam Vngariæ vocatur. ea fortuito caſu amiſſa recuperatur, & Othoni imponitur mox iterum detrahenda. Otho addictus Carceri ſeruuli adiutus fide ægre euadit. in fuga iterum periclitatus in* BOIARIAM *denique elabitur, per eius abſentiam ab Alberto Cæſare afflictam; qui paulo pòſt acerba morte defungitur. Succeſſoris eius Henrici VII Filium Rudolphus Boius in Bohemiam deducit: Henri-* VII.

Digitized by Google

co Carinthio Ex Regi iter in Tirolim expedit. Otho damna proximæ irruptionis in Auſtrios vlciſcitur, editis nihilominus Clementiæ in Victos egregiis documentis. Fridericus Auſtrius mutuum facturus BOICAM *infeſtat; ſed ab Obſidione Schärdingæ cum clade reiectus paulo poſt pacem ſancit. Otho Vngaricæ Coronæ iterum inhians, pecuniam, venditis Prouinciæ inſignibus priuilegiis, redigit. Mors intempeſtiua eius vota intercipit.*

VIII. *Henricus Cæſar Italiam ingreſſus in componendis Guelphorum & Gibellinorum factionibus operam perdit. Rudolphus B. D. ei auxilia adducit ſuique periculo capitis eum Romam introducit paulò poſt extinctum. Alberti Altahenſis & B. Notburgis res præclarè geſtæ. Ob Tutelam Henrici Othonis Filij ab Auſtriis affectatam ven-*

ventum ad arma. Ludouicus VI cum quadringentis non amplius viris hoſtem aggreſſus incomparabilem Victoriam reportat.

GESTA SVNT HÆC AB ANNO MCCLXXIII; VSQVE AD MCCCXIII.

LVDO-

Digitized by Google

LVDOVICVS V. ET HENRICVS XIII. FFRR: DVCES BOIARIÆ.

I. INfinitum negotium & à ſuſcepti operis rationibus alienum aggrediar, ſi Habſpurgici Nominis ad rerum humanarum faſtigium aſſurgentis primas origines & admiranda incrementa à pluribus retro ſeculis repetam; præſertim cùm viri ingenio doctrináque præſtantes, quibus ea Sparta obtigit, quò benigniorem materiam ſuíſque obſequentiorem artificibus nacti ſunt, eò minorem peregrinæ diligentiæ & ſecundis curis locum reliquerint. quæ me res deterruit, vt ne in Rudolpho quidem actum agerem, militaria facinora, quæ tantum viro illi inter mortales gloriæ peperere, nouis coloribus oblinendo, cum veterum iniuriâ. Nihilominus inter mitiora Herois non tantùm fortiſſimi ſed Piiſſimi etiam ſtudia, quæ vna res Deo tanti viſa eſt, vt Imperio, ſummóque

quod

Digitized by Google

quod in terris eminet, nomine compenſandam judicarit, eam, ſi vel faſtidij metus ſit, præteriri à me nefas exiſtimaui. Debellauerat Vdalricum Regensbergenſem Regulum Rudolphus, nactúſque poſt victoriam breue otium venando ſeſe oblectabat. illic à ſociis, vti fit, auulſum tintinnabuli ſonus notus piis auribus & præſentis index Numinis advertit. propiùs adequitans Sacerdotem cum Cæleſti Pane, quo moribundum paſcere cogitabat, ad Arulæ ripam offendit. is vadum ſibi quærebat, quòd pontem rapidior vnda ſoluiſſet. Rudolphus tactus religione ſuo Sacerdotem equo imponit, indignum ratus tanti oneris baiulum corpus, quod neceſſe erat, ad tranſuadandum nudare. Reuerſum, peracto officio, & non ſine fauſtis apprecationibus animal reducentem, id quoque habere ſibi Sacerdotem juſſit; ſe, poſtquam eo Numen vectum ſit, eius tergum non preſſurum profanam imparémque ſarcinam. Ea pietas ſiue Sacerdotem ipſum, ſiue, quod alij tradidere, ſacratam è Monaſterio Farenſi Virginem vatem effecit.

PIETAS RVDOLPHI HABSPVRGII IMPERIO REMVNERATA. *Franc. Guilimann. Habſp. l. 6. ex Chron. MS. &c.*

ORACVLVM DE ADIPISCENDO IMPERIO.

Ad

Ad eam enim cùm poſtero die, officij cauſâ, propinquas neceſſitudines ſeniúmque in ea veneratus viſeret, illa mente diuinitus mota, Rudolphum, quod felix fauſtúmque eſſet, Imperatorem ſalutauit, profeſſa id ſe adorati liberalitérque culti Numinis præmium ei ferre. ita placitum Cælo, vt qui Dei cauſa in pedes ſe demiſerit, ſolio imponatur, proximum à diuinitate, cui is honos ſit habitus, inter mortales locum occupaturus. Id oraculum, rebus à tanta ſpe tam procul diſſidentibus, admirari magis tum libuit, quàm credere; neque ideo quidquam ex moribus ſuis demutare Rudolphus; præter Superos prenſare neminem; Fortunæ locum virtute facere, neque committere quidquam, ex quo Deum ſui promiſſi poſſet pœnitere. Annus ſeptuageſimus tertius oraculum explicauit. Francofurtum creandi Cæſaris cauſa Proceres Germaniæ, Septembri menſe jam præcipiti, conuenerant. Ex BOIIS fratribus, quorum indiuiſum jus & par ſuffragandi poteſtas fuit, Ludouicus præſens adfuit. Henricus Legatis miſſis Henrico Præ-

Ex Cæſar: diplomate Auguſtæ dato 1275. in Metrop. Salisb. Et Eberhardo Altahenſi anno 1. Chronici illius apud H. Caniſ. t. 1.

Præpoſito Oetingenſi & Friderico Landishutanæ Eccleſiæ Rectore, abſentiam excuſauit, & ſuum in Comitiis locum tenere eos juſſit. Æquum petere aliis viſus à Bertholdo Leiningio Bambergenſi Epiſcopo eodémque Ottocari Bohemi Legato impugnatus eſt. Dubium illi reddere jus ſuffragandi laborabat, haud ſcias an vt Ottocaro aſſereret in Titulis etiam Auſtriam ferenti, quæ carptis BOIARIÆ finibus euecta nuper in Principatum hoc etiam ſpolio digna videretur; an quia noui moris exemplíque res ei viſa eſt, duobus Fratribus locum in Comitio dari, cúmque Ludouicus Comes Palatinus Rheni coram adeſſet, vllam BOIARIÆ Ducis rationem haberi, eáque congeminatione & ſuperfluo auctario Sacri Septenarij Harmoniam confundi. Intempeſtiua ea Principibus cauillatio uiſa, quantóque plus impudentiæ habuit, tanto pronioribus animis auribúſque accepta Ludouici oratio eſt, tot propè teſtibus, quot homines aderant, palam facientis ſuffragij lationem BOICI Principatus proprium decus vtrique in reliqua paternæ glo-

RVDOLPHI ELECTIO ET BOIORVM PRINCIPVM IN EA PARTES.

Digitized by Google

gloriæ hæreditate ex æquo obtigiſſe; eo ſe in Richardi Cornubienſis inauguratione ſine inuidia cõmuniter vſos, non nouandi ſtudio, ſed tuendi fraterni iuris, in quo naſcendi conditio mutuúſque amor nullum diſcrimen agnoſcat: quod vterque coniunctis animis ſtatuiſſent, non aliter quàm vnius hominis vocem accipi velle; priuatim tam concordes Reipub. concentum non ſoluturos. Exploſa magno conſenſu interceſſio; juſsíque fratres in commune conſulere, & dignum Auguſtali corona caput quærere. nam Alphonſi Caſtellæ Regis pridem Germaniam pertæſum erat; neque rationem eius haberi placuit, qui prima vota fruſtratus diſſidio cauſam præbuerit, cùm vltro accerſeretur difficilis & cunctabundus, poſt repulſam præpoſterè ambitioſus. Inter Germaniæ Proceres multi in ore hominum erant, magnis opibus & rerum geſtarum fama incliti, quo maior admiratio fuit, cùm primum Rudolphi Habſpurgiaci nomen productum tantiſque competitoribus inſertum eſt, clarum ſine dubio & pro copia præſentíſ-

que

Digitized by Google

que modulo gloriæ amplum ſatis, nondum tamen ad Imperij faſtigium aſſurgens, quò eniti quantacunque Virtus, niſi omnibus Fortunæ ſubleuata adminiculis non poteſt. Fridericus illum Zolleranus Comes, an Wernerus Moguntinus Antiſtes, an denique Menradus Tirolenſis ſuffragatoribus commendârint, in incerto eſt. Moguntinum conſtat Rudolpho jam olim eximiè fauiſſe, quòd & Sacerdotem, cuius ſupra meminimus, de egregia illius in Deum pietate ſæpe narrantem audierat, & priuatim ipſe quoque eidem obnoxius, à quo ſe in itinere Romano ad Alpes vſque, iterúmque ad Moguntinos fines, per infeſta latrociniis loca, deductum meminerat, exiguum ſed tēpeſtiuum officium remunerari Imperio optabat. Iámque Colonienſem & Treuirenſem in ſententiam traxerat, inſtabátque Ludouico Boio nihil abnuenti, ſi cautum ſibi pignore eſſet, nullam cædis vxoriæ à ſe rationem exactum iri. Id in ſe Zolleranus Comes Rudolphi conſobrinus recepit, non modò immunitatis ſponſor ſed conciliator etiam affini-

FAVTORES RVDOLPHI.

Alb. Argent.

tatis factus; quo vinculo Brandenburgicum etiam Saxonémque, quorum thori commodùm cælibes erant, in partem attraxit, ex ſenis Rudolphi filiabus ſingulis coniugium pactus. Ita magno, ſi Ottocarum Bohemum excipias, Electorum conſenſu, Rudolphus abſens Rex Germaniæ renunciatus eſt, propridie, vel vt aliis viſum, pridie Kalend. Octobr. Et hæc quidem Argentinatis narratio eſt; nam tabulas publicas Rudolphi Cæſaris nomine perſcriptas in eam ferè ſententiam intelligas, quaſi Electorum compromiſſo arbitrium nominandi Cæſaris ad Ludouicum Boivm delatum ſit, qui auſpicatiſſima voce Rudolpho, ínque eo Habſpurgicæ genti ad Imperium orbis terrarum viam aperuerit; quam neque Caroli Magni, neq; Cæſarum adeò vllius ſanguis diutiùs tenuit; cùm Rudolphi poſteritas quatuor ſeculis vndecim Imperatores ediderit, & Duodecimum, cùm hæc ederemus, Romani Regis auctum nomine jam Orbi terrarum ſub hoc Principe reſpiraturo oſtenderit. Nuncium oblatæ dignitatis primus in caſtra Rudol-

LVDOVICVS BOIVS RVDOLPHVM IMPERATOREM SALVTAT.

Gerard. Rhoo.

dolpho Baſileam obſidenti Henricus Pappenheimius attulit, cui ante Zollerani Comitis aduentum fides ægrè habita eſt. Tum denique ſoluta obſidione pax Epiſcopo reddita tanta rerum conuerſione attonito exclamantíque, Firmate arces veſtras Superi; Rudolphus terris potitus cælo imminet. Rectà deinde Aquiſgranum itum; vbi Rudolphus ritè inauguratus Regium nomen aſſumpſit; & nonnullis ſacramentum dicere, ob Auguſtalis Sceptri abſentiam, dubitantibus, Crucis ſignum manu complexus; nempe inſigne Filij Dei agnoſcitis, inquit, neque nos auſpicatius requirimus, quàm quod toti rerum vniuerſitati imperat. Ea vox cum plauſu accepta eſt, velut omen non moderati tantùm, ſed ſancti etiam Imperij, ſub quo cenſeri pars felicitatis haberetur. Fauit popularibus auguriis rerum omnium, quæ ad humanæ vitæ vſum expetuntur, liberaliſſimus eo anno prouentus, velut refloreſcente, cum nouo Imperio, naturâ. Quartarium Tritici XXII Argentinenſis Monetæ aſſibus; ſiliginis ſenis denis; oua quatuordecim, haleces

CRVX RVDOLPHI SCEPTRVM.

INITIA AVSPICATI IMPERII.

Paralip. ad Vrſperg.

octo ſingulis nummis; gallinam duobus veniſſe in tabulas relatum eſt. Ibidem Ludouicus Boi vs Mechthilde ducta Cęſaris gener effectus eſt, multo ea affinitate fortunatior, quàm Henricus frater Bohemico fœdere, quod eodem tempore cum Ottocaro ictum etſi Schärdingæ poſſeſſionem BOIARIÆ ſtabiliuit, ipſi tamen priuatim vtile non fuit; cùm diſertè eo fœdere cautum eſſet, vt eoſdem amicos inimicóſque vterque haberet; qua conditione nulla tutò cum inquietis ingeniis, quale quidem Ottocari fuit, amicitia contrahitur.

LVD. CVM MECHTIL-DE RVD. F. CONIV-GIVM. *Eberhardus.*

A. MCCLXXIV. *Abr. Bzou. ex Cod. Vaticano.*

Annus ſeptuageſimus quartus Lugdunenſi Concilio quàm re alia vlla clarior fuit; cui ex noſtris Leonem Ratiſbonenſem, Brunonem Brixinenſem, Ioannem Chimenſem interfuiſſe comperio. Præter ſanctiſſimas Leges eo Conuentu latas, Rudolphi etiam Regis approbata electio eſt: qui deinde Lauſannæ cum Pontifice congreſſus, de recuperanda Syria fortia ſed irrita conſilia agitauit. communi illo orbis terrarum conſenſu decreta priuato conuentu, quem omnibus BOIARIÆ Epiſcopis Fridericus Salis-

Saliſburgenſis indixit, recitata receptáque ſunt; quæ inter illud quoque fuit, de redituum ſacrorum decima ſex continuis annis in belli ſacri vſus conferenda. optima cauſa obtentui fuit; bellum nullum geſtum; Sacerdotes nihilominus argento emuncti. Sequenti anno Auguſtanis Comitiis Ottocarus Bohemus jam nuper faſtiditam crambem de Iure Suffragij à BOIIS Principibus præter fas occupati recoxit, ne nunc quidem apparentibus cauſis, quibus ad trahendum odioſæ contentionis funem Rex videatur adductus; niſi fortè in re obſcura adorare Diuinitatis conſilium volumus tantò antè filum incidentis ſeris litigatoribus, qui noſtro æuo Septemuiralem Purpuram BOIIS ademptam Principibus prauo ſtudio Comitibus Palatinis vt propriam erant iniecturi: quorum impudentiæ hoc tam illuſtri præiudicio, quo Ottocari cauillatio confoſſa eſt, mitti ſanguis pridem debuit. quis enim ills color vel fucus adeò relictus eſt, conſpirantibus in eandem ſententiam geminis fratribus, Palatino Rheni altero, altero BOIA-

A. MCCLXXV. *Continuator Vrſp. Norinbergenſia nominat.*

CAVSA OTTOCARI BOHEMI AGITATA.

RIÆ Duce, & in ampliſſimo Principum conſeſſu neceſſariis rebus omnibus teſtatum facientibus, in eámque rem & Senatuſconſultum & Auguſto nomine præſcriptas Tabulas impetrantibus, Ius eligendi Romani Regis ſibi RATIONE BAVARIÆ COMPETERE EX ANTIQVO; vt mihi quidem Ottocarus alienam egiſſe cauſam videatur, eadémque operâ, qua illius ambitioni obuiam itum eſt, Palatinis Cauſidicis os eſſe obſtructum. Illi ergo Actoris perſona detracta eſt; Reus etſi eſſe neſciebat, grauiſſimis accuſatoribus teſtibúſque peragebatur. Impotentem dominatum Fridericus Saliſburgenſis Antiſtes luculenta oratione exagitauit, quâ non ſuæ tantùm prouinciæ damna executus eſt, & quidem recentiſſima nonnulla & hoc ipſo anno inflicta; ſed illud inſuper demonſtrauit, nihil omnino Bohemo in Auſtriam Styriámque juris eſſe. ſi quod enim Margaritæ coniugio ei acceſſerit, id pridē omne extinctum; cùm palàm ei pellicem ſuperinduceret, indigniſſimis deinde modis habitam repudiaret, denique etiam veneno extingueret.

Ger. Rhoo. Literæ Rudolphi à Gevvoldo editæ in Metrop. & tract. de Elector. Chron. Saliſb.

Digitized by Google

gueret. vtique enim repudiatæ res ſuas
reddendas fuiſſe; neque ſi maximè æter-
num illud imperturbatúmque coniu-
gium fuiſſet, proprium Imperij benefi-
cium ſolo dotis nomine tranſiiſſe ad
Regem, qui ſe Imperij beneficiarium
profiteri detrectaret. Cùm in hunc
modum peroraſſet, Bernardus Secco-
uienſis Epiſcopus, quem cum Henrico
Præpoſito Werdenſi, & duobus Milita-
rium Ordinum Teutonici & Hoſpitalis
S. Ioannis præfectis ad Comitia Otto-
carus miſerat, cùm diluere eorum, quæ
obiecta erant, nihil poſſet, ex Patrono
calumniator factus, inaugurationem
Rudolphi vt vitioſam, inſigni impu-
dentia neque ad vnius hominis ſed om-
nium omnino Principum iniuriam per-
tinente traduxit; execrabilem & iudicio
Eccleſiæ damnatum à ſuffragatoribus
æquè impuris profaníſque ad capeſſen-
dum maximum nomen vocari non de-
buiſſe neque potuiſſe dictitans. Bono
illi fuit, patrio ſermone vſum non eſſe.
Latinè declamantem præter Epiſcopos
pauci intellexerunt. Rudolphus deni-
que interfatus, quo in foro quáue in

CAVSIDICI OS IMPVDENS.

cauſa verſaretur, eum meminiſſe juſſit; ſi à quopiam ſui Ordinis læſus eſſet, iactaret ſanè Pontificibus peregrinam eloquentiam; Regem Germaniæ patria lingua alloqueretur. Interim argumentum cœptæ Philippicæ inter Principes illiteratos vulgatum ingentes, vti neceſſe fuit, animorum motus concitauit. ægrè fides publica & Sacerdotij dignitas Epiſcopum ſunt tutata, quo minus violaretur; omnibus, qui aderant, ſed Ludouico feruentiſſimè, læſæ Maieſtatis vindictam expoſcentibus. Legatum quamprimum ad Bohemum mitti placuit Fridericum Zolleranum Comitem Burggrauij Norinbergenſis titulo recens auctum, cum Henrico Baſileenſi Epiſcopo, qui Auſtriam ab eo Styriámque repoſcerent, & neglecti officij deſertæque Reipub. rationem reddere cogerent. Nihil ab eo præter ferocia dicta relatum eſt. Rudolphum, quòd in minore adhuc fortuna ſub ſe ſtipendia feciſſet, *Seruum ſuum* appellabat, cui proinde in Herum imperium nullum ſit. ei, qui de Auſtria Styriáque litem ſibi

AVSTRIA ET STYRIA AD IMPERIVM REVOCATA.

bi

bi mouere velit, fortius aliquid verbis afferendum; manu ſe, non ore diſceptaturum. Ita ventum ad arma eſt; quorum primos impetus Henricus Boivs exper tus, pœnis contractæ temerè cum Ottocaro ſocietatis & pecuniæ in ſtipendia ſubmiſſæ depenſis, imparem confeſtim tantis ſe viribus confeſſus cum Cæſare in gratiam rediit, Catharinâ eius filia Othoni filio deſponsâ. Vacillaſſe tamen animo paulò pòſt deprehenſus eſt, déque Rudolpho inter impedita ſaltuum deſerendo parum honeſta conſilia agitaſſe, magnitudine pecuniæ ab Ottocaro ad ſolicitandum eum ſubmiſſæ corruptus. Rudolphus perfidiæ notis erumpentibus nouo beneficio inescatum ad officium reduxit, nullius deinde opera libentiùs prolixiúſque vſus. Ita in Auſtriam peruentum, Colonienſi & Moguntino Archiepiſcopis, Herbipolenſi, Ratiſbonenſi, & Batauenſi Epiſcopis nunquam à Regis latere diſcedentibus. Prima vrbium Anaſſo fluminis cognominis deditionem fecit, Sumerauio Comite auctore. Exemplum Ibiſſa & Tulna ſecutæ vltro portas aperuere.

Chron Auſtral. a Freh. edit.

Infelix Henrici Boii cum Ottocaro Societas.

Eiusdem inconstantia.

Eberhard.

Res à Rudolpho in Austria gestæ.

Annal. Colmar. p. 2.

NEOBVRGVM AVSTRIÆ à BOIAR. PRINCIPE ASTV RECVPERATVM.

rnere. Vienna & Neoburgum vim experiri ſtatuerant, virium fiduciâ munimentorúmque artis & naturæ. BOIORVM præſidium Neoburgi erat; quos cùm nihilo conſtantiores in tuenda fide Principe ſuo futuros Ottocarus crederet, Brunonem Olmucenſem Epiſcopum, iis emiſſis, Bohemos loco imponere juſſit; de cuius itinere BOIARIÆ Senior Dux (haud ſcias Ludouicum ex fratribus natu maiorem, an Henricum cum Othone F. comparatum vetus Author intelligi velit) certior factus cohortem ſibi trecentorum Iuuenum expeditorum, quales ad Rhenum naſci tunc opinio fuit, à Rudolpho depoſcit & Epiſcopo inſidias locat: quas ille, peritiſſimis vſus ducibus, nullo ſuo ſuorúmque periculo, euitauit, confectíſque ex ſententia regiis juſſis, nuſquam à noſtris viſus ſuis ſe reddidit. Præcipitabat in veſperum dies, neque magis tædium faméſque militem, quàm accipiendi dedecoris metus Principem affligebat; maximè cùm per exploratorem certò cognitum eſſet, Epiſcopum per auia diuerticula incolumem elapſum.

Par

Par infamia diſceſſuris hæſuríſque in loco imminebat, niſi vnius militis conſilium audaciæ plenum errorem in gloriam vertiſſet. Duo egregiè callidi animóque præſenti mœnibus juſſi ſuccedere, non vt hoſtes, ſed nimirum velut ex comitatu Epiſcopi reduces; qui vt mimum doctè componerent, cùm non videri modò ſed exaudiri ab excubitoribus poſſent, militare carmen ſanè quàm otioſè & fidenter cantillare cœperunt. id ſcilicet niſi amici nunquam facturi credebantur; eóque aduentantibus vltro apertæ portæ. Inter mutuas gratulationes tantiſper tempus extractum, dum quatuor alij eadem ſecuritate irreperent. hos haud longo interuallo deni conſecuti, ſed jam ſuſpectiores & quæſtiunculis tentati; quas cùm conſtanti ſimulatione diffllaſſent, recepti ſcilicet ſunt. ij portas, alia ex aliis cauſati, vigiléſque vario ſermone tamdiu ſuſpendunt, donec quadraginta ſocij in conſpectu fuere. tum cædibus tumultúque omnia miſceri; proximus quiſque & incautiſſimus ferro occupari; nullum neque fortiſſimis præterquam

Felix Stratagema.

in

Digitized by Google

in fuga auxilium; quâ qui elapſi ſunt, captæ vrbis nuncium ſuas quiſque domos retulere. Iam quadraginta ſeſe prioribus adiunxerant, ſatis magna manus aduerſus vltimâ perfuſos formidine, neque de vrbe modò ſed etiam vitâ deſperantes; cùm interim Princeps reliquam comitatus cohorte ſuperuenit; qui, dimiſſo confeſtim per vrbem præcone, metum ciuibus demi juſſit; vim, niſi priores intuliſſent, nullam paſſuros; quieſcentibus gratiam Victoris, tumultuantibus malum paratum. Bohemos duntaxat dedi ſibi poſtulauit. id promptiùs propè factum, quàm imperatum eſt. vndique protracti ex ædibus & in caueam dati ſunt. Magna ex eo facto BOII Principis gloria fuit. quacunque cum trecentis ſuis ibat, fortibus ſtrenuiſque applauſum eſt; eadémque felici dolo, quæ apertæ virtuti præmia data. Quanta res penè per jocum confecta eſſet, nemo veriùs quàm hoſtis æſtimauit, tunc demum ad pacis audiendum nomen edomitus rectáque ſuadentibus mitior. Orhoni Marchioni Brandenburgico & Hugoni Olmucenſi Epiſcopo

PRINCEPS TVMVLTVM COMPONIT.

po

po arbitrium finiendi belli permiſſum. à Rudolpho Herbipolenſis Epiſcopus Bertholdus, & Ludouicus BOIVS lecti; inter quos ita conuenit, vt Ottocarus Auſtria, Stiria, Carinthiáque decederet; ſuper iis, quæ iure beneficiario ab Imperio accepiſſet, ſacramentum apud Rudolphum renouaret; obſides denique & captiuos redderet; dura omnia, ſed æqua tamen arbitris, ipſi neceſſaria viſa. Sacramentum dicturus ſecretum poſtulauit, ſugillationem maieſtatis ſuæ exiſtimans, ſi ad genua cuiuſcunque hominis ſubmiſſus clientum officia, rem minimè regiam, in publica corona impleſſet. Conceſſum, vt in Danubij Inſulam Cambergam tranſuectus ſub tentorio mori ſatisfaceret. Sed quo temperamento pudori ſuo conſultum voluit, id in ludibrium poſtea recidit. abruptis enim repentè, ſiue caſu, ſiue conſilio funibus, quibus tentorij latera intẽdebantur, vel inuitus ſpectaculum præbuit non ſponte aſſumptæ modeſtiæ. Rudolphus cinerei coloris indutus ſagulo tribunali aſſedit; monitúſque vt regium cultum ſumeret, Imò

PAX CVM BOHEMO FACTA.

OTTOCARI FASTVS LVDIBRIO EXPOSITVS.

Ann. Colm. p. 1.

ſina-

Digitized by Google

„ ſinamus, inquit, vt Purpura Cineri ſup-
„ plicet, & ſæpe irriſam adoret inſolentia
„ paupertatem. Duodecimo Kal. De-
Hiſt. Auſtral. cemb. anno ſeptuageſimo ſexto de Ot-
A. MCCLXXVII. tocari faſtu triumphatum eſt. Proximo
Ratiſbona Leonem Epiſcopum amiſit
inſigni ad poſteritatem famâ, ob iacta
ſupremæ Ædis fundamenta, cùm vete-
rem flamma ante quinque annos hau-
LEONIS EP. RATISB. RES GESTÆ. ſiſſet. Inimicitiæ cum Conrado Friſin-
genſi exercitæ, quarum cauſæ hodie
non apparent, ſuo æuo, vitio illi datæ
ſunt: vtriuſque Epiſcopi Clientes in
partes attracti: flamma ferróque ſæui-
tum: nobiles aliquot cædes factæ; ínque
iis Vlrici Holzhauſerij, ob claritatem
generis acerbè vindicanda, niſi Ludo-
uici Boii interuentu, quem vterque E-
piſcopus arbitrum legerat, diſſidentes
in concordiam rediiſſent; Ratiſbonen-
ſi ad præſtanda, quæ Friſingenſis acce-
perat, damna, per ſententiam compul-
ſo. tabulæ ante annos ſex Waſſerburgi
EIVS CVM LVD. PRINCIPE INIMICITIÆ. confectæ hodieque extant. Cum Lu-
douico ipſo nobiles eum inimicitias
geſſiſſe ex eius literis oſtenditur, anno
proximo, poſt tranſactionem Friſingen-
ſem,

Digitized by Google

ſem, editis, quibus fatetur nullo vtrinque iniuriarum genere temperatum, donec mutuis malis feſſi litem arbitris permiſere. Leo Vlricum Dornbergium Spaltenſem Præpoſitum, Conradum Ehrenfelſium, & Balduinum Barbingium legit. Ludouicus Winhardum Rorbachium, Henricum Preiſingium & Wichnandum Vicedominum nominauit. His Gebhardus Velvvenius ſuperadditus. Conuenit inter omnes, inductâ præteritorum obliuione, Epiſcopo Principíque prouidendum, ne clientibus eorum fraudi damnóque ſit neceſſarium obſequium, quod Patronis impendiſſent; jacturas proinde fortunarum, ſi quas feciſſent, ſarciendas cum fide. Conradus Hohenfelſius, quem illum ipſum eſſe ſuſpicor, qui in Conradum Regem Ratiſbonæ ad D. Emmerammi Sicarios armauit, iniuriarum condemnatus eſt, quibus Reichenbachenſe & Walderbachenſe Monaſteria ab eo vexata conſtabat. Æſtimandæ litis jus Epiſcopo datum; qui ſi in mora eſſet, captandi arbitros reo actoribúſque poteſtas facta. Idem in cauſis inter CONDITIONES PACIS.

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopum & Principem controuerſis factitatum; conſtitutis per interualla locorum aliis atque aliis arbitris, ad quos iretur. Cautum ne clientibus officij ſui patroníque deſertoribus ſua ad aduerſarios tranſitio fraudi eſſet; retinendi tamen etiam volentes lubentéſque facultas ablata. Capiendi pignoris aut hominis liberi pro obſide abducendi, niſi ex arbitrorum ſententia, neutri copia facta. Captiui vtrinque redditi. Oppida nonnulla, de quorum justa poſſeſſione dubitatum certatúmque eſt, Epiſcopo reſtituta, mox tamen jure beneficiario ad Principem reditura. Rorbachio ea conditione Ludouicus ceſſit, ne eius muniendi Epiſcopus ſucceſſoréſque eius cogitationem vllam ſuſciperent. Actione inſuper pro duobus Italici vini plauſtris vindicandis inſtitutâ deſtitit. at viciſſim beneficiarium prædium, vnde æris Ratiſbonenſis libræ ne minus quindecim redirent, Duci promiſſum. hæc ferè conditionum ſumma eſt, quibus pax iterum coaluit, quinquennio, quod Leoni ad vitam ſuperfuit, nunquam amplius abrupta,

mul-

multóque ſtudioſiùs à ſucceſſore eius Henrico Comite Rotenecкhio propagata, vt cuius ea propria laus fuit, ſopire odia, condere gladios & pro concordia publica ſemper in excubiis ſtare; quam rem ſuo loco documentis firmabimus. Principium operum eius Ædis ſummæ à Leone cœptæ ad faſtigium perducendæ cura fuit, maximi animi & perquam liberalis index; ſanè nihil neque ad operis firmitatem, neque ad elegantiam prætermiſit; vaſtas æris campani moles de turribus ſuſpendit; aras pretioſa veſte inſtrauit; Vtque ſumptibus par eſſet, toparchiam gentilitiam Ludouico Principi vendidit; viciſſim alienata vel oppignorata Eccleſiæ ſuæ iura bonáque poſtliminio recuperauit. Per idem tempus bellum inter Rudolphum & Ottocarum recruduit. Bohemum domeſtica Erynnis Kunegundis vxor conuitiis excitauerat, deteſtata imbellem virum, qui validiſſimiis copiis inſtructus, nullo fortunæ viriúmque facto periculo, erubeſcendam omni æuo deditionem feciſſet. Pactæ inter regios liberos nuptiæ reſciſſæ; mutuis direptioni-

HENR. RATISB. EP. VIRTVTES.

RESVMPTA CONTRA OTTOCARVM ARMA.

Chron. Colmar. Chron. Auſtral. Eberhard. Ger. Reo.

MCCLXXVIII. bus fatali bello, quod anno ſeptuageſimo octauo Ottocaro perniciem attulit, præluſum. Cùm plus opibus quàm viribus confideret, quaqua verſum profuſo auro conciliare amicos ſibi, vel certè à Rudolpho abducere inſtitit; quos inter Henricum etiam BOIVM aggreſſus facilè impulit, vt belli ſpectator quàm pars eſſe mallet. Lenta etiam aliunde auxilia miſſa, centenariæ ferè cohortes, ridenda ante pugnam hoſtibus manus. Epiſcoporum BOIARIÆ Saliſburgenſis & Batauenſis celebratior eſt fides. à priore trecentos equites ſubmiſſos comperio: totidem Fridericus & Albertus Ortenburgici Comites adduxere. Ad Marchiam fluuium pugnatum eſt VII. Kal. Sept. qui Veneris dies fuit Chriſti Patientis memoriæ ſacer, eóque auſpicatus Rudolpho habitus, qui Cruci Ædem vouit, ſi compotem victoriæ diuini virtus ſigni feciſſet. Teſſeram ſuis ſacroſanctum Chriſti nomen dedit; cùm aduerſa acies Pragam, Ottocari juſſu, ingeminaret. Ventum erat ad teli jactum, cùm Rudolphus quidam Baſileenſis, voce, quæ vtriſque exaudiri caſtris

HENRICVS OTIVM À BELLO AVRO VENDIT.

FELIX RVD. CVM OTTOCARO PVGNA.

ſtris poſſet, vulgatum ea tempeſtate in Deiparæ Virginis laudes carmen cantauit. id pro claſſico fuit. Henricus Schörlinus, quem recens autor, contra veterum annalium fidem, Saliſburgenſibus ſignis adſcribit, cùm ſub Baſileenſi Antiſtite ſtipendia fecerit, equum indomitum admittit in hoſtes. id initium pugnæ fuit. Acriter vtrinque dimicatum eſt, virtute non omnino impari; Bohemis numero, Cæſarianis bonitate cauſæ ſubnixis. Rudolphus ante ſigna volitans ducis juxta militiſque officia implebat, haudquaquam otioſus ſpectator alienæ virtutis, ſed ſpectandus ipſe fortibus factis, & indefeſsâ dextrâ obuios cædere, propulſare inſtantes, vbi plurimum periculi apparebat, ingerere ſeſe, viámque ſibi cædibus facere. Ex his illum virtutibus magis, quàm ex inſigni vllo regio Ottocari ſatelles, Valenti nomen fuit, agnouit, cæſique Cæſaris decus ſibi expetens & præmium, confoſſo ſub pedibus eius equo, in terram effuſi jugulo imminebat. Impotentiùs inferentem ſe Cæſariani occupârunt. Rudolphum elato ſupra caput pe-

Roo.

Argentinas.

Herbotum Fullenſtain Roo ex MS. appellat.

RVDOLPHI IN PRÆ-

Digitized by Google

LIO VIRTVS, ET PERICVLVM.

HEROICA CLEMENTIA.

ASTVS MILITARIS.

Annal. Colmar. eum clamorem à Bohemis ſublatũ tradunt.

ctúſque ſcuto ſemitectum & vngulis propè obtritum Bertholdus Capellus in equum leuauit immemorem ſui & poſt periculum animoſiorem. Valentem in veſtigio occiſum Argentinas; Eberhardus captum ſcripſere; cui poſt victoriam parci Rudolphus juſſerit, contra Rempub. facturum ſe dictitans, ſi tantam virtutem opima ſpolia ſperare auſam extingueret. Quinquaginta equites Rudolphum ſtipabant, jurata in omnes caſus Duci ſuo manus; cum his aciei hoſtilis frontem prætervectus pugnare in latera cœpit, fulmẽ incidiſſe diceres, ita repente viâ continuis ſtragibus apertâ inter vltimos conſtitit. Hîc demum Henricus Marchio Hochbergius, vti ante pugnam conuenerat, voce quàm maximè ſonora fugere hoſtes exclamauit; repetita eadem vox à cæteris quoque, in vnam intentis pugnam, quídque alibi ageretur ignaris impoſuit, vt deſeri ſe à ſociis crederent. locum proinde ipſi quoque receptui, mox etiam fugæ circumſpicere & dubiam euſque victoriam Rudolpho in manus dare. Ottocarus, quem vnicè ſeruatum Rudolphus

phus volebat, multis confectus vulneribus cecidit. cædis auctores alij alios, Argentinas Bohemum nominat. quatuordecim cum eo millia occubuiſſe proditum eſt.

Ottocarvs occisvs.

Dimiſſis jam, vt in pace certa, copiis, Othonem Brandenburgicum Ottocari ex ſorore nepotem aduentare cum exercitu nunciatum eſt. Reuocati confeſtim ex itinere victores, velut ad reliquias belli conficiendas, adfuere. vanus metus fuit. conſtituendæ prouinciæ cauſâ Otho veniſſe ſe profeſſus, qui in commune conſulerent, ſocios à Cæſare poſtulauit. dati Burggrauius Norinbergenſis, & Menhardus Tirolenſis: iiſque arbiter honorarius Saliſburgenſis Antiſtes additus; quem tamen ab eo bello abſuiſſe proprij eius vrbis annales affirmant.

Roo.

Conuenit, vt pacta nuper inter regios liberos coniugia rata eſſent; Tutelam regni, quoad Wenceslaus adoleſceret, Otho ſuſciperet. Bohemicis rebus compoſitis de vlciſcenda Henrici Boii iterata perfidia deliberatum. exitium, quod illi patriæque imminebat, Otho filius Rudolphi gener auertit. parte nihilomi-

Chron. Saliſb.
Roo.

Boiorvm Principibvs Cæs. ignoscit.

nus prouinciæ, quæ Danubium inter & Anaſſum ſita Henrico data pignori fuerat, multatus eſt. Dubitatum etiam de Ludouici fide comperio, ob ſera auxilia poſt pugnam denique adducta, quaſi ad gratulandum, non præliandum, euocatus fuiſſet. ſed qui aperto hoſti tam comiter ignouit, multò ſe æquiorem dubio amico præbuit, gnarus artium, quibus noua imperia cum inuidia plerunque, velut flamma cum fumo, colluctantia robur firmitatémque nanciſcuntur. ob quam cauſam etiam Nicolai Pontificis auctoritate confirmandos vacillantium Principum animos putauit, Legato Philippo Firmano Epiſcopo impetrato, qui Germaniam obiens oratione literiſque Pontificiis relangueſcentia erga Cæſarem officia apud Septemuiros potiſſimùm excitaret. Eodem anno Conradus Friſingenſis Epiſcopus naturæ conceſſit; ſequenti Petrus Batauenſis, cuius opera Danubius ponte ea in vrbe ſtratus eſt. Conrado Fridericus, Petro Wichardus Polhaymius ſucceſſere; & hic quidem eodem, quo Conradus Hindpergius Chimen-

MORS EPISCOPORVM.

Digitized by Google

menſis Epiſcopus die infulam induit, qui Ioannes ex Chimenſi ad Gurcenſem Eccleſiam Dieterici morte viduatam translato ſubrogatus eſt. Eadem tempeſtate Albertum Halſium Comitis dignitate, ob egregia bello edita facinora, Rudolphus Cæſar auxit: viciſſim familia Mosburgenſium Comitum ſequenti anno extincta eſt, Conrado eius gentis vltimo ſine hærede defuncto. Mosburgum medio ferè Friſingam inter & Landshutam itinere ſitum eſt, nulla re, quàm vetuſtatis opinione, in vulgus clarius; fértque in eo certamine poſt Ratiſbonam primas, haud ſcio quàm verè; nam qui ex Arnulphi Imperatoris literis, quæ *Moſaburgi vrbe regia* datæ feruntur, id euincere laborant, egregiè falluntur, ignari eam inſcriptionem ad cognominem vrbem in Pannoniæ finibus ſitam, pertinere, quam Brazlauoni jure fiduciario ab eodem Arnulpho commiſſam ſuo loco diximus *Paludarum vrbem* vel *Moſaburgum* priſcis Annalibus promiſcuè vocitatam. quid? quòd ex tabulis publicis con-

HALSII COMITES CREATI.

MCCLXXXI. *Eberhard.*

MOSBVRGII COMITES EXTINCTI.

Annal. Fuldenſes ſiue Francorum.

conſtat, Moſburgum longe poſt hæc tempora mœnibus cinctum iure Ciuitatis donatum. nam Emicho Friſingenſis Epiſcopus, qui toparchiam Moſburgenſem iure beneficiario Henrico Duci contulit, diſertè cauerat, ne aliquando vrbis formam indueret, haberétque Friſingæ inſultandi poteſtatem.

INTERITVS ILLVSTRIVM FAMILIARVM.

Lubet Moſburgiis Dynaſtis plures alios neque ſanguine impares, & rebus olim ſuis, nunc occaſu nobiles ſubjicere, in quorum bona, hærede nullo ſuperſtite, BOIARIÆ Principes ſucceſſere. Extat ea de re apud Eberhardum Altahenſem Indiculus, ex quo Auentini, quíque illum è veſtigio ſecutus eſt, Hundij errores pluſculos corrigas diuerſum à coæuo autore ſcribentium.

RIETENBVRGII.

Primi Rietenburgenſes Reguli memorantur longè potentiſſimi BOIORVM, vt qui Ratiſbonæ Comites Caſtellani ſeu Burggrauij, Stephaningenſes Landgrauij, Toparchæ Lengenfeldenſes, Vohburgenſes, Calmüntij, Stauffenſes, Rorenſes, coacervatis titulis dicerentur; Walderbachium & Rora Cœnobia, Domicilium Militare Altmülo-Mynſterianum Templariis

plariis primùm, tum deinde Rhodiis Equitibus contributum, ad hos initia ſua referunt. Tres fratres, Fridericus, Hermannus, Vdalricus infœcunda omnes coniugia ſortiti nobiliſſimũ nomen tumulo intulerunt. Werdenſis familia in Othone Hælingenſtadij extincta eſt. Huius in annalibus obſcurum eſt ſtemma; Vohburgenſium contra celeberrimum & à nobis ſæpe productum; Reichenbachium, Banthium, & quod vulgò Monachorum Monaſterium dicitur, eorum monumenta ſunt. Theobaldus gentis gloriæ ſine prole mortuus colophonem impoſuit. Conradum Dachauienſem, Fridericum & Ottonem Wittelſpachios, Henricum Andecenſem, Ottonem Wolffratshuſium, Othonem Phalaienſem, Conradum Waſſerburgenſem, Pogios fratres ſuis quemque locis extulimus. Iam Landſperga quoque vrbs Lyco incubans ſuos Regulos habuit, ex quibus vltimum duntaxat Henricum nominandi copia eſt, cæteris longa obliuione ſepultis. Ita ex Vilsbiburgenſibus non niſi Henricum; ex Chagenſibus Ratoldum; ex Ahuſiis

WERDENSES. VOHBVRGII. LANDSPERGII. VILSBIBVRGENSES. &c.

LII 5 ſiue

ſiue Landavvenſibus Hademarum & Rapotonem; ex a Henchouenſibus Henricum & Ludouicum Fratres; ex Grüenbacenſibus Othonem; Hoholdum ex b Woltmoſenſibus nouimus, clara olim, nunc inania nomina, vanáſque vmbras, in quas omnis Maiorum, quibus orti ſunt, gloria deſiit. Haud multo notior Murnauenſium Comitum, quæ in Adelhaide defecit, proſapia eſt, vti & Elbrechtskirchiorum, quæ cum Babone; Libenauiorum, quæ cum Sifrido & Bernardo interiit. Medlingenſium Comitum, qui cum Frontenhuſiis iidem fuere, plura veſtigia in libris reperias; eius gentis vltimum Eberhardus Cunonem facit, haud ſcias an ab Epiſcopo Ratiſbonenſi Conrado diuerſum, in quo alii ſtemma illud finiunt. Dornbergios Comites alibi nominauimus inſigni fama factíſque, ſed hi quoque in Ernhardo defloruere. Confunduntur vulgo cum Leonbergenſibus, quorum tamen reliquias anno trecenteſimo ſuperſtites reperias. quemadmodum & Vttendorffij Halſiis miſcentur; cùm illorum interitum Eberhardus

a *Fortaſſe Mechoueſes ſunt, quorum in Rhythmis Mallerſtorfenſibus mentio.*

b *VVoltmrotſam appellat Eberh.*

FRONTENHVSII.

Cuno & Conradus antiquis idem nomen.

DORNBERGII.

hardus ad hæc tempora referat; Halſios integro prope ſeculo conſtet prouixiſſe. Hadmarſpergij in Sibothone eſſe deſierunt longè potentiſſimi BOIORVM, quod Vinarienſis Monaſterij horum Comitum opibus extructi chartæ teſtantur, quæ ſparſas pluribus prouinciis gentis opes poſſeſſionéſque accuratè explicant. Sibothoni mors peracerba obtigit. lauantem Otto Prantbergius eius cliens ſicâ confecit. Kirchbergenſium Comitum Pietatem Mallerſtorfſenſe cœnobium loquitur; cætera cum Calhoho ſepulta ſunt. Tot Heroum familias intra annos pauculos in Libitinæ cenſum redactas recitari vel eâ gratiâ neceſſe fuit, quòd Boios Principes hæredes ſunt nactæ. Iuuabit nihilominus inter tam illuſtres vrnas mortalitatis meminiſſe & breuis æui, quo non ſinguli duntaxat homines, ſed familiæ integræ quantiſcunque adminiculis fultæ circumſcribuntur. Affectibus humanis omnibus tenerior eſt æternitatis cupiditas, quam cùm ſibi promittere nemo poſſit, quærit tamen in poſteris, quorum animâ etiam mortui ſeſe credunt viue-

HADMARSPERGII.

KIRCHPERGII.

viuere. Iniquiſſimè expirant, qui, fruſtra affectato paterno nomine, nihil ſui relinquunt; ij præſertim, qui Maiorum ſuorum agmen claudunt vltimi, & non ſibi tantùm, ſed nomini generíque parant exequias, quod denique radicitus perire eſt; quò acerbiora fuiſſe ea BOIARIÆ tempora exiſtimo tam infeſta Nobilitati & continuatis propè illuſtrium familiarum funeribus infamia, quod certiſſimum irati Numinis argumentum mortales habent. Aucta tamen hinc, vti diximus, Principum potentia in vacuas poſſeſſiones ſuccedentium. ad quem modum etiam Habſpurgicæ genti creſcendi præbita occaſio; Rudolpho Cæſare Auſtriam, Stiriam, Carniolam, Portum Naonis & Marchiam Vindorum Alberto; Sueuiam, Alſatiam, Ergouiam Rudolpho Filiis natu Maioribus, in Comitiis Auguſtanis, conferente: Hartmannus in nihilo minores ſpes genitus in Rheni traiectu aquis hauſtus eſt. Sed hæc anno ſupra octogeſimum ſecundo facta ſunt. Priore Fridericus Saliſburgenſis Antiſtes ſacros conuentus egit; quo tempore acriter ſame labora-

PRINCIPES BOIARIÆ DEFVNCTARVM NOB. FAMIL HÆREDES.

bora-

boratum eſt, ſatis cæli intemperie corruptis. XVI. Kal. Auguſti Friſinga Longauium vſque nix cecidit, attonitis intempeſtiuo malo mortalibus, cuius ne optimates quidem expertes fuerunt, ſordidum ex auena panem recipere in menſas coacti, ex quo de plebis annona fieri poteſt æſtimatio.

Famem anno octogeſimo tertio bellum excepit, vel potius belli minæ. Albertus Auſtrius illud terrarum ſpatium, quod Anaſſum inter & Danubium ſitum Othoni Henrici filio dotis nomine Rudolphus Cæſar attribuerat, auulſum à reliqua Auſtria iniquè ferebat; cúmque poſt mortem Catharinæ ſororis non redderetur, repetendum ſibi armis putabat. id conſilium cum Friderico Saliſburgenſi communicat jam ſponte in Henricum incenſo; cuius tutelâ fretus Paltuinus Viennenſis exul graſſari in Eccleſiæ bona & ſacra turbare credebatur. Inita pariter cum Ludouico Henrici fratre amicitia, ne ſe rebus, quas parabat, admiſceret. Tum denique cum exercitu Welſam vſque profectus Saliſburgenſi ſe coniunxit. Imminebat noua

II. MCCLXXXIII. *Chron. Auſt. Chron. Saliſb.*

PAX INTER AVSTRIVM ET BOIOS LACESSITA.

ua calamitas patriæ nondum à fame recreatæ, atque vt præſentibus maximè mouemur, longè triſtiora, quàm quibus perfuncta malis fuerat, metuenti. Reſpexit proximam exitio Deus, Menhardo Tirolenſi, qui nuper Carinthiæ Dux creatus fuerat, Alberti ſocero & Henrici affine excitato, vt pacificatoris ſibi partes ſumeret. is adſcitis Ratisbonenſi & Batauenſi Epiſcopis, inter vtroſque commeando, odia, quódque ex illis exarſerat bellum, extinxit, mille librarum argnti mulctâ ei dictâ, per vtrum ſtetiſſet, quo minus ea pax ſubſiſteret. Wichardo Batauenſi adhuc in humanis agente auctoréque pacem eam factam domeſtici ſcriptores affirmant, quem tamen priore anno deceſſiſſe tumulo impoſitum marmor loquitur. Godefridum, qui Wichardo ſucceſſit, hanc Reipub. operam nauaſſe veroſimilius eſt. Hic domo Weſtphalus, Rudolpho Cæſari ab Epiſtolis fidei ſedulitatíſque pretium Mitram tulit. Res illi ſub ipſum aditæ dignitatis initium cum Altahenſibus Monachis fuit, apud quos exemplum fœdum plenúmque barbaræ immani-

In Hiſt. Auſtrali anni LXXXII geſta confuſa vitiatáque ſunt.

PAX BELLI INSTANTIS PERICVLVM DISCVTIT.

manitatis editum fuerat. Diſſidebant à *MS.&Catal.*
Volcmaro Abbate, veris an confictis *Abbat. Alta-*
cauſis, incertum. litem certè illi apud *ha Infer.*
Rom. Pontif. intentarunt, quam jure Volcmari
qualicunque cœptam neque religiosè Abb. cædes.
neque ciuiliter adeò proſecuti ſunt. Effractum interim ærarium, empti in caput Abbatis percuſſores ducum factionis eius propinqui, à quibus denique Volcmarus, dum nauigio per Danubium vehitur, ſagitta confixus eſt. Indi Vindicatur.
gnum facinus, neque vllo ſatis ſupplicio expiandum. Monachi turbatores à Godefrido vertere ſolum juſſi. Latrones Straubingæ morte affecti; duo radiis rotæ impliciti, duo in furcam acti, totidem ſecuri percuſſi. Annus octogeſi- mcclxxx
mus quartus Friderico Saliſburgenſi vi- iv. & v.
tam abſtulit; Pontificatus Rudolpho ceſſit Rudolphi Cæſaris Cancellario; qui acceptis ſequenti anno ab Henrico ſupremæ poteſtatis inſignibus, fœdus, quod Fridericus cum Henrico Boio ſanxerat, renouauit, extimulatúmque Maiorum exemplis, quibus bona ſua D. Rupertus omnia debeat, ſuæ eum Ec- *Chron. Sa-*
cleſiæ Patronum ſalutauit. Henricus *lisb.*
cam

Digitized by Google

HENRICVS MÜLDORFIVM OCCVPAT.

eam ſibi perſonam magna lubentia imponi paſſus, parum bona fide ſuſtinuit. Paulo pôſt Müldorfium arſit, eáque clade munimentis ſuis ſpoliatum eſt. Henricus, qui tutor eſſe debuit, vrbi adhuc fumanti obſidionem admouet, vt haud immeritò prioris etiam iniuriæ inuidiâ obrueretur. Rudolphus inopinato ictus nuncio, confeſtim Græcio, quò negotiorum causâ abierat, regreſſus tumultuarium in BOIARIAM agmen inducit, damna damnis compenſat, iuſtiore quidem irâ, ſed tamen innocentibus luendâ. Müldorfium quantumuis vicinis auxiliis vim non tulit, & in Henrici ditionem conceſſit. Ludouicus eius frater, quia præterita corrigi non poterant, ne latiùs ſerperet malum, pactis ad Kal. Februarias induciis, tempeſtatem atrociora minantem diſcuſſit. Interim Monachij luculentum ſpecimen Iudaici in nomen Chriſtianum odij editum. Scelerata Anus ære corrupta infantem furtiuum ſanguinariæ genti ad lanienam vendidit; qui per ſummam crudelitatem, quam nulla oratio æquet, toto compunctus corpore, cùm omnibus diffu-

LVDOVICVS PATRIÆ PERICLITANTI PACEM REDDIT.

MONACHII INFANS CHRISTIANVS à IVDÆIS EXCARNIFICATVS.

Chron. Salisb.

Digitized by Google

diffuſum venis ſanguinem carnificibus ſuis cum ipſa denique vita propinaſſet, ſitim efferatam non extinxit, ſed accendit. quæſita proinde ſecunda victima eſt; quam dum execrabilis lupa facili venatu comprehenſam ad idem ſpoliarium abriperet, patrisfamilias, cuius ea præda erat, interuentu oppreſſa eſt. Is excuſſam ſuóque ſpolio conuictam ad judicem pertrahit nihil ne de priore quidem plagio inficiantem. Et in illam quidem legibus actum. In Hebræam gentem tota vrbs deſæuiit ſui ipſa ſanguinis futura vindex. Conclamatum vndique concurſúmque ex omnibus vicis ad exſcindendum Chriſtianæ infantiæ macellum, quod commodùm Iudæi velut aſylum occupârant vano quiritatu Numinis Prætoríſque opem implorantes. Sed ſubmoueri turba nulla autoritate, nullis minis potuit, fauere ſceleri interpretata, quiſquis vim prohibere tentaſſet, vel non vnà ſecum fureret. comportata circumpoſitáque ſontibus lignorum ſtrues, & quidquid alendo igni opportunum; ab aliis faces & ardentes tedæ jactatæ, nullo perituris

CÆDIS VINDICATA.

Digitized by Google

effugio relicto; neque priùs conquieuit ira, quàm centum octoginta Hebræi, inter maledicta diráſque populi execrationes, in communem cum ſceleratâ proſeuchâ cinerem ſubſederunt. Per idem tempus Batauenſes Godefridum Epiſcopum extulere, Bernhardo Prambachio in eius locum ſuffecto.

MCCLXXXVI. ACTA COMITIORVM AVGVSTANORVM.

Initio anni octogeſimi ſexti Rudolphus Cæſar Auguſtæ Conuentum Principum egit. Adfuere Colonienſis, Saliſburgenſis, Ratiſbonenſis, Batauenſis, BOII Fratres, & Proceres alij magno numero. Actum de concordia inter Henricum Ducem & Saliſburgenſem Antiſtitem ſtabilienda. quæ vtrinque controuerſa inciderant ſeriis arbitris permiſſa; ex quorum ſententia compoſitæ lites & tabulæ fœderis conceptæ ſunt.

AD GRASSATORES COMPESCENDOS NOVA REMEDIA. *Ex Archiuo Electorali Boico.*

Relatum etiam de graſſatorum communes BOIARIÆ Sueuiæque limites infeſtantium licentia, quam ſpes impunitatis transfugis paratæ, magno Reipub. malo, alebat. ei opportunum remedium quæſitum. Prætores cum ſumma autoritate ex vtraque prouincia lecti, veluti præſides tutoréſque pacis, qui inſtitutis

ſeue-

ſeueriſſimè quæſtionibus, ſuppliciorum oſtentatione metúque ſcelera compeſcerent. Quatuoruiri è BOIORVM gente dati Winhardus Rorbachius, Chunradus Wildenrodius, Wichnandus Iringoburgius & Vlricus Rormoſius. E Sueuis totidem, cum iure arbitri honorarij nominandi, ſi ſententiis in iure dicundo variaſſent; & numeri explendi, ſi cuius is morte eſſet imminutus. Vernaculo tum primum ſermone publicas Principum tabulas confici cœptas comperio. priuati enim id multo antè factitarunt; ſed quæ Principum nomen præferant antiquiores in tabulariis noſtrorum Principum nullæ extant iis, quæ priore anno Sigenburgi in pomario tertio Idus Iunij ſcriptæ ſunt. Eæ leges continent domeſticæ quieti ſalutares, quam vtriuſque Principis aſſeclæ glorioſi milites iidémque perfacile irritabiles jurgando rixandóque fœdè interpellabant, non ſine cæde & ſanguine, magno Principum probro, in quorum oculis peccabatur. Inconſulto furori frenum iniectum præſentis vindictæ metu, quæ turbatores è veſtigio ſe-

INITIVM VERNACVLI SERMONIS IN TABVLIS PVBLICIS PRINCIPVM.

LEGES CONTRA RIXOSOS LATÆ.

quereretur. Legum hæc ſententia fuit. Ferrum in alterius caput quiſquis ſtrinxerit arcúmue intenderit, ferociam præciſa manu luito. ſi cædem faxit, capital eſto. Iudicio elapſus ſacer & inteſtabilis patriâ, fortunis omnibus & Principum fauore careto. Qui fugitiuum domo laréque receperit, ex arbitrio noſtro plectitor. Arma bellica pace nemo deferto; vim vi propulſare jus eſto. Sæpius deinde juris dicundi cauſa eo anno fratres congreſſi ſunt, nunquam deficientibus cauſis domeſticorum incendiorum, niſi in ſcintilla opprimerentur. Neque temerè reperias documentum illuſtrius humanæ inconſtantiæ, & non modò raræ ſed breuis etiam inter fratres gratiæ, quàm quod hi noſtri præbuere, anniuerſariis propè fœderibus colligati, nullo ſatis firmo aduerſus ambitionem vinculo; quæ ſi fraterni nominis reuerentiâ non frenatur, ſanè etiam tabulas & ſigilla cerea poteſt contemnere. Fons mali vnicus paternorum Principatuum diuiſio fuit, ſuis etiam auctoribus improbata velut proprio judicio circumſcriptis.

FREQVENS FRR. PRINCIPVM PACIFICATIO.

DIVISI PRINCIPATVS INCOMMODA.

Com-

Comparare inter ſeſe, & velut ad libellam expendere cælum ſolúmque tam diuerſum ſortita; ingentium prouinciarum bona reuocare ad æquales calculos, ſupra humani ingenij prouidentiam eſt; &, vt maximè ſortientibus altior erroríſque ſecura vis arbitriúmque interueniat, quis ille tam modeſtus eſt, qui ſua ſorte viuat contentus, intactúſque inuidiâ, cui ſemper oculi dolent mali judices, cùm alienis bonis adjiciuntur? quando etiam in ruſticano imperio proximam ſegetem fertiliorem, & vicini pecoris maius vber liuidis videri ſapienter olim pronunciatum eſt. Certè ſtatim poſt ſortitionem factam ſimultates natæ; actiones iniuriarum, repetundarúmque inſtitutæ; à verborum contentionibus ad vim ventum; cædes & incendia facta; clientes vtrinque inter ſe commiſſi maléque mulctati; quæ tamen annalibus prodita non ſunt, vel quia juſtis copiis concurſum nunquam eſt; vel quia verecundia libertati ſcribentium obſtitit. Sed annalium omnium vicem literæ publicæ ſunt in tabulariis Principum aſſeruatæ, ex quibus

Digitized by Google

ſumma duntaxat controuerſiarum capita, cautionéſque præcerpemus, quibus prouiſum eſt, ne ad extrema veniretur, litibus in bellum erumpentibus.

CONTROVERSIÆ INTER PRINCIPES FFR. AGITATÆ. MCCLXII. IX. *Kal. Feb.* ARBITRI LITIVM PRINCIPALIVM.

Atque vt rem à capite acceſſamus; primùm, de quo conſtet, anno huius ſeculi ſexageſimo ſecundo, Conrado Friſingenſi Epiſcopo annitente, in ea vrbe concordiæ pacíſque ſemina jacta ſunt, inductíque Principes, vt rerum ſuarum arbitrium nobilitati permitterent. lecti ab Henrico Ludouicus Pincerna Flügelſpergius, Sifridus Fraunbergius, Henrici duo Pholingus & Rorbachius. Ludouicus Bertholdum Mareſchallum Schiltbergium, Arnoldum Meſſenhuſium, Winhardum Rorbachium, Henricum Iſolzriedenſem nominauit. Hi octo viri Fridericum Regulum Truhendingium Principum propinquum adſciuere velut honorarium arbitrum, qui in ambiguo jure & paribus vtrinque calculis, vltimam valiturámque ſententiam diceret.

CONDITIONES BONI PVBLICI CAVSA LATÆ.

His ergo in commune conſultantibus, prior prouinciarum ſortitio confirmata; quæ ex interuallo accreuerant, ex æquo & bono diuiſa: vtriuſ-

vtriuſque Principis clientibus libertas connubiorum permiſſa, ea tamen conditione, vt partus ventrem ſequeretur, & ad maternam clientelam pertineret. Arx Inkofenſis à Matre Principum maiori natu filio oppignorata ad Matrem redire iuſſa. Condendarum muniendarúmue arcium, proferendorum, per emptionem, limitum, niſi ex communi conſenſu vtrique facultas adempta. Actor forum rei ſequi iuſſus, ſi is alibi cauſam dicere contempſiſſet. De agris conterminis & limitibus omnino omnibus, qui controuerſi eſſent, priuatos capere judices permiſſum. æquitas in tribunalia reuocata, amandatæ corruptelæ. commerciis viatoribúſque omnia peruia facta. Si quid ex iis, quæ ſortitò alterutri Principum obtigerant, iure olim euinceretur adimeretúrque, id damnum ambobus ex æquo luendum, pronunciatum eſt. His conditionibus fœdus ictum; ſignatæ tabulæ & teſtibus roboratæ, inter quos Preiſingiam & Fraunbergiam gentem hodiéque ſuperſtites agnoſcas; cæteræ occidêre. Intra triennium ab eo compromiſſo elapſum

A. MCCLXV. III. *Non. Mart.*

Digitized by Google

SECVNDA PACIFICATIO.

noua litium ſilua ſubnata, Principibus iuxta patriæque malo futura, niſi tempeſtiuè per arbitros ſucciderctur. Ii fuere Gebhardus Comes Hirſpergius Principum affinis, Fridericus Truhendingius, Fridericus Burggrauius Norinbergenſis, Sifridus Fraunbergius, Arnoldus Meſſenhuſius, Henricus & Winhardus Rorbachij. Eorum arbitrium in campis Merchingenſibus relatum in tabulas multa capita continet, faſtidio futura ſi omnia tranſcribantur; potiſſima agnoſci operæ eſt. Monetariæ primò Ratiſbonenſis emolumenta Henrico Duci confirmata, ſi iuratis teſtibus duobus probaſſet, eam ſibi prima ſortitione obtigiſſe. Iudicatum intereſſe concordiæ, clientes alterius ab altero non recipi detineríue, ne redintegrandæ gratiæ quidem causâ, ſi ea excidiſſent; multo minus ob cædem factam fugitiuis apud alterum aſylum ſuffugiúmue aperiendum. De tributo Roſenhaimenſi pronunciatum, iuxta leges VVaſſerburgi latas examinandum, quódque ex viginti vno viris ſeptem cenſuiſſent, eo ſtandum videri. Pontes Abacenſis & Kraibur-

burgenſis Henrico Duci adiudicati, repræſentatis fideiuſſoribus id Ludouico fratri fraudi non fore. Fideiuſſoribus certa loca, vbi pro damnis ſatisfacturi ſe ſiſterent, aſſignata. Vtriuſque Principis beneficiariis, quibus cum alterutro eorum lis intercederet, actio; aut ſi ipſorum Principum tribunal iis non pateret, appellatio ad prætorium Prouinciale conceſſa. Beneficiariorum de priuato inter ſe iure contendentium bono ſtatutum, vt, ſi reus judicium ſubterfugiſſet, eius bona actori addicerentur, vel alia ratione ſatiſdaretur. vter Principum reum judicio ſubtraxiſſet, actori pro eo integrè ſatisfaceret. De clientibus poſſeſſionibúſque dubiis nominatim quæſitum, vtrius cenſeri æquius eſſet. diſertè cautum de quibuſdam in integrum reſtituendis, qui præcipiti Principum ſententia bonis ſuis exturbati fuerant. Pax in hunc modum compoſita quatuor annis ſtetit inconcuſſa. Conradini mors & ampla ex eo hæreditas, inquietum bonum & tumultuoſum, fratres opibus auxit, concordiâ ſpoliauit. Ventum iterum ad arbitros; quos inter TERTIA PACIFICATIO. A. MCCLXIX. IV *Kal. Nou.*

 Gri-

Digitized by Google

Grimoldus Preiſingius, Rorbachij ſuperius nominati & Sifridus Sigenhoſius fuere; qui in conuentu Aufhuſiano Henrico Caſtrum Flozzium, Parchſtainam, Weidenam, Adelnbergam, attribuêre. Nouoforum cum Dynaſtia Perngouienſi, Danuvverda, Möringenſis Toparchia, Suabekium, Schongavia, aliáque Montes inter & fluuios Werdam Danubiúmque ſita; Iglinga inſuper, Tapfhemium, & quidquid Conradinus beneficiario jure ab Eccleſia Babenbergenſi acceperat; tutela videlicet Herſprukenſis, Plechenſis, & Vilſekenſis, Amberga, Aurbachium, Hohenſtainium Ludouico adiudicata potiori jure, quàm frater eius, ſubnixo, vti ex tabulis pluribus inſignium donationum colligitur, quibus Conradinus eius erga ſe merita viuens eſt remuneratus. quædam indiuiſa ſeruari placuit, vt Norimbergam, Laugingam, Nördlingam. Tutela Auguſtenſis, & ſi quæ præterea litigioſa repetendáque judicio ſupererant, poſtquam euicta eſſent, nouæ diuiſioni reſeruata. cuius tamen memoria in monumentis nulla ſupereſt. Sed neque

Norin-

Norinbergæ, quáſque poſteriore loco nominaui, vrbium, in Rudolphi Cæſaris literis, quibus Conradini donationem ratam habet, vlla extat mentio; vt ſuſpicari pronum ſit, ad Imperij corpus reuocatas eſſe, cuius Norinberga & Nördlinga hodie quoque particulæ cenſentur. Danuvverdam tamen, quam mulctatum à Cæſare Ludouicum, ob iniquam coniugis Mariæ cædem, vulgò fertur, eædem literæ Ludouico palàm aſſerunt; quo ſanè inueteratam opinionem vehementer conuelli debilitaríque neceſſe eſt. Stabilitam in hunc modum quietem ferocia Nobilitatis ingenia adoleſcere non ſunt paſſa. Strepebant per vtramque prouinciam arma; leues iniuriæ vindicabantur cædibus; omnia tumultibus plena erant, quibus Principes neceſſariò inuoluebantur, ne clientes nullam ſuæ ſalutis rationem habitam queri poſſent. Sed nimirum eò valuit auctoritas, magis vt cauſam ſuam feciſſe, quàm eius ſuſcepiſſe patrocinium, aut judicium ad ſe reuocaſſe viderentur; certè qui ſe judices profeſſi fuerant, ipſi mox arbitrorum indiguere:

NOBILITATIS FEROCIA PACEM TVRBAT.

Seni

Digitized by Google

Seni vtrinque è prima nobilitate obſidum loco poſtulati, qui deſcriptis affixi vrbibus ante damnorum compenſationem ſeſe commouendi poteſtatem non haberent. Id anno ſeptuageſimo quarto, Kal. Ian. factum; arbitris interim Friderico Truhendingio, Gotfrido Pruneckio & Volmaro Khemnateno nouam cõtrouerſiarum ſementem prementibus. his vtrinque quaterni conſilij causâ additi; res, de quibus diſceptatum eſt nihil ab iis differebant, quas ſuperioribus conuentibus deciſas ſignificauimus. illud ſingulare. Ludouico vitio datum, quòd pecuniam, nouo exemplo, Ambergæ ſignaſſet; Eſchelbachiam arcem hæredibus nullo iure ereptam munire aggreſſus eſſet, & in Brandenbergij Dynaſtæ bona, excluſo fratre, inuaſiſſet. cætera ad permutandos captiuos, abſtergendam offenſionem, conciliandos inter ſe, Principibúſque communes amicos, & his etiam minutiora pertinent. Nunquam tamen enixius maioréque ſtudio de concordia, quam biennio pòſt actum reperio, Leone Ratiſbonenſi Epiſcopo, & Friderico Norin-

QVARTA PACIFICATIO. A. MCCLXXIV.

QVINTA PACIFICATIO. A. MCCLXXVI. XV *Kal. Iun.*

Norinbergenſi Burggrauio communibus arbitris delectis, & quaternis è nobilitate vtriuſque partis jura tuentibus. Eius compromiſſi tanta apud fratres ipſos auctoritas fuit, vt poſterioribus etiam controuerſiis ad has tabulas velut ad oraculum recurſum ſit. Primum caput de vi acceptíſque quà ferro flammáque, quà bonorum depeculatione iniuriis fuit; quæ ſi ad priuatos pertigiſſent, Principes iis de damno ſatisfacere juſſi. Pro captiuis liberandis reddendíſque vtrinque obſidibus ſponſoribúſque, certa dies conſtituta. Qui ſui juris mancipiíque neutri Principum vlla lege obnoxij alterutri operam addixiſſent, eorum obſequia libera eſſe, transferríque pro re nata ex ipſorum arbitrio poſſe, pronunciatum; donec certis documentis alteruter ſuum jus probaſſet. Odiorum capitalium, quæ ex cædibus aliíſque inſignibus iniuriis excreuerant, abolendorum cura Principibus iniecta, ſiue connubialibus, ſiue aliis æquè blandis firmíſque fœderibus conſtringere diſſidentes maluiſſent. Tum de familiaribus in vetera jura recipiendis aut

eximen-

Digitized by Google

eximendis noxæ, ſi in judicio appellarentur, cautum. Dubia bona & vectigal ſalarium in ponte Roſenhaimiano apud ſequeſtrum depoſita. Noua vectigalia alibi conſenſu ſtabilita, alibi antiquata. Ad præſtanda viatoribus damna Principes compulſi, per quorum prouincias ea accipi contigiſſet. Clarigatio Pignerandíque abuſus iniurias ſuas alienáſque perſequentibus ea tempeſtate perquam familiaris certis legibus reſtrictus. Litibus finiendis Prouinciales Prætores cum ampliſſima poteſtate dati. Noxæ capitalis reos, qui metu profugiſſent, negare repetentibus nefas judicatum. Certa exercendorũ judiciorum forma legéſque conſtitutæ; iis legibus ipſi Principes ſubiecti. Emendarum muniendarúmue in alieno fundo arcium, citra conſenſum eius, cuius intereſt, ſummis infimíſque poteſtas ablata. Tutela Monaſterij Schirenſis Ludouico confirmata, donec Henricus jure ſe potiorem oſtendiſſet. Statutum, ne quis publicè cum telo eſſet, niſi in Comitatu Principis, Comitis, Baroníſue, familiæ Palatinæ, Ducis Militaris Prætoriſ-

torííue verſaretur. Biennio pòſt Vilshofij congreſſi Principes fœdere in viginti duos proximè conſequentes annos inito, actionem omnem, qua fraterni Principatus jura in dubium vocari, aut poſſeſſio conuelli videretur, eiurarunt; ídque fœdus vt ſibi poſteríſque ſacroſanctum eſſet, jurisiurandi Religione & Cæſaris auctoritate firmatum, poſtulatúmque ab eo, vt hoſtem Reipub. declararet, qui pactis conuentis non ſtetiſſet. Rudolphus factum probauit ratúmque habuit. Minoribus controuerſiis jam ſæpe feliciter vſurpata remedia appoſita. Ita anno octogeſimo, quíque primus poſt hunc, tertius quartúſque ſunt lapſi, reditum ad arbitros eſt, quorum princeps ſemper Henricus Ratiſbonenſis Epiſcopus fuit. Illud nouum, quòd inter ſponſores amborum Ducum maximi natu filij, anno quē ante poſtremum proximo nominaui, relati ſunt. Otto Henrici F. cum quatuor optimatibus in arce Iſereggia ad certam diem ſe futurum ſpopondit, neque pedem inde elaturum, donec iniuriam paſſis in judicio eſſet ſatisfactum.

MCCLXX VIII. X *Kal. Nouemb.* Sexta Pacificatio.

Pacificatio VII. VIII. IX. X. MCCLXXX. I. III. IV.

Ludo-

Digitized by Google

Ludouico viciſſim Ludouici F. cum ſuæ partis Fideiuſſoribus Dachauium domicilium decretum. Octogeſimo MCCLXXXV. PACIFICATIO VNDECIMA. quinto nouum inter fratres fœdus in quinquennium initum, ad præſtanda mutuò auxilia tuendáque iura, quæ nonnulli Ratiſbonenſium ciuium conuellere nitebantur. cuiuſmodi fuerint non exprimitur. plurima tamen etiam poſt ciuitatem Imperio contributam ſarta tecta Principibus remanſiſſe, ſuo loco oſtendemus: hoc recentiſſimum & quarto ab hinc anno acquiſitum obiter indicaſſe ſatis fuerit. Coctores Zythi ſeu Ceruiſiæ, Braxatores vulgo dicti, centum viginti libras denariorum Ratiſbonẽſium Ludouico Duci pacti ſunt, precium tutelæ, in quam illa tribus conceſſerat. Sponſionis tabulas Henricus Epiſcopus ſuorum ciuium rogatu confecit. MCCLXXXVI. VII. PACIFICATIO DVODECIMA, ET DECIMA TERTIA. Sextus annus ſeptimúſque eâdem, quâ priores, fortunâ fuere; vtroque pax laceſſita; habuerúntque arbitri, quas componerent controuerſias. Non de nihilo fuiſſe, ex eo intelligas, quòd Rudolphus Cæſar ſuas quoque partes interpoſuit. Ad priores cautiones,

nes, ternæ ab vtroque Principe arces pignori oppoſitæ, quo inconſtantia in arbitrorum ſententia acquieſcere recuſantis coërceretur. Falkenſtainium, Mainburgum & Störnſtainium Ludouicus; Henricus Roſenhaimium, Grünenbergam & Pfreimbdam nominauit, vt nobilis jacturæ metus vtrinque pro freno eſſet. Nihilominus octogeſimo octauo anno, qui Straubingæ incendio infamis eſt, cædium rapinarúmque quæſtiones habitæ. Ratiſbonæ adeò, vbi Principes Auguſto menſe conuenerant, per tumultum vir nobilis Wunnehoferus trucidatus eſt. Sed arbitrorum curâ pax inter fratres ſtetit. Decretum ibidem, vt neuter intercederet, quominus vtriuſque Principis populus arma ſociaret, ſi vis à Bohemis ingrueret; quòd ſi alteruter charitate patriæ ciuiúmque motus ſua vindicantibus Ducem ſe obtuliſſet, id ei laudi non noxæ fore. Atque hoc compromiſſum, de quo quidem publicè conſtet, vltimum fuit; morte, quæ Henricum biennio pòſt ſuſtulit, cum vita Principis, etiam controverſias ſuccidente. Carpta tamen adhuc

PACIFICATIO XIV. MCCLXXVIII.

Digitized by Google

MCCLXXXIX *Ann. Auſtr.* ALB. AVSTRII RES IN BOIARIA GESTÆ.

huc eo ſuperſtite BOIARIA ab Alberto Auſtrio; Falkenſtainia arx, vnde naues juxtà viatoréſque in Auſtriam deſcenſuros infeſtari acceperat, in poteſtatem ab eo adducta. Vltus pariter Rudolphum Saliſburgenſem Epiſcopum Albertus eſt, próque vna arce ab eo exciſa, ingentia damna retulit; Pfandorfenſi primùm arce munita in paucis euerſa, & Friſaco vrbe ſuccenſa. Rudolphus Antiſtes paulo pôſt obiit nulla re, quàm S. Virgilij corpore translato, nobilior.

STEPHANVS HENR. DVCIS F. AB EPISCOPATV EXCLVSVS. *Ann. Saliſb.*

in eius locum Stephanus Henrici Ducis filius vno anno maior vicenario concordibus ſuffragiis lectus, Mitram tueri, obluctante Nicolao Pontifice, non potuit. Ineptam Sacerdotio ætatem & ſanctiſſimis imparem curis Pontifex cauſabatur, nondum inuectâ in mores noſtri æui licentiâ, quæ pueritiæ & prætextatis adoleſcentulis infulas imponit. Auentinus aliam cauſam reperit, offenſus credo tam ſeueris legibus. Paludatum & ludicro ſpectaculo præſidentem à Legatis, quibus de moribus futuri Antiſtitis quæſtio decreta fuerat, repertum ſcribit; eos fœditate rei offenſos,

Ste-

Digitized by Google

Stephano vt profano excluſo, Conradum Lauentinenſem Epiſcopum ſubrogaſſe, incertum octogeſimo nono an nonageſimo anno: plures melioréſque in poſteriorem annum. Henrici Ducis & Rudolphi Antiſtitis funera coniungunt. Henricus Burkhuſij prid. Non. Feb. extinctus eſt morte placida neque ſine ſpe beatæ æternitatis. Henricus Ratisbonenſis Antiſtes & Wernherus inſignis è Franciſcana Familia Theologus morienti adſtitere, quorum ſe conſiliis totum permiſit, nulla re omiſſa, quæ ad conciliandos mortales immortaléſque pertineret, quos iratos vnquam habuiſſet. De Prouincia ita ſtatuit, ne in minuta imperia carperetur; Otho Filiorum natu maximus in quartum vſque annum jura ſolus daret, eiúſque auctoritatem cæteri comiter agnoſcerent conſeruaréntque. Sepeliri Landshutæ in Parthenone felicis Vallis voluit. Haud diu pòſt Ludouici Fratris domus idem morti tributum pependit; Ludouico, quem ex Anna Polona tulerat, inde extracto, &, quod triſtiſſimum Patri, per ludum propè jocúmque occiſo. Norinbergæ

MCCXC. HENRICI PIRNCIPIS MORS.

LVDOVICVS LVD. F. IN LVDICRO CERTAMINE OCCISVS.

Chron. Auſtral. Stero. Chron. Furſtenfeld.

bergæ conuentus Principum agebantur, magno, vti fit, nobilitatis concurſu. Miſcebantur ioca ſeriis, & gloriæ auida Iuuentus lucta, ſaltu aliiſque Heroicæ palæſtræ artibus exercebatur. Ludouicus ignauiæ notam veritus, ſi ſpectator tantum aſſideret, prodire ipſe quoque in arenam ſtatuit; compellánſque ex nomine Craffionem Hohenlohium multarum coronarum pugilem ad congreſſum inuitauit. is primò tergiuerſari, vt impar, conditionémq;, quæ inuidiæ ſibi potiùs, quàm gloriæ futura eſſet, modeſtè amoliri, neque niſi ægrè & conuitiis laceſſitus excitari. Memor nihilominus, qui cum ſibi res eſſet, oſtentare innoxiam artem & colludere veriùs quàm confligere inſtitit, ruentem in certum vulnus haſtam, magna omnium, præterquam eius, cuius maximè intererat, approbatione, ſeruare incruentam laborans; donec, vel ipſo Ludouico intempeſtiuam increpante verecundiam, poſita ſimulatio, vel ars eluſa victáque caſu eſt. certè exerrans haſta fatale vulnus in gutture reliquit, ex quo intra decimum diem Princeps Boicæ

Iuuen-

Digitized by Google

Iuuentutis, maximo omnium ordinum mœrore, extinctus eſt, tot vota fruſtratus & ampliſſimas ſpes, quas inſignibus factis concitauerat, optimus Princeps futurus, ſi eo frui licuiſſet. Mores ita compoſuerat, vti vel non intelligere, vel negligere crederetur, in quam fortunam eſſet genitus. abſtemius ferè aquam tamen ex auro bibebat piè fraudulentus, & maior virtutis occultandæ, quàm vulgus oſtentandæ artifex. Menſa illius frugaliter parca & neceſſitati naturæ non voluptati ſtructa. Veriſſimus in eo integritatis amor; libidinum odium juxta atque ignoratio. Connubij eius cum Lotharinga ante menſem non integrum initi Auentinus meminit, cuius ego nihil reperio. Animam nouo exemplo inter pauperũ greges, in hoſpitali domo publica, ponere voluit, deportatúſque eò Principem viuens exuit, morti in centonibus occurſurus, minore vtique formidine, quàm ſi purpuratum inuaſiſſet. Mortui corpus, vti juſſerat, Fürſtenfeldam deportatum matríque contumulatum eſt. Iuſta magnificè à tribus Epiſcopis & illuſtri

LAVDATI MORES LVDOVICI.

vtriuſque ordinis frequentiâ perſoluta; vt oculatus teſtis, ex quo hæc exſcribimus, neget glorioſiùs vlli vnquam parentatum; quod virtuti potiùs quàm ſanguini datum interpretor. Extant eius tabulæ biennio ante mortem confectæ Moguntiæ, quibus paternam ſobolem tertio coniugio ſuſceptam ſine exceptione ſibi coæquat, & in omnia hæreditatis jura admittit.

OTHO HENRICI F. DVX INFERIORIS BOIARIÆ.

III. NOVÆ PRINCIPVM PACIFICATIONES.

Otho interim Patruelis eius poſt mortem Henrici patris rerum potens eadem ſubſidia, quibus hucuſque pax ſuſtentata fuerat, ſalubriter amplexus ipſe quoque litium Prouincialium arbitrium Henrico Ratiſbonenſi Epiſcopo permiſit: eáque de cauſa Friſingæ primùm xv. Kal. Iul. mox Roræ III. Non. Octobr. cum Ludouico patruo congreſſus ex Epiſcopi ſententia nobilitatem in ſeſe mutuis cædibus deſæuientem compoſuit, ne in priuatis quidem propriiſque cum Ludouico patruo controuerſiis ab illius nutu diſſentiens.

Digitized by Google

tiens. Epiſcopi arbitria plena æquitatis moderationíſque in Principum ſcriniis aſſeruantur. Illud rigidius ad ſpeciem, ſed neceſſariò tamen, mollioribus remediis conſumptis, in violatores pacis conſtitutum; vt quicunque nobilitate vel ſacerdotio Aulico inſignem captivum abduxiſſet, è veſtigio Principis, in cuius prouincia facinus patratum, non modò iras odiúmque ſed arma inſuper ſentiret non antè ponenda, quàm arce exciſa libertatíque conſecratâ perniciosus ciuis in exilium abiiſſet, nunquam in patriam, niſi ex amborum Principum voluntate, rediturus. Ad eundem Ratiſbonenſem Epiſcopum etiam à Canonicis Friſingenſibus hoc anno delatum arbitrium litis Ludouico Principi intentatæ, ædificij causâ Friſingæ ab eo cœpti, cuius molitionem fraudi ſibi olim futuram metuebant ſcilicet. Pro Ludouico pronunciatum inde intelligas, quòd ex literis publicis octauo pòſt anno datis locatas à Rudolpho Ludouici F. ædes Gotfrido Greiffenbergio Canonico conſtat, adiecta conditione, ſi Canonicorum Col-

DOMVS LVD. PRINCIPIS FRISINGÆ.

legium nihil ſibi iuris ex ea locatione accreuiſſe profiteretur. Anno nonageſimo primo iterum pro ſtabilienda communi pace laboratum, magnâ Henrici Ratiſbonenſis gloriâ, cui vni omnia Principes concederent, conſilia eius velut Sapientiæ ſcita amplecti, offenſarum vindictam memoriámque ex eius ſententia deponere, omnibúſque affectibus, quos cæteroqui hi tales eſſe exleges volunt, ad eius nutum imperare ſoliti. Bis itaque per hunc annum Ratiſbonæ Principes cum eo fuiſſe & commune Patriæ oraculum conſuluiſſe reperio. Otho nihilominus paulo pòſt alieno bello implicitus eſt, neque neceſſario, neque ad augendam nominis famam opportuno. Rudolphus Saliſburgenſis Antiſtes, vti paulo antè obiter ſignificauimus, cum Alberto Auſtrio colliſus fuerat. damna vtrinque accepta, relatáque. ſubinde etiam de concordia actum, nullo ſucceſſu, ob peruicaciam ingeniorum eadem contentione in ſenatu qua in caſtris victoriam quærentium. Ita Rudolphus moriens bellum ſucceſſori cum mitra reliquit.

A. MCCXCI. HENRICI RATISB. EP. ARBITRIA.

OTHO ADVERSVS ALBERTVM AVSTRIVM INCITATVS.

Chron. Auſtr. Gerard. de Roo.

quit. Id hoc anno hac occaſione recru-
duit Inuiſus pleriſque Procerum Al-
bertus erat, quòd addictior exteris ſuos
negligeret, & in Sueuis exornandis pro-
ducendiſque nimius, prouinciam iis
veluti vectigalem faceret; illos ad fami-
liaritatem, ſuos ad famulatum aſſume-
ret, à peregrinis conſilia, à domeſticis
tributa exigeret. Igitur Dominum ve-
riùs quàm Principem dedignati de ex-
cutiendo jugo cogitarunt inuitandiſ-
que vicinis Principibus, ſub quibus ho-
noratiore conditione viuerent. Salis-
burgenſi Epiſcopo ſuperiorem Auſtri-
am, Bohemo Inferiorem, Othoni Boio
Stiriam, Vindorum Marchiam Vngaro
deſtinabant. Stiri cum Conrado Salis-
burgenſi collocuti trahendi in partes
Othonis ei negotium dederunt. neque
is fortunæ vltro ſeſe offerenti defuit
parum de jure ſolicitus, dummodo po-
tentiam augeret. deditionis duntaxat
tabulas à Stiris exegit, pignus fidei et-
iam in proditoribus deſiderans, cuius
ipſe jam erat oblitus. Ludouicus his
conſiliis intactus, dum maximè feruet
coniuratio, Cæſaris lateri adhærebat,

AMOR POTENTIÆ CVRAM IVRIS OPPRIMIT.

Nauclerus.

tanto quidem ſtudioſiùs, quanto triſtiora de ipſius valetudine medici vaticinabantur; quorum denunciatione vltima & decretoria. Rudolphus haudquaquam conſternatus, Spiram, inquit, „ Amici, ad ſalutandos Reges vocamur. „ illud iter præuerti rebus aliis omnibus „ certum eſt. Nimirum ad Cæſares properabat, quorum illic Mauſolea extant. Vrbem tamen non attigiſſe, ſed Germershemij letho oppreſſum Argentinas ſcripſit Prid. Cal. Octob. pro quo alij XVIII. Kal. Aug. ſubjiciunt. Tumulo nihilominus Regibus ſociatus eſt haud ſanè indigus noſtrarum laudum, cui rerum geſtarum magnitudo, & incredibilis auguſtiſſimæ poſteritatis in literas amor præconum affatim conciliarunt, vt nullius penè ex Heroibus nomen notius in vulgus, aut benigniore fama ſit; cuius fructum proxima poſt Auſtriacam gentē BOICA capiat neceſſe eſt, quæ quantacunque hodie emicat, materno genere Rudolpho annectitur, ex Ludouico, cuius res præ manibus habemus, & Mechthilde Rudolphi filia, nobiliſſimo ſatu, perpetua ſerie propagata.

RVDOLPHI CÆS. MORS.

Digitized by Google

pagata. Albertus filius ea tempeſtate in armis erat, quæ, Vngaricis motibus ſedatis, vix tantiſper ei ponere licuit, quoad Patri Iuſta Viennæ perſolueret. Expleto Pietatis officio in Coniuratos mouit; qui auerſum à conſiliis ſuis nacti Numen fruſtra humanis viribus perfidiam ſuffulſerunt, in eo quoque parum prouidi, quòd nondum ſatis confirmatis factionis opibus, neque, vti conuenerat, ſub communia coactis ſigna, alij ante alios in armis oſtentarunt ſeſe, pares fortaſſe, ſi conniterentur, ad ſuſtinendam belli molem, ſeorſim ſinguli prædæ futuri. Primi Hardnidus Wildonius & Fridericus Stubenbergius proſiliere; & hic quidem, miſſo ad Albertum caduceatore, fidem obſequiúmque renunciare auſus, palámque profiteri, in Othonis BOII clientela eſſe ſe, neque Patronum alium aut Principem agnoſcere. Subinde cognitum eſt, etiam BOIVM cum Saliſburgenſi in armis eſſe, quæ ne parum ſanctè induiſſe viderentur, Burcardum Ellerbachium ad Albertum ablegant oneratum querelis, quæ bellum quærentibus ſemper in prom-

BELLVM ALB. AVSTRII CVM CONIVRATIS.

OTHO CONTRA ALBERTVM ARMA SVMIT.

Digitized by Google

promptu. diuerſis deinde itineribus, ſumma hieme, profecti copias ad Rotemannum opidum iungunt. eo in poteſtatem adducto, Pylas, vbi Admontenſis Abbatis præſidium erat, expugnant, & commeatu illic reperto militem reficiunt. Eodem impetu Admontium Monaſterium & Leubenum ad Muram capta direptáque. Pontenſes obſidionem tulere. periculo per nuncios comperto Albertus ex Auſtria accurrit, præmiſſa agreſtium ſexcentorum manu, qui diſiecta niue, quæ omnia altè texerat, aperirent militi iter. Ingens labor fuit, & veluti contra rerum naturam ſuſceptus; valuit tamen ad victoriam in celeritate plerunque ſitam, cuius admiratione captus hoſtis omnia Alberto prona, poſt debellatam hiememe, credidit. Otho pariter Epiſcopúſque turpem fugam periculoſæ pugnæ antetulere. Hæc initio anni nonageſimi ſecundi geſta; quo tempore Ludouicus cum Eberhardo Wirtenbergico Comite arctiſſimum fœdus icit. Extant ſponſionis tabulæ quibus in omnia Boicæ gentis obſequia, Maiorum exemplo,

MCCXCII. LVD. CVM WIRTENBERGIO FOEDVS. *Ex Archiuo.*

emplo,

emplo, Comes Ludouico operam addicit eoſdem cum eo filiíſque amicos hoſtéſque habiturus; arma, ſi illis videatur, laturus promiſcuè in omnes, modò ne contra Oetingenſes & Gebhardum Hirſpergium Comites euocaretur, à quibus infeſtandis pietas & iura ſanguinis ſeſe arceant. Aduerſus Gebhardum nihilominus, ſi vſus ita ferret, auxilia promiſit, alio tamen, præterquam ſe Duce. Quòd ſi Otho, deſerto patruo patruelibúſue, Hirſpergij partes tuendas ſuſcepiſſet, negauit vllo fœdere ſe ab eo infeſtando exagitandíſque Hirſpergianis ſociis quibuſcunque auocandum. Ludouicus Eberhardo mutuum auxilium & triginta ſupra trecenta argenti pondo in ſtipendium ſpopondit, eo ſine dubio conſilio, vt in omnes caſus, quales per interregnum, aut aliis, ſub nouo Cæſare, moribus, animus futuri prouidus facili coniectura augurabatur, parata ſubſidia haberet. neque nullus metus erat, Othonem Auſtriacos laceſſentem ea conſilia exiguo BOIARIÆ commodo ſuſcepiſſe, nihílque factu propius, quàm vt alieno ambuſtus in-

CAVSÆ FOEDERIS.

Digitized by Google

incendio noxiam patriæ ſcintillam importaret. eam præcaueri, quàm ſuis graſſantem viribus extingui faciliùs poſſe arbitratus Ludouicus Non. Martiis cum Othonis fratribus Stephano & Ludouico Ratiſbonæ congreſſus eos de cõmuni periculo admonuit, adhibitóque in conſilium Epiſcopo duas potiſſimum res diſceptandas in medium adduxit, quibus & patriæ caueretur de ſalute, ſi bellum illud parum ſecundos exitus habuiſſet, manifeſtò periclitaturæ, & offenſis iretur obuiam, quæ ex partium ſtudiis inter Principes ipſos quà conſanguinitate quà affinitatibus coniunctos neceſſariò videbantur naſcituræ. Vtrinque dictis ſententiis, ea opportuniſſima viſa, ſi legatione familiari Fratrum Epiſcopíque nomine adornatâ Otho moneretur, juberetúrque bello faceſſere, & Ludouico patruo arbitrium cauſarum permittere, de quibus inter ipſum & Albertum Auſtrium ambigeretur. Ludouicus quoque ſeorſim per nuncios ſuos vtrumque appellaret, jaceretque ſemina concordiæ. ea donec coaluiſſet, & fratribus ſuppetias

LVDOVICVS PACIS ET PATRIÆ AMANS, VTRIQ. CONSVLIT.

fratri

fratri ferre, & Ludouico Alberti partes fouere integrum eſſet. Legati pronis vtrobique auribus auditi, quòd Otho accepti nuper dedecoris impatientiâ quacunque conditione defungi bello percuperet; & Albertus in certam ſpem conſequendi Imperij erectus ad Comitia properaret. Igitur induciæ mutuo conſenſu factæ. Albertus ad Meinhardum Ducem Carinthiæ & Comitem Tirolis Socerum ſuum profectus ſub Paſchales Ferias cum eo Oeniponti fuit, eíque prouinciarum curam, ſi quid à Boio & Saliſburgenſi interim moueretur, commendauit. Eum congreſſum incendium, quo tota propè vrbs deflagrauit, luctuoſum reddidit. Monachium inde profectus Albertus ſororem Mechtildem ſalutauit. per Sueuiam eunti ſummi honores habiti, vt Imperij Candidato ex mox cum ampliſſimo nomine redituro. Alioſum ſpes reciderunt, Gerardi Moguntini Antiſtitis aſtu; qui cum Adolfum Naſſouium productum vellet, deſperarétque aperta prenſatione conciliari ei ſuffragatores poſſe, eandem in ſingulos fallaciam, ſed aptiſſimam

INDVCIÆ INTER BOIOS & AVSTRIOS.

Gerardus Rhoo.

OENIPONTVM ARDET.

MOGVNTINI ELECTORIS ASTVS.

ſimam verſandis animis intendit, ſuum cuique æmulum velut imminentem imperio objiciens, vnámque excludendi eius ſpem oſtentans, ſi Adolfo fauiſſent. Et Treuirenſi quidem Geldium, Saxoni Brunſuicenſem, Ludouico Boio Bohemum oſtentauit ingrata nomina, quorum odio Adolfus emerſit ea vna re Principibus commendatus, quòd cum inuiſiſſimis eſt compoſitus. Ita Albertus neglectus, Amicis eius Moguntini vaframento perculſis, ínque vna cogitatione defixis, ne diuerſis ſtudiis, quibus minimè vellent, aditum ad coronam patefacerent. Otho Boivs ſuffragij iure, quod cum Ludouico commune habebat, vti ſuperſedit; nam neque præſens Comitiis adfuit, neque aliam ad ſe eius curæ partem traxit, quàm vt Patribus denunciaret, quemcunque rite moréque Maiorum Cæſarem creaſſent, modò ne Albertus Auſtrius is eſſet, ſe plurium conſenſum ſecuturum. Interim ei aliena perfidia rei bene gerendæ occaſionem præbuit, ſi tamen ſuo alienóue ſcelere nitentibus rei bene gerendæ dari facultas poteſt. Fride-

ADOLPHVS AD IMPERIVM FRAVDE PERDVCTVS.

OTHONIS ADVERSVS CARINTHIVM D. EXPEDITIO.

Fridericus quidam Heinbergius Carinthius domo veteris iniuriæ memoriam, quã Menhardus Tirolius Carinthiæ Dux immerentem affecerat, altè repoſitam & inſigni ſimulatione tectam circumferebat, excitabatúrque nouis ſubinde irritamentis à factioſis hominibus conſilia exequendæ vltionis ei dictantibus. in iis principes fuere Vdalricus Haimburgius & Rudolfus Vanſdorfius cupidi rerum nouarum & Othoni Boio quàm ſuo Principi æquiores. Ab his inſtinctus Fridericus ad Ludouicum Menhardi Filium in S. Viti pro patre curantem proficiſcitur, fallaciúmque obſequiorum faſcino facilè incauti juuenis potens factus rerum omnium ad ſe ſummam traxit, non modò in familiaria jura, ſed publicarum etiam communionem curarum aſſumptus. cùm jam vnus omnia poſſet, coniuratos, vti conuenerat, cum Othonis Boii copiis deo nocte in vrbem recipit. Ludouicus clamore excitus in forum prouolat. omnia illic hoſtium, quódque aſpectu fœdius, perfidorum plena amicorum, & illum ipſum Fridericum ſceleris ducem

LVDOVICI CARINTHII VIRTVS.

Digitized by Google

intuitus, neque quem appellaret, neque quibus ſe committeret habuit; auxilium ab infida manu poſcere, irritum; à propria, temerarium: potiùs tamen, quàm per ignauiam periret, tentare vltima, morémque gerere dolori ſtatuit. Ruit in confertos hoſtes generoſo impetu atque ad audaciæ famam valituro; quæ enim alia ſpes eſſe potuit vnius contra integrum exercitum dimicantis? captus ergo eſt & Saliſburgenſi in cuſtodiam datus. Auentinus Ludouico Othonem eius fratrem ſubjicit, & Albertum inſuper, qui filiorum Menhardi tertius fuit, cæſum affirmat. nos eos, quibus hæc proprio ſtudio perſequi curæ fuit, ſequi maluimus; ex quorum ſententia Otho ad vindicandam tam inſignem perfidiam à patre ſubmiſſus eſt, magno operæ pretio. Edita ab eo in proditores exempla crudelia quidem, ſed meritis debita. nonnulli equis illigati, iiſque in diuerſum irer concitatis, membratim diſtracti. Totis deinde viribus in hoſtem iturum Eliſabetha ſoror Alberti Auſtrij vxor inhibuit, verita ne nullus paci locus fratríſque liberandi fa-

SVPPLICIA IN PERFIDOS.

di facultas relinqueretur, ſi ad extrema ventum fuiſſet. Subinde Albertus domum rediit neque à pace abhorrens, ſi æqua offerretur; ſi iniqua, bellum præoptaturus. Welſij de finiendis diſcordiis actum eſt. Cætera conuenerant. Coniurationis Socij, quos fœdere comprehendi Otho BOIVS volebat, rem penè confectam diſiecerunt. Reſeruata ſcilicet ea gloria Ludouico Palatino in ſequentem annum fuerat; præſente enim, alienis in propria cauſa pacificatoribus eſt vſus; cuius rei neceſſitatem hic illi caſus impoſuit. Adolfus Cæſar Moguntino aliiſque Proceribus comitantibus ſecundo delapſus Rheno cùm Fürſtenburgum Ludouici arcem præterueheretur, de portorio ab exactoribus ignaris ſcilicet, quibus negotium faceſſerent, eſt ſolicitatus. cùm neque æs neque reſponſum acciperent, nauim ſagittis appetunt, quarum vna Cæſaris lateri adſidentem ſauciauit. Serò denique errore agnito miſſi, qui imprudentiam excuſarent, nihil æqui impetrarunt, jam obtuſis Cæſaris auribus, Moguntini criminatione Ludouicum

LVDOVICVS NVLLO MERITO SVO CÆSARIS GRATIA EXCIDIT.

MOGVNTINVS LVDOVICO INIQVVS.

inuidioſiſſimè traducentis, quaſi eius imperio telum miſſum eſſet, & vtique in Cæſarem, niſi ſua eum fortuna texiſſet. Nimirum hominem furiatæ mentis non coniugis tantùm ſed Cæſaris etiam cæde voluiſſe inclareſcere; nuper Inaugurationi eius aduerſatũ, nunc vitę inſidias ſtruxiſſe; quæ quia non ex voto proceſſerint, veniam erroris petere; nihil enim magis dolere parricidæ, quàm à Cæſare ferrum aberraſſe. Atrox calumnia fidem tamen reperit. Ludouicus hoſtis declaratus; in oppida eius impetus factus; Palatinatus Rhenanus ſacris Electoribus prædæ datus. Ludouicus pro ſe oratores ad Cæſarem legat Oetingenſem Comitem & Burggrauium Norinbergenſem. eorum auctoritas pariter & oratio ſpreta. vix Ludouico ipſi iuſiurandum ſanctiſſimis verbis cõcipienti, neque imperium neque conſilium ſuum in eo facto adfuiſſe, aures datæ, nimio faſtu, ſi vel ſceleris compertus fuiſſet. Turpiſſima Principibus eſt nimia credulitas; neque niſi in Tyrannorum auribus Delatoris quàm Rei vox ſuauiùs ſonat. quòd ſi de errore agitur, huma-

PROSCRIBITVR LVDOVICVS.

num eſt decipi; diffidentia ferè cum iniuria coniungitur. Iam ſi aliquid neſciendum eſt, tutiùs certa crimina ignores, quàm falſa credas, dignus qui tot hoſtes experiare, quot tibi ſuſpicione finxiſti inimicos. Quo magis ſuſpicienda Ludouici virtus fuit ſerenitáſque animi, quæ tantum abeſt, vt hac calumniæ nube hebetata fuerit, vt conciliandorum Cæſari Principum prouinciã vltro ſibi depopoſcerit, auerſurus ſine dubio fœdas ab eius capite tẽpeſtates, quæ paulò pòſt concitatæ ſunt, niſi vita in medio eum conatu deſtituiſſet. Numini nihilominus accepta voluntas fuit; útque conſtaret orbi terrarum, nihil eſſe pace quæſtuoſius, hoc ipſo anno in Haidelbergenſibus montibus venam auri Ludouico aperuit, magnum certúmque omen, ſæcula prorſus aurea reditura, ſi condito tandem bona fide ferro, alma pax in veteres ſedes velut poſtliminio eſſet reducta. BOIARIÆ tamen Auſtriæque, quas primum pacare aggreſſus eſt, otium reddidit, cum Henrico Ratiſbonenſi notiſſimo concordiæ artifice Linzium deuectus anno tertio supra MCCXCIII.

FELICITAS LVDOVICI. *Ann. Colmar.*

Chron. Salisb. Stero. Chron. Auſtr. Gerard. Roo. Auent.

LVDOVICVS AVSTRIÆ ET BOIARIÆ PACIFICATOR.

ſupra nonageſimum. Illuc præter Albertum Auſtrium, Othonem cum fratribus ſuis, Conradum Saliſburgenſem, Menhardum Tirolium communes cauſæ contraxerunt. Omnium æquè intererat, pacem eſſe. ingeniorum ferocia, & cura tuendæ Maieſtatis tumidum nomen moderatíſque conſiliis aduerſum, inutili contentione ſaluberrimum negotium diu ſufflaminarunt. Ludouicus in cauſam ingreſſus, quamdiu de communibus pacis commodis diſputauit, æquiſſimis auribus auditus eſt. ſingulos, quod neceſſe erat, aggredienti, examinantíque momenta partium, cauſas bellorum ad juris æquitatíſque leges reuocanti nemo ferè aſſenſus eſt. nimirum vt quiſque ſibi proximus, ita & amiciſſimus viuit. aliena conſilia impatienter, cenſuram impatientiſſimè ferimus; & primus fructus libertatis creditur, nulli reddere rationem factorum. Purum piúmque ſuum ſinguli bellum, arma neceſſitate ſumpta, videri volebant. Ambitionis inuidiam aut peruerſæ cupiditatis notam nemo ſibi aſpergi eſt paſſus: neque tam mollis vlla condi-

tio

Digitized by Google

tio ferebatur, quam non ſui tenaces iuris aſpernarentur, de quo ambigi, nedum præcerpi quidquam, nefas arbitrabantur. Ludouicus magno ex eâ pertinaciâ dolore affectus, ne, qui pacis ſanciendæ causâ venerat, cum odio abiret, operámque ſimul & amicos perderet, deſtiturus cœpto fuerat, niſi Eliſabetha Alberti coniunx maximo animo fœmina eadémque Ludouici ex ſorore neptis per amicitiam, communem ſanguinem, & qui vtroque potentiùs hominem vrgebat, Amorem patriæ obteſtata ad intermiſſam ipſum actionem retraxiſſet. Ibi Ludouicum conuocatis rurſus Principibus in hanc ſententiam dicere orſum accepimus. Veterem mercem diúque venditatam ad vos refero, Cognati Principes, nullo aduentitio cultu aut illecebra expolitam, ſed qualem antea faſtidiiſtis haud ſanè magno addictam; cùm tamen non diffiteremini, neque vobis neque quas regitis prouinciis ornamentum maius magíſque neceſſarium poſſe accedere; Pacem, inquam, maximum humani generis bonum, quam publicari per diuinos præ-

Lvd: pro pace pvblica perorat.

, cones Deus infans juſſit, palàm ſine fu-
, co, quo nullo eget, explicaui; quæque
mea infelicitas eſt, non reperi empto-
' rem. Id mihi, an vobis eſſe verecundiæ
' debeat, orbis judicabit; vtinam nullo
, veſtro incommodo! quando fere vſu
, compertum eſt, magno conſtare felici-
tatis contemptum. ei vos dare pœnas
' nolim, neque ſaturos aliquando bello-
' rum pacem fugitiuam ſero ſuſpirio re-
, uocare. Equidem jam dudum intelli-
, go, Alberte, te patre natum Cæſare, &
idem nomen, etiam auctore me, ſperare
auſum minora omnia ducere magnitu-
' dine animi tui, quæ hucuſque, ſi æſtima-
, re ea tute poſſes, haud parcâ in te manu
, Fortuna congeſſit. neque Othonis no-
, ſtri indoli iraſcor, ſi de anguſtia finium
querituꝛ, qui neque patris cupiditati
' ſuffecerunt. Quærite ſanè maiora, quàm
' in quæ nati eſtis, imperia: non ſum tam
, inimicus ſanguini meo & arctiſſimis ne-
, ceſſitudinibus, vt vos in quantumcun-
que faſtigium nolim creſcere. ſed quà,
' & vnde licet, creſcite: miſera gloriæ in-
' crementa ſunt, quæ alternis cladibus
' imputatis, actis viciſſim prædis, mutuiſ-

que

Digitized by Google

que ſpoliis felices infelicéſque. Pater tuus, Alberte, Habſpurgicam BOICAMQVE gentem velut vnam eſſe domum voluit, ſanguine confuſo. Mihi inde tibíque, Otho, coniuges, & quæ te, Alberte, tot liberorum parentem fecit, ſanguine materno noſtra eſt, vt arctiùs quidem nulla nos conceſſa fœdera potuerint illigare. Deſinite ergo pia veſtra bella dicere, & tantùm non fraternas acies jactare miſeri Duces, quorum neque triumphos plauſu, neque clades ſic acceptas bonus quiſquam gemitu, ſed execratione proſequendas putabit. Vlláne vobis tam dura pacis conditio offerri poteſt, quæ non præ hac ſæuitia & immanitate ſit amplectenda? Scilicet cùm ad condonandas mutuò iniurias vos hortor, & res in eum locum reſtituendas, quo ante ſumpta temerè arma fuerunt, immemor juris humani & iniquus arbiter vobis videor, malúſque æſtimator victoriarum; quas equidem fateor me non intelligere, neque hoc nomen vnquam imponere ſolitum erubeſcendis colluctationibus, in quibus amicus amico ſuccubuiſſet. Quin

Digitized by Google

tu potiùs, Alberte, veros tibi hoſtes depoſcis & cantanda poſteris prælia, dignáque honeſtiſſimis Germaniæ judiciis, quæ te nuper magno conſenſu patri optáuit in Imperio ſuccedere, doluítque fruſtratam ſe voto ſuo; ſiue fraus humana communes ſpes turbauit, ſiue veriùs diuinæ mentis conſilium interceſſit, quæ te poſt has tuas tam plauſibiles victorias noluit coronari? Neque dubitem aſſeuerare tuam quoque felicitatem, Otho, ad eundem ſcopulum illiſam, & coronam Vngariæ nuper imminentem capiti tuo, non alienâ inuidiâ aut leuitate retractam, ſed his tuis offenſam moribus reſiliiſſe; quæ tamen fortaſſe reditura eſt, vbi inter amicos hoſtéſque diſcrimen feceris, diceríſque vbi & quomodo gladio ſit vtendum. Hæc Principes audire ex Principe æquum fuit. Saliſburgenſis Antiſtes admoneri officij à profano fortaſſe non ſuſtineat; neque tantum mihi ſumo, conditionis memor, quæ me ab illo potius exempla ſanctitatis & præcepta petere jubet. Dabis tamen hanc mihi veniam, Præſul, ſi veteris tibi

Digitized by Google

officij memoriam refrico, quando te cum fratre meo, à quo itidem armatus diſſidebas, in gratiam reduxi, atque vt Müldorfium ditionis tuæ eſſet, effeci, haud ſanè eo conſilio, vt hanc mihi vicem redderes, fratríſque filium in communes amicos incitares; quibuſcum ſi quâ temporis iniuriâ colliſum animaduertiſſes, quiduis potius quàm claſſicum canere ſubijceréque iuuenili cupiditati faces, perſonæ tuæ ſanctitate dignum fuit. Nunc quoque, poſtquam eius laudis captandæ occaſio è manibus emiſſa eſt, adniti magnopere, ne proxima quoque te fugiat, nominis tui intereſt; cui fœdam maculam inuſſeris, ſi verè de te & præſens ætas poſteritáſque di cura eſt, Belli te quàm pacis auctorem eſſe maluiſſe. Magna, in hunc modum perorante Ludouico, animorum conuerſio facta eſt. profeſſi ſinguli, per ſe non ſtaturum, quo minus pax fieret. Ludouico gratiæ actæ, quòd difficilem primam aggreſſionem expertus de animorum ſuorum victoriâ non deſperaſſet. Controuerſiarum ei omnium arbitrium permiſſum, & ſumma ferendarum

LVDOVICVS PACEM INTEGRAT.

Digitized by Google

rum conditionum poteſtas, vt accepta ex illius ſinu pax proprium Ludouici munus iure optimo diceretur. Exempli vis, vel fortaſſe Ludouici Suada etiam Reges Bohemiæ Vngariæque ad finienda cum aduerſariis odia impulit. Atque hoc operum Ludouici publicorum vltimum fuit, digniſſimum in quo optimus Princeps deſineret, Triumphum, quem adornare pro meritis mortales non potuerunt, alibi acturus, fundatori pacis ob ſeruatos ciues debitum. Regreſſus in BOICAM minores cauſas ex ſententia Epiſcopi Ratiſbonenſis compoſuit, ſtudio tamen longè quàm antea exquiſitiore, ſiue à multo vſu doctior, ſiue tacitâ impendentis lethi præſenſione incitatus curis principalibus vltimam manum imponere cum gloria voluit. Homines Aris addictos ſacroſanctos eſſe pronunciauit; ipſos eorúmque bona ad ſanctius tribunal amandatos fori litigatorúmque iniuriis ſubduxit. Eorum violatores lata lege compeſcuit. Perniciosum ciuem tecto recipi fouerique vetuit. Incendiarios conquiri extrahíque ex latibulis, dimiſſis quaqua-

Chron. Auſtr. LVDOVICI VLTIMA FACTA.

Ex Archiuo.

ver-

verſum Corycæis, mandauit. Sagittarios, quos, per ſpeciem tutelæ, factioſi homines circumducebant in omne facinus promptos, à priuatorum comitatu ſubmouit; in ipſos, ſicubi cum telo vagarentur, animaduerti juſſit. Arma nonnulla latronum ingenio ad occultam excogitata vim aboleuit. aliáque plura laudabiliter ſtatuit ſaluis hodieque tabulis cuſtodita. Rebus in BOICA ſtrenuè compoſitis, Haidelbergam abiit, ibíque morbum contraxit, partibus, quas natura pudórque velant, vitiatis. preſſit dolorem verecundia Principis nudum aſpiçi ſe à Medicis non ſuſtinentis, donec malum neque celari neque curari potuit. Ergo animus ſanctioribus medicis permiſſus, in quibus F. Bertholdus D. Franciſci alumnus primas tenuit, aures præbere noxas explicanti ſolitus; qui etiam inter teſtes vltimæ voluntatis primo loco producitur in tabulis quarto Kal. Febr. anni nonageſimi quarti ſignatis. earum nos ſummam dicemus. Moſpacenſe caſtrum Emichoni Friſingenſi Antiſtiti redditor. Monaſteriorum Ædiúmque ſacrarum damna legiti-

EIVSDEM MORBVS.

TESTAMENTVM LVDOVICI.

Digitized by Google

legitimis piaculis expiantor. quæ in vaſtitatem ſolitudinémque abiere, pecuniis tributi nomine conferri ſolitis excoluntor. Fiſci Procuratores in annos quatuor proximos conticento, neque nummũ, quoad reſtituantur, exigunto: damna minutula aliquo tributorum laxamento cõpenſanto. Monaſteria Weſſenbrunnenſe, Thierhauptenſe, Biburgenſe, Monaſterienſe, Küebachenſe, Dieſſenſe cum agro eorum vniuerſo coloniſque, omnibus oneribus in totidem annos vacanto. Vdalricus Roremoſius noxæ, vxor eius Kunegundis & Vdalricus filius vinculis eximuntor. Ramungo Camerſtainio ablata reſtituuntor: quantum Fürſtenfeldenſi Cœnobio, vbi condi volumus, dari æquum ſit, penes Mechtildem optimam coniugem arbitrium eſto. Quæ juſſi rogauíque ſancta hæredibus meis ſunto; nihil mutanto, nihil demunto; ita mihi ſibíque propitium Numen velint. Extant his etiam antiquiores tabulæ anno ſeptuageſimo ſexto Batauis in procinctu conditæ, cùm Rudolpho ad debellandum Ottocarum Bohemum ſuppetias addu-

adduceret; quibus prædium Hettinshuſenſe Fürſtenfeldenſibus Monachis attribuit. Vectigalia Waſſerburgenſia & Monacenſia Publicanis locata, ſimul atque tempus, in quod ea redemerant, effluxiſſet, in ſacrorum Præſulum Tegernſeenſis, Eberſpergenſis, Benedicto-Burani, Miniſtri Fratrum Minorum per Germaniam, Guardianorum Monacenſis & Ratiſbonenſis, Fratris Caſtini, & ſi quos præterea vocandos in partem eius curæ cenſuiſſent, poteſtate eſſe iubet, annis omnino quatuor, quoad ſatisfieret omnibus, quibus olim incommodo fuiſſet. Arces ambigui iuris ad poſſeſſores priſtinos remittit, niſi recuperatores ob eam cauſam dati aliter pronunciaſſent. Noua denique vectigalia, citra Imperatorum auctoritatem conſtituta antiquat & extinguit. Sed nimirum eorum mandatorum partem ex bello reducem ipſummet executum eſſe veroſimile. Morti proximus annulum pronubum de digito detractum vxori Monachij tum agenti tranſmittit, amoris coniugalis fideique pignus. Kal. deinde Februarij viuere deſiit, in eodem con-

Chron. Fürſtenfeld.

MORS LVDOVICI.

claui,

claui, in quo ante annos ſexaginta quinque lucē primùm aſpexit, laudatiſſimus Princeps & ſine næuo futurus, ſi iræ potens manum à coniugis cæde abſtinuiſſet, Seuerus inde vulgò dictus, ſed atrocius haud dubiè nomen laturus, niſi vnicum crimen magnis virtutibus obruiſſet. Pietatem Boicæ gentis inſignibus auxiliis promouit,

ALIQVOT MONASTERIORVM ORIGINES.

Diui Franciſci Sodalibus Monachij & Ingolſtadij collocatis; quos Henricus Frater etiam Landishutam euocauit, cùm Diui Dominici familiam jam eodem introduxiſſet.

MONAST. ANGERANVM. *Luc. VVadding. 2. Tom. Ann. 1284.*

Angeranam D. Iacobi Ædem, quam F. Caſtinus è primis D. Franciſci diſcipulis & ſanctitatis prudentiæque nomine Principi percharus eouſque incoluerat, ſacratis Virginibus eiuſdem inſtituti tradidit. quaternæ patricij omnes ſanguinis eiúſque vrbis ciues primæ illud pudicitiæ aſylum aperuerunt conſecrarúntque.

COENOB. MONACENS. S. AVGVSTINI ET S. FRANCISCI.

Diui Auguſtini Eremitarum Cœnobium hoc ipſo anno, quo Ludouicus è vita exceſſit, filiorum eius auſpiciis cœptum; quos Emichoni Friſingenſi Antiſtiti cœmiterium luſtranti, eodémque die Franciſcanæ Ædis

aram

Digitized by Google

aram principem dedicanti honoris cauſa adſtitiſſe comperio. Incolæ Ratiſbonâ acciti, quò ante annos octodecim immigrarant, procurandæ Ædis causâ, cui vulgò Sancti Saluatoris nomen eſt, MCCLV.
illuſtri ortu & memoria digno. Diuinam hoſtiam vltimum ægro ſolatium deferens Sacerdos in Ponte Iudæorum dicto, fallente veſtigio, collapſus ſacrum ferculum effudit. conſternatum eo caſu neque ſatis compotem ſui Angelorum ſemper parata Regi ſuo manus ſubleuauit ſedula in legendo recondendóque cæleſti theſauro adiutrix. ſolum ipſum contactu Numinis ſacratum profano pede teri cælites noluere, illuſtrare noctibus eam vrbis regionem ſoliti, radiis ſacræ areolæ ambitum incingentibus. Admoneri ſe eo oſtento mortales arbitrati, vt locum excolerent, tumultuario opere Ædiculam ligneam impoſuere, cui paulo pòſt auguſtior è lapide ſucceſſit. Sacerdotes additi rem diuinam fecere Annis vndecim. Lites interim de loci tutela ortæ; quæ ne pietati officerent, conuenit, vt D. Auguſtini familiæ traderetur. Acceſſit paulo

And. Presbyter. Nicolaus Cruſenius.

MIRACVLOSA D. SALVATORIS ÆDES RATISBON.

Ppp pòſt

pòſt etiam alterum prodigium ipſum quoque ſacri horroris plenum. Sacrificantem de præſentia Numinis intempeſtiua dubitatio inceſſerat; ei coarguendo Chriſti in Crucem expaſſi imago brachium à trabe reſoluit, & calicem ambigēti eripuit, ne præſentis tantùm, ſed & Irati vim experiretur. Miraculi tot teſtes fuere, quot ſacrificanti adſtiterant; à quibus non modò in faſtos relatum eſt, ſed in feneſtra vitrea inſuper penicillo, in aulæo acu depictum hodie viſitur. Porro ante coloniam in vrbem ab Eremitis ductam, jam alia per BOICAM domicilia in eorum ditionem conceſſerant. Seemanshauſenſe inter Rotam & Vilſam amnes, & Speciosæ Vallis à D. Guilhelmi Sodalibus antehac habitata, qui Leonis Ratiſbonenſis Epiſcopi auctoritate ſe ſuáque Auguſtinianis permiſere. Ab iiſdem etiam Viepachium leges accepit à Berengario Leonbergenſi Comite ad Iſaram flumen pro ſacratis Virginibus conditum, BOIARIÆ Ducibus Othone, Ludouico & Stephano FFr: non modò pio operi fauentibus, ſed ſuam in id ſymbolam

MIRACVLVM IN SACERDOTE SACRIFICANTE.

COENOB. SEEMANSHVSANVM, ET SPECIOSÆ VALLIS. *a. 1261.* VIEPACHIVM.

largè conferentibus: quam etiam Henricus Pfolingius claræ inter Boios nobilitatis ad Gotzellenſis Cœnobij fabricam dotémque impetrauit, eodem, quo Ludouicus obiit, anno. Id Cœnobium D. Bernardo ceſſit; vti & Fürſtencellenſe, cui per Hartvvicum Batauenſem Canonicum & Scholaſticum cœpto Henricus horum Principum pater vltimam manum impoſuit. D. Norbertus S. Saluatoris Monaſterio à priore haud longè remoto auctus eſt. Bernardus & Fridericus Fratres id moliti ſunt; Albertus Halſius Dynaſta opem tulit; Bernhardus Batauenſis Epiſcopus dicauit, & normam viuendi præſcripſit. Iam etiam Militaris Ordo Teutonicorum Equitum, quinto decimo ante Ludouici mortem anno, ſedem Gainkouæ accepit, Bernhardo Leonbergico Berengarij, quem ſuprà nominaui, fratre ſuam illis arcem attribuente. Vetuſtius eſt Pluementalenſe domicilium, incertum an ex BOIARIÆ Principum, an Bertholdi Schiltpergij dono, de Ratiſbonenſi ad S. Egidium appellato ne conie-

GOTSZELLENSE MON.

FÜRSTENCELL.

a. 1276.

A. 1289.

S. SALVATORIS.

GAINKHOVA TEVT. EQVIT. SEDES.

Hund. in Stemm.

PLVEMENTHALIVM.

S. ÆGIDII RATISB.

Digitized by Google

ctura quidem ſupereſt, cuius liberalitati ſit imputandum. Sed de his hactenus.

RVDOLPHVS ET LVDOVICVS FFRR. DVCES SVPERIORIS BOIARIÆ.

IV. Ludouico Fürſtenfeldæ, Epiſcopis Friſingenſi, Ratiſbonenſi & Aichſtetenſi parentãtibus, tumulato, pax eius opera ſancita diuturna non fuit. Id Saliſburgenſis Antiſtitis culpâ factum, ſuapte cupiditate & mentientis famæ ludibrio ad reſumenda arma impulſi. Albertus Auſtrius venenum inter epulas hauſerat malignum inprimis & inteſtinis confeſtim tormentis proditum. Nec color Principi, nec vox, fugiente anima, conſtitere. Ingens trepidatio orta &, incerto ſceleris auctore, liberæ ſuſpiciones: quibus ne Bucchaimij fratres Fridericus & Albertus menſæ proximi defigerentur, vltro in dapes inuolant, nullâ vitæ curâ, dummodo fidem probaſſent. Non tulit periculoſam audaciam Albertus, & commendabili humanitatis exemplo teſtimonium innocentiæ illorum impartitus vetuit eos peſtem

ARMA CONTRA AVSTRIVM VENENO APPETITVM RESVMPTA. *Chron. Auſtral. Argentinas. Reo.*

peſtem vorare. Medici ad curam corporis vocati ægrè admouere ſemianimi manus, diffiſi pharmacis vt moram exigentibus, & niſi venenum, priuſquam intimis conciperetur venis, diſcuterent, fruſtra futuris. Res modica ſaluti fuit. Attractum pedibus prono capite penſilem faciunt. ita venenum à corde auerſum, quà ingurgitatum fuerat, vomitu rediit; vnà tamen oculus extillauit,& mortualis pallor fœdauit vultum, animi vigore integro & ſine iniuria virium. Fama nihilominus illum pro mortuo diſtulit, quàm ingrata plebi, tam accepta optimatibus. Iam Sueuis familiariùs ab Alberto, quàm ferri poſſet, cultis inſultabatur, ipſos quoque, ad exemplum Principis ſui, euomituros tandem, quas nimis intemperanter hauſiſſent, Auſtriæ opes. Coitiones factæ Crembſæ & Stokerauij velut de ordinanda Republica, ne tum quidem intermiſſæ, cùm de valetudine Principis certiores nuncij allati ſunt. Vna omnium vox fuit, etiam alteram peſtem, Sueuos ex animo prouinciáque ejiciendos aut ſanè fruſtra Albertum con-

ALB. CVRATIO.

INVIDIA PRINCIPI CONFLATA PROPTER EXTEROS FAMILIARIVS CVLTOS.

Digitized by Google

valuiſſe; alios ipſum amicos, aut alium ſe Principem habituros. Interim Saliſburgenſis ſiue coniuratorum literis, ſiue præſentium ſpe commodorum impulſus expeditam manum, equites centum, peditum leuis armaturæ duo millia in Alberti Prouincias emittit, inſolitâ hiemis clementiâ mirificè cœptis fauente. Peruij reptantibus montes & inſidiis opportuni, vtique aduerſus incautos metúque vacuos, recenti adhuc fœdere & nulla iniuria violato. Ita Salinis duabus euaſtatis, Tronauia ciuitas nouum Alberti opus incendio corruptum, inſigni etiam in poſterum damno. Albertus, confirmata valetudine, ardebat in vindictam, neque alia eum res, quàm ciuium perfidia, quibus ſalutem ſuam credere dubitabat, morabatur. ergo ex illa ipſa, quam adeò malè oderant, Sueuia, amicos euocat. ij venere frequentes daturi operam, ne fruſtra Auſtriis eſſent inuiſi. Domiti primùm rebelles. Falkenſtainius regulus fortunis omnibus exutus patriáq; exactus eſt. In BOICAM deinde per Stiriam tranſgreſſis aduerſa omnia euenere.

SALISBVRGENSIS ANTISTITIS MOLITIONES.

ALB. DAMNA ILLATA IN AVCTORES VINDICAT.

Rat-

Ratſtadium bimeſtri & amplius circumſeſſum, nullo operæ pretio. Fortiſſimi BOIORVM auxilio ſubmiſſi, pro mœnibus oſtentantes ſeſe neminem ſubire propiùs ſunt paſſi. Aderat Antiſtes ſpectator virtutis ſingulorum hortatórque, nulli vt ceſſare, nulli ignauo eſſe liceret. Neque trahi obſidio poterat, inualeſcente in caſtris fame indomito malo & ſupra omnes hoſtes formidabili. Denique etiam Otho imminebat jam Saliſburgi cum recentibus copiis viſus, circumſeſſurus obſidentes, ſi aduentum eius expectaſſent. Igitur conclamata properè vaſa, & ad tegendam fugæ ignominiam retrò in Vngariam ad ſubleuandum Andream Regem Alberti generum itum. Ibi rebus ex ſententia geſtis, vltro Ducem Epiſcopúmque de pace appellauit, ſuorúmque querelas, Sueuis in patriam remiſſis, ſopiuit. ſed hæc ante ſequentem annum non contigerunt. Ad priorem Rudolphi nuptiæ & paterni Principatus cum Ludouico fratre inſtituta diuiſio pertinent. verùm huius vt vitioſæ & poſterioribus annis, Ludouico jam adulto,

BOII CONATVS ALBERTI ELVDVNT.

PAX RESTITVITVR.

RVDOLPHI PRINC. CONIVGIVM.

Digitized by Google

correctæ, meminiſſe nunc ſatis fuerit. De connubio cum Mechtilde Adolfi Cæſaris filia ineundo, proximo ſtatim à parentis morte menſe, actum. Pridie Idus Martij decem *Marcarum* argenti millia dos Vlmæ à Cæſare filiæ dicta. Nuptias Octobri Menſe Norinbergæ confectas; ſocerum deinde à genero in ſubigenda Miſnia adiutum, Auentinus eſt autor. Anno nonageſimo quinto Adolfus poſt Paſchales ferias Ratiſbonæ fuit, componendæ diſcordiæ causâ, quæ inter vtrumque ordinem exarſerat. Ciues nouis vrbem munimentis firmaturi cùm æs viritim contuliſſent, ſua quoque ſymbola ſacratos viros & Religioſa domicilia popoſcerant, quòd æquè eorum bonis tutandis noua molitio eſſet profutura. Contrà violari immunitatem ſacroſanctam Eccleſiaſtici vociferabantur, fœdere inter ſe inito, communem cauſam communibus copiis viribúſque, ſi vis pararetur, tutaturi. ſemina jacta erant inteſtini fœdíque belli, cùm prorſus in tempore ſuperuenit Adolfus, appellatúſque ab Henrico vrbis Epiſcopo litem ſecundum Friderici

Ex literis Adolfi Cæſaris.

MCCXCV. *Stero.* RATISBONENSES TVRBÆ COMPOSITÆ.

Extant tabulæ fœderis apud Gevvoldum in Metr.

rici

rici Imperatoris tabulas, quibus Sacerdotij libertas firmata eſt, dedit; útque conſtaret non noui juris conditorem eſſe ſe, per Henricum Brixinenſem Epiſcopum Auguſti ſanctionem jam vulgò receptam probatámque vſu recitari civibus publicè juſſit; qui contrà tendere non auſi propoſito deſtitere, ærario ſacro priuatíſque ſacerdotum opibus intactis. Ea victoria Ratiſbonenſem Epiſcopum ſacro Ordini multò arctiùs devinxit; vita vltra annum prorogata non eſt; ſequenti, qui nonageſimus ſextus fuit, ad cælum abiit: ita ſperare nos & loqui inculpati mores viri & ad primæuæ ſanctitatis exacti normam cogunt. Vita illius omnis mortis meditatio fuit, ad cuius ineuitabilem neceſſitatem inuſitato ſtudio vires collegit & robur. Quotannis ſibi parentari viuo juſſit, nulla re prætermiſſa in luſtis Pontificiis vſurpari ſolita: ſacris ipſe adſtitit, leſſúmque ſibi cantantes audiuit non aliter, quàm vt viui hominis vmbra. Tumulum duodecimo, quàm illum ſubiret anno, aperuit & præ palatio amauit, velut propriam domum & liberam cu-

A.mccxcv.

Henricvs Ratisb. Ep. Sanctitatis exemplar moritvr.

Eberhardus.

Apparatvs ad piam mortem.

Digitized by Google

ris. Sandapilam & reliquum funeris apparatum nunquam amoueri ex oculis ſuis eſt paſſus, ad illud ſe ſpeculum identidem componens, atque, vt breuiter dicam, quotidie efferens. D. Iacobi, ſub cuius tutela erat, natali ſacris operatus, epulatúſque cum amicis ſobriè, ſub veſperum mortis jam familiariter ſibi notæ ſigna primus deprehendit, artíſque jam diu exercitæ ſpecimen ſequenti die daturus hilari vultu viuere, vel veriùs mori deſiit, & poſteros vtrumque docuit, maximus vir & comparandus cum optimis, etſi meliore ſeculo vixiſſet. Diuinas laudes cantantibus ſuauiores modulos dictauit, euocatis ex Hailsbrunnenſi monaſterio Symphoniacis, qui Muſicæ ruditatem corrigerent. In Monaſteria vtriuſque ſexus cenſuram ſeuerè exercuit, obire ipſe per ſe ſingula, penitúſque inſpicere ſolitus, veréque ſentiens, eum, qui alienis auribus oculíſque omnia credit, atque ad res agendas os manúmque aliunde mutuatur, nihil à ſtatua differre, cui dignitatum infulas ferenti magnum nomen ſubſcribitur cum iniuria veritatis. Eius

RELIQVA EIVS OPERA EGREGIA.

con-

conſilio precibúſque inducti Boiariæ Principes teſtamenti factionem Sacerdotibus indulſere, cùm antehac, fœdo improbóq; more, Prætores Præfectíque Prouinciales mortuorum bona diriperent. Si qui ab inteſtato deceſſiſſent, tum quoque profanis ſubmotis ad arbitrium Epiſcopi cuncta recidere voluerunt. Iidem cùm æris alieni causâ tributum imperaſſent, vt ſacerdotes immunes eximiíque haberentur, Henricus effecit ſemper ad eorum commoda intentus, amantes viciſſim ſui & memoriæ ad poſteros propagandæ ſtudioſos expertus; quando ne id quidem in acta publica referre omiſerunt, quòd Epiſcoporum primus vinum Italicum, ſiue, vti ipſi appellabant, Latinum ſtatis temporibus Canonicorum Collegio propinârit, rem lautam ſcilicet ea tempeſtate, nondum ita vulgatis commerciis, minúſque delicatâ gulâ. ſed id haud dubiè in eius laudibus præcipuum, quòd pacis publicæ auctor & cuſtos, quoad vixit, Principibus ipſis Patris loco, patriæ pro tutela fuerit. Eodem ferè tempore Ludouicus Princeps Othonis

Extant literæ ap. Hund. in Metr. lit. K. L.

& Ste-

& Stephani frater deceſſit annorum viginti ſeptem, ſine hærede. Henrico in Pontificio Conradus Luppurgius Kal. Auguſt. ſucceſſit haud impari virtute, mitiſſimo ingenio vir, cuius admiratione moti familiares alterum eum Moyſem appellitarunt. Nunc Rudolphi res inſpiciamus. Cæſar VIII. Kal. Iulij ad ſe Principes euocarat. pleriſque parentibus Tirolij fratres Ludouicus, Otto & Henricus Filij Menhardi nuper defuncti & in Stamſenſi Cœnobio, quod ipſe condiderat, tumulati, imperium detrectarunt. Peruicacia ingenij & Regiæ Maieſtatis contemptus eos domi tenuit, & nonnullus etiam metus dicendæ cauſæ, cui diffidebant. Ratenbergam vrbem Oeno impoſitam parenti à Ludouico Rudolphi patre oppignoratam, quanquam repræſentatâ pecuniâ, reddere grauabantur. ſententia nihilominus contra abſentes lata, datúmque Rudolpho negotium res ſuas armis repetendi. Id bellum ferè intra apparatum ſtetit, nullo maiore damno, quàm quòd Monachi Matronæ Montis, qui vulgo S. Petri dicitur, militari inſolentia jactati locum

Auent. Hund. in Stem.

RVDOLPHVS BELLVM IN TIROLIOS PRINCIPES PARAT.

locum deſerere ſunt coacti. Ex iis Conradus Hornſtainius ſacrorum rituum librum cum Diuorum oſſibus in Andecenſem Montem attulit, & rei geſtæ memoriam ſua manu conſignauit, nullâ Tiroliorum fratrum memoriâ, ſed Comitis Surbergij, cui cum Rudolpho inimicitiæ interceſſerint: niſi fortaſſe Tiroliorum eum Clientem facimus auto copiarum Ducem, quem vt auctorem exilij ſui Monaſteriique euerſorem Conradus offenſus impietate hominis ſolum putauerit nominandum. Bellum, quod conſtat, in Auguſtanos verſum, Wolffhardi Epiſcopi odio, qui Kaltenpergenſem arcem Rudolphi opus nuper ſolo æquauerat. Id ne impunè ferret, Rudolphi juſſu, Conradus Haldenbergius Mergethauiam arcem improuiſus adoritur, occupatámq; etiam aduerſus Auguſtanorum inſultus egregiè tuetur. Rudolphus maiora animo voluens juſtum exercitum comparat, ſed, quia ſtipendia deerant, rapto victurum. ſic data ſceleribus licentia; ſublatum inter ſacra profanáque diſcrimen; ſacrilegia furtis confuſa; amici hoſtilia

Chron. Montis Andecenſis.

RVDOLPH. ARMA IN AVGVSTANOS VERTIT.

paſſi;

paſſi; nemo tutus, niſi quem rerum omnium inopia auaritiæ ſubduxit; miſerrimi, quibus plurimum erat, quod eriperetur. Finem malis imperium Cæſaris impoſuit jure apud ſe diſceptare partes cogentis, induciis ad Idus Nou. indictis: quæ antequam exirent, Rudolphus ex Haſſia, quò cum ſocero abierat, reuerſus Mergethauiam diriui juſſit, ne ab hoſtibus olim recepta veteribus maleficiis præberet occaſionem, BOIARIÆ prædonum receptaculum, quemadmodum antehac, futura. Eunt in orbem iniuriæ & mutuis vicibus accenduntur compenſantúrque. Mox enim finitis induciis, eandem cladem Oberthala BOIORVM paſſa eſt, Henrico Burgauiæ Marchione & Zorniis Regulis Epiſcopi partes ſuſcipientibus. Rudolphus aduerſus nouos hoſtes nouas vires comparandas ratus Patrueles ſuos Othonem & Stephanum auxilia poſcit; quæ dum Stephanus ſub ſigna cogit adducítque, Auguſtani Zorniíque Fridbergam à Rudolphi patre Ludouico conditam tentant: ſpe potiundi amiſſa, furorem in agrum effundunt, nullo iniuriarum

RVDOLPHVS CVM HENRICO BVRGAVIO COLLISVS.

riarum genere abſtinentes. Idem à Boiis ſtrenuè factitatum; æquatæ vtrinque jacturæ prædæque ambabus provinciis exitiales, paucos priuatim locupletaturæ. Sed imminebat maior Suevis pernicies, Boico milite jam Küſſingam adducto & ſub ſignis expectante imperia Ducum, niſi Cæſar furori modum in tempore ſtatuiſſet, Auguſtanis auxilio ſe futurum minitans, nî ab eis vexandis Duces deſtitiſſent. Ergo iterum poſita arma ſunt; induciis ad Kal. Ianuar. pactis. breue laxamentum fuit, velut ad colligendas iras acuendáſque conceſſum otioſis. Exitus id docuit; Auguſtanis paulo pòſt Pyelam oppidum, quod Wildenrodiæ familiæ inter Boios nobilis fuit, ex improuiſo adortis, direptúmque inflammantibus. Id condonari non potuit. graui tamen errore factum eſt, vt non in ſuos auctores vindicaretur. Wildenrodij culpam in Rorbeckhios veteres æmulos deriuabant, facturíque ſibi parum viriliter videbantur, ſi dolorem ſuum aliter, quàm ſanguine extinguerent, aut causâ in forum deductâ, aliena arbitria expectarent.

MCCXCVII. NOVI TVMVLTVS.

rent,

rentur. Conradus Haldenbergius Wildenrodij patruelis vindicem ſe pro amicitia profeſſus Weinhardum Rorbeckhium Landſpergæ in publico Procerum cõuentu, quo de indicendo Auguſtanis bello agebatur, cum globo ſicariorum adoritur, circumfuſúmque tot infeſtis manibus in veſtigio obtruncat, eadem vi, qua ſibi ad ſcelus viam parauerat, ad fugam abuſus. Diu nihil atrocius BOIARIA viderat; in ſacroſancto gentis comitio, in oculis totius nobilitatis, fortiſſimum virum, dum maximè ſaluti patriæ conſulit, ſuam tueri nequiſſe; & contra externos hoſtes præſidia conquirentem domeſtica crudelitate cecidiſſe. Expoſitum ciuium oculis cadauer ſuo ſanguine vulneribúſque fœdum obibant concionabundi amici atra veſte lacrymíſque ſqualidi; qui etſi vocem nullam miſiſſent, accenſuri tamen hominum erga ſe ſtudia, aduerſus latrones odia, pietatem in occiſum fuerant. Iactabantur in Wildenrodium nomen vniuerſum diriſſimæ execrationes. ſæuitum in corpora pariter bonáque fuiſſet, ſi vel in publico eius ſanguinis quiſ-

CÆDES ATROX PVBLICE EDITA, & VINDICATA.

Digitized by Google

quiſquā apparuiſſet, aut Rudolphus ad cognoſcendam cauſam in BOIARIAM redire diſtuliſſet. Eius aduentu remiſit furor. dicta Monachij partibus dies; euocatus eodem Friſingenſis Epiſcopus Emicho ad conciliandam iudicio maieſtatem. Rorbeckhiorum gens tota cum neceſſariorum & clientum cateruis adfuit, non cauſæ modò ſed cauſidicorum etiam bonitate nixa. veſtis occiſi multis crudelitatis veſtigiis inſignis explicata in oculis Principum oratoris querelas animabat, dabátque populo, quos vellet, affectus, eóſq; tantò acriores, quò deſertior Wildenrodiorum cauſa fuit, nemine patrocinium ſuſcipere auſo. Affines culpæ exilium ſibi conſciuerant in Italiam profugi. Solus Conradus fretus innocentia, arciúmque munimentis in patria latuit commiſſurus ſe judicio, ſi cautum ſibi eſſet, inſonti alienum crimen fraudi non fore. accepta fide publica in concilium venit, fruſtra occupatis animis ſuaſurus à ſocietate pariter conſcientiáque ſceleris ſeſe abfuiſſe. communi inuidia oppreſſus patria boníſque exutus eſt. Kal-

Digitized by Google

tenberga caſtrum hæreditarium, Lechſperga pignori à Principibus tradita Rudolpho ceſſere; ipſe ſolum mutauit. Rorbeckhij, vt exulibus ſpem quoque ad priſtinas redeundi fortunas eriperent, Kaltenpergam Reichershofio permutatam immigrarunt, odij nondum exſaturati reliquias in eorum clientes effuſuri, donec iniuriis obſaturatos exactóſque agris per municipia ſparſere immemores humanitatis, vnúmque funus nimis prolixè vlti. certè cùm ad innocentes vindicta peruenit, etiam nocentum cauſa facta melior eſt, valuítque ad miſerationem ſæuitiæ acerbitas. Wildenrodij paulo pòſt reſtituti ſunt; & Conradus, quem vltimò nominaui, ab exilio ad præfecturam Palatij aſcendit Numinis manu ſubleuatus amantis has viciſſitudines earúmque metu continentis humanam inſolentiam; quo etiam illud alterũ ſpectaculum pertinet, quod Otto Crondorfferus repentè ex fortunato infeliciſſimus, eadem tempeſtate BOIARIÆ vniuerſæ præbuit. In re anguſta natus omnéſque opes ſuas ingenio circumferens, illo ſibi viam in aulam

INSOLENTIA PALATINI MINISTRI DOMITA.

Digitized by Google

aulam patefecit, orſúſque ab humilibus obſequiis, fidei induſtriǽque laudem ex omnibus tulit, obſcuris quoque muneribus ſplendorem dare doctus, magnus nimirum etiam in vili materia artifex. Non alio præterquam ſeipſo vſus patrono gradatim ad ſummos honores ſine ambitu euectus, vnam omnium incrementorum cauſam habuit, quòd priora quæque meritis ingeniόque inferiora viderentur; adeò quidem, vt cùm proximum à Principe locum occupaſſet eius vicarius, ſiue appellatione vulgi Vicedominus, vix ſatis honorata viri virtus crederetur. Sed quod factum minimè oportuit, amiſsâ creſcendi ſpe poteſtatéque, etiam virtus conſtitit; velut lampadem extingui neceſſe eſt, vbi oleum affundere deſieris. Succeſſere virtutibus æquè magna vitia, graue ſupercilium, ſuperbæ aures, & non modo plebis, ex cuius fece nuper emerſerat, ſed nobilitatis etiam faſtidium; quod vbi confirmatum eſt, ipſis par ire Principibus, crederéque non minus ſuis conſiliis, quàm illorum auctoritate Rempub. niti. Eò denique erupit, vt

VIRTVS IN VITIVM DEGENERANS.

Mechtildem cum Rudolpho filio, lites inter vtrumque ſerendo, committeret iniquus rerum omnium interpres, venali lingua, idémque aſſentator calumniatórque. Id ei ſtudium in perniciem vertit, pro geminâ gratiâ duplex odium commerito. Matris filiíque manibus è ſummo faſtigio detractus in vltimam infamiam præcipitauit, & Dachauij fortunæ minus, quàm decebat, reuerenter habitæ pœnas dedit, oculis, quibus cæteros deſpexerat, erutis, & procaci lingua, quam in Principes ſtrinxerat, abſciſsâ nulli miſerabilis, cùm omnino omnes offendiſſet, & veterum meritorum memoriam intolerabili faſtu induxiſſet.

VLTIO IN DISCORDIARVM SATOREM EXERCITA.

Hic erat rerum in prima BOIARIA ſtatus, cùm in ſecunda Ratiſbona per Othonem & Stephanum fratres oppugnaretur. cauſæ in obſcuro ſunt. ob violata iura, quæ Principibus, vrbe Imperatoribus ſubditâ, plurima relicta ſunt, ad vim ventum conjicio. Oſtenſum peruicacibus, quàm neceſſarium iis eſſet propitios habere veteres Dominos, è quorum agro cùm penum inſtruant, ſanè clauſis BOIARIÆ granariis viiſque, per

RATISBONA OBSESSA.

Eberhardus.

per quas propolæ frumentarij commeant, interceptis, eſurire velut in cauea deprehenſos neceſſe eſt. Nihilominus ante famem feroces, eruptione facta, Abacenſe oppidum exuſſere, modico iræ, non item inopiæ lenimento, qua multò deinde inclementiùs preſſi ſunt, donec Conradus Epiſcopus malis edomitos cum Principibus in gratiam reduxit. Porrò operæ pretium fecero, ſi antiquorum Iurium ſumma capita, quæ poſt Henrici Superbi proſcriptionem, deuoluto ad Wittelſpachios BOIARIÆ Principatu, & Ratiſbonâ inde auulsâ, ſalua integráque in vrbe vel ſolis Ducibus, vel cum Epiſcopo communiter poſſidenda remanſere, ex tabulis Rorbeckhianis exſcripſero, quæ ducentis ferè, à mutatâ Reipub. forma, annis vernacula lingua ſed oppidò rudi & horrida conceptæ illius æui conſuetudines ad nos tranſmiſere. Sunt autem, quantum aſſequor, huiuſmodi. BOIARIÆ Dux Prætorium Ratiſbonæ habeto. illic Babenbergenſi, Saliſburgenſi, Friſingenſi, Aichſtettenſi, Auguſtano, Batavenſi, Brixinenſi Antiſtitibus actionem

VETERA BOIARIÆ PRINCIPVM IVRA IN VRBE RATISB.
Ex Metrop. Saliſb. Geuvoldi.

Qqq 3 dato

dato & jus dicito. Quarum rerum litiúmque cauſâ Romanum Regem adiri ſolenne eſt, earundem decidendarum componendarúmque poteſtas penes Principem eſto. In ciuium Ratiſbonenſium cauſis nemo externus Iudex aſſideto. Ciuis ſui aduerſus peregrinum cauſam ciuis ne audito, ne judicato. Hebræorum genti, præter Principem, alium Iudicem Rex ne dato. Comitatus Caſtellanus ſeu *Burggrauionatus* Principis beneficium eſto; quemcunque volet, inaugurato. Tribunal pacificatorium, Prætura vrbana, Tribus ceruiſiam coquentium, minora vectigalia eidem contribuuntor. Honoraria officia, quibus oportet, dato. Palatinus à Dapibus, Halſenſis Comes à Camera, Hirſpergius à Poculis, Ortenbergius *Mareſcallus* ſunto. Comiti Prouinciali & Palatino Roucalenſi ſuas in judicando partes tradito. Præfectus Oſtenſis in focum Principis ligna cædito & comportato. Aream regiæ eiúſque officinas & porticus nemo, qui mercaturam aut ſcrutariam facit, occupato. ligni ſtruem illic nemo

Digitized by Google

nemo ſtruito, néue aliud quidquam
aceruato. Vicorum ſpatia nemo con-
trahito. Principe vrbem obeunte,
Burggrauius pompam eques ducito.
haſtam velitarem oblongam trāſuerſa-
riam præ ſe ferto; quidquid cuſpide, vel
extremo haſtili contactum fuerit, eius
demoliendi ſubmouendíque jus eſto.
Lictor intra domum viri nobilis nullo
pretio locatam pedem ne inferto. Ciuis
in jus vocatus, vbicunq; fundus eius ſi-
tus eſt, compareto; litem tamen pecu-
niariam extra vrbem ne conteſtator.
Argenti flandi ſignandíque jus, vectiga-
lia maiora penes Principem & Epiſco-
pum ſunto. De vectigalibus, præter-
quam apud collectorem, nemo diſce-
ptato. Argentum rude factúmque, niſi
in ſacra cimelia aut ornatum abaci cul-
tùmque corporis, nemo præter Socios
Monetales coëmito; hi quoque de em-
ptitio rationem triumuiris menſariis
reddunto. Epiſcopo mortuo, Princeps
pecuniam, etiam per interregnum,
quantam volet, ſignato. Ex his cùm
nonnulla æquo jure Principem Epiſco-

Digitized by Google

púmque reſpicerent, naſci lites neceſſe fuit, & verò etiam bella, donec primis huius ſeculi, quod nunc propè ad finem deduximus, annis, Ludouicus, qui ex Wittelſpachiis primus hoc nomine BOIARIAM rexit, cum Conrado Frontenhuſio vrbis Epiſcopo congreſſus priuatum jus condidit & veluti normam, ad quam deinceps controuerſiæ exigerentur finirentúrque; ex eo nonnulla capita publicamus.

DECLARATIO IVRIVM EPISCOPO ET PRINCIPI COMMVNIVM.

, Vtrique in clientes ſuos
, jus ſummum eſto. ſuppetias, vbi vſus
, fuerit, mutuò ferunto; communis ope-
, ræ communia lucra ſunto. Æs multa-
, titium, quo rixarum duellorúmque in-
, ſolentia luitur, æqualiter diuidunto.
, Forum nundinarium ſimul aperiunto,
, & rerum promercalium precium ſta-
, tuunto. Quibus rebus viatoribúſque
, præſidium adiungi oportebit, vterque
, adiungito; id ſi mercenarium fuerit,
, quæſtum partiuntor. Familiarem clien-
, témue neuter ab altero ingratiis abdu-
, cito; deſertorem & profugum ne foue-
, to. Inter vtriuſque familiares libera
, coniugia ſunto; inde prognati diuidun-
, tor. Qui ad Epiſcopi imperium ditio-

nem-

Digitized by Google

némque pertinent, acceptam à ſubie-
ctis Principi iniuriam ſuo Marte ne vin-
dicanto; hi viciſſim à Pontificiis læſi ju-
re agunto. ſui ipſius vindex cauſa cadi-
to, & ſecundum damni, quod fecerit,
æſtimationem, dupli condemnator. Iu-
dicibus parere recuſantem Princeps pa-
triâ, Epiſcopus Sacris arceto, proſcri-
ptum menſa hoſpitióue niſi in vnum
prandium noctémue nemo dignator.
Vadatus intra ſeſquimenſem vadimo-
nium obito. Monetam Princeps nouam
ne ſignato; ſignata ſi fuerit, Epiſcopo in-
tercedente antiquator. Porrò tanta
cum eſſent jura Principum Epiſcopo-
rúmque in ea vrbe, exilem & acciſam
Reipub. fuiſſe potentiam neceſſe eſt,
nec quantam nominis dignitas pollice-
tur. Fridericus demum Secundus ſplen-
doris aliquid, datis Priuilegiis, eò inue-
xit, effecítque ne fruſtra ciues libertatis
titulo gloriarentur. Eorum potiſſima
huc exſcripſimus. Prouocatis ad duel-
lum, vſitato illius æui more, detrectan-
dæ aleæ, citra infamiam, facultas data, ſi
innocentiam calumniâ appetitam duo-
decim teſtibus adductis probaſſent. De-

Priuilegia ciuibus Ratisbonensib. a Friderico II. indulta.

latos de perduelli aut quocunque perniciofo ciue ſub tectum recepto, eáque propter domus ſuæ ruinâ multandos periculo exemit, ſi vnum treſue in judicium pro ſe teſtes adduxiſſent. Spolium aut pignus capi ex ædibus cuiuſcunque ciuis, niſi ex ſententia magiſtratus vrbani, vetuit. Mortuorum bona libidini creditorum patere noluit, ne Principibus quidem facta poteſtate res ſuas aliter quàm jure repetendi. Ciuem cum ciue in ſuo foro juſſit contendere; extra vrbem, contempto prætore vrbano, diſceptantibus decem argenti pondo multam dixit. Vindicias ſecundum ſeruitutem decerni in eum prohibuit, qui decem annis pro libero ſe geſſerit. Ciui Dominium rei bona fide poſſeſſæ decem annorum præſcriptione acquiri pronunciauit. Ædificia intra vrbem denos pedes à mœnibus, extra mœnia totidem à foſſa ſubmouit; legis contemptorem ciuibus addixit; ſtructuram publicauit. Principi in vrbe jus dicturo reſpondere ciues vetuit, ſi alios præterquam ciues judices in ſuam cauſam dediſſet. Publicam juriſdictionem Burggrauio

grauio nomine Principis, & Aduocato Eccleſiæ pro Epiſcopo ter duntaxat in annos ſingulos permiſit; extra id tempus proſcribendi ciuis facultatem iis ademit. Ad examen monetæ ter quotannis ciues admitti juſſit, vitiúmque, ſi quod deprehenſum eſſet, ex eorum arbitrio corrigi. Magiſtratum proprium, ad quem cauſæ nundinariæ extra vrbem ortæ referrentur, creari prioribúſque adjici eſt paſſus. Bona ciuium niſi pro ciue opponi pignori capíque prohibuit; ſed ne pro ciue quidem, niſi denunciata cauſa & Prætore fruſtra appellato. Beneficiarios etiam dominis mutatis poſſeſſione ſuâ deturbari noluit, modò in clientelam poſterioris tranſiſſent. Ciuem naufragum qui ſpoliaſſet, hoſtem Imperij judicauit. Eum qui emenda vendendáque merce cum ciue contraxiſſet, vectigalem eſſe pronunciauit, Clericis duntaxat immunibus. Homines factioſos plebis concitatores, qui aſſeclas ſibi ſtipatoréſque comparaſſe comperti eſſent, argento damnavit, iis nihilominus, qui ſtipendium accepiſſent, à ſacramento ſuo abſolutis.

Appel-

Digitized by Google

Appellari in alieno foro ciuem vetuit, niſi fundi causâ, aut alterius rei peregrè ſitæ poſſeſſæque. Coquendæ ceruiſiæ in ſuos cuique vſus liberam eſſe voluit facultatem. Eos, qui domicilio fortunarum ſuarum in vrbe collocato ciuiliter viuunt Imperio & Epiſcopatui æquo cum aliis jure ſubiecti, veteribus Patronis ad noua obſequia noluit obnoxios eſſe. Has immunitates Fridericus anno huius ſeculi trigeſimo in caſtris prope Anagniam Ciuibus conceſſit; vt mihi tum demum aliqua liberæ Reipub. forma conſtituta fuiſſe videatur. Principum nihilominus, quemadmodum ſuprà retulimus, jura perampla fuere; donec ſuccedentibus annis pleraque, variis ex cauſis, omiſſa amiſsáque ſunt, pauculis in hunc vſque diem perennantibus. Sed nunc in ſemitam regredimur, expoſituri funeſtum bellum, cui honeſtatis ſpeciem magis fortuna victoris, quàm cauſa præbuit.

V.

ALBERTVS AVSTRIVS ADOLFVM CÆS. IMPE-

Obſoleuerat Adolfi Cæſaris apud Principes autoritas & gratia, Gerhardo inprimis Moguntino inuidiam ei conflante, qui cùm haud dubiè ei Imperium

rium conciliaſſet, ægrè ferebat ſcilicet ſummi beneficij gratiam meritis aut certè ſpe minorem eſſe. Nihil magnæ rei inconſulto ſe geri æquum cenſebat; ídque illius honori aliquamdiu datum, non ſine imminutione Maieſtatis, cuius nomen Adolfo relictum, vim penes Antiſtitem eſſe apparebat; vt ne conuitiis quidem abſtineretur, jactaretúrque Sacrificulorum Regem imperare. Adolfus ſiue his vocibus excitatus, ſiue Pædagogi nimis imperioſi ſatur in libertatem ſe aſſeruit, aſpernatus conſilia, quibus neceſſariò eſſet parendum, & fortunâ ſua quàm alienâ ſapientiâ libentiùs vſurus. Id Moguntino permoleſtum fuit nihil aſſueto probare, cuius ipſe auctor non fuiſſet. & fiebant fortaſſe multa perperam, quę inter illud inuidioſiſſimè traductum, quòd ad ſocietatem belli contra Gallos gerendi ab Eduardo Anglo pecunia eſſet conductus. Inuſtam Imperio ſempiternam maculam vociferabatur, quòd exteri Regis ſtipendiarius æs militare Cæſar mereret. Verior cauſa ſuberat, quòd Aurum Anglicum inter Imperij Proceres diuiden-

RIO ET VITA EXVIT. ORIGO ODIORVM.

Digitized by Google

dendum, ſuum ſpolium feciſſet. obſtrui ora poterant, ſi particulam hiantibus obieciſſet. Congerebantur plura crimina; ſecretæ adeò libidines protrahebantur in publicum, nimis curioſâ maledicentiâ, quæ diu liberè per aures graſſata Principum, eorundem animos odio adverſus Cæſarem impleuit. id in Bohemia primùm erupit, cùm Moguntinus eò ad Regem coronandum eſſet profectus. Aderant præterea Albertus Auſtrius, duo Marchiones Brandeburgici, & Saxo Adolfo ſponte iniqui, &c, ſi fraus abfuiſſet, quemuis alium Cæſarem lecturi; quò minoris negotij res fuit, eundem illis animum reddere, quem olim geſſerant, cùm Moguntinus flagrantiſſimus Amicorum eius aliam penitus mentem induiſſet. Sed tum quidem conſilia ad exitum deducta non ſunt; dicta tamen dies eſt Egrano conuentui, quo Reipub. aliud caput imponeretur, Adolfo deiecto. Moguntinum domum regreſſum compertúmque coniurationis Cæſar bello implicuit, eadémque opera factionis telam interrupit. Coniurati Chadæ congreſſi, abſen-

Eberhard.

CONVENTICVLA CONTRA CÆSAREM.

Digitized by Google

abſente conſiliorum ſuorum duce, fruſtra fuere. Februario denique menſe ſequentis anni, Albertus Auſtrius Procerum cōnſenſu victus hoſtem ſe Adolfi fore profeſſus eſt. Inter Sacros Antiſtites, qui ipſi quoque magno numero ad eum Viennam deſcenderant, ex noſtris Batauenſem, Friſingenſem & Chymenſem fuiſſe, auctores habeo. BOIORVM Principes factum vt impium deteſtabantur palàm præ ſe ferentes, ſi ad arma ventum eſſet, ſanguinis ſibi proximarúmque jura neceſſitudinum, quibus Alberto eſſent obſtricti, poſt æquitatem fore. Datum nihilominus petenti, vt exercitum per BOIARIAM, ſine maleficio, duceret. Eum Auſtriaci Annales ex domeſticis perpaucis & Vngaris non amplius trecentis conflant, paci quàm bello aptiorem comitatum; vt Colmarienſis ſcriptoris vacillare fidem neceſſe ſit, qui infinitam Vngarorum Cumanorúmque vim, ferrata agmina, impenetrabiles loricas, & meros Alexandri Bucephalos, qui ipſi quoque cataphracti seſſorem ære rigentem ferrent, ſanè quàm appoſitè ad incutiendum terrorem,

AVSTRIVS IN CÆS. CONCITATVS. MCCXCVIII. *Ann. Auſt.*

BOIORVM PRINCIPVM ALIENVS AB IIS CONSILIIS ANIMVS.

ALBERTI COPIÆ.

rem, comminiſcitur. Iter Alberti per BOICAM nobis irrepertum Auentinus recitat; & Mechtildem quidem Rudolfi & Ludouici Matrem, Alberti ſororem Friſingæ; Rudolfum paulo poſt Päſingæ non procul Monachio cum eo congreſſum; & hunc quidem de concilianda inter æmulos gratia magno ardore ſed irrito egiſſe. Habet & Colmarienſis Alberti cum BOIARIÆ Duce colloquium; quem quia Adolfi ſocerum nominat, Rudolfum fuiſſe conſequens eſt, cui Albertus operam ſuam neganti transferentique ad ſocerum vltro veniam dederit, negans fraudi inuidiæque ei fore, ſi ſe cum ſocero coniunxiſſet. Neque tamen ſibi conſtat narratio pugnam cum Alberto Haigerlochio itidem Adolfi ſocero tribuentis, quem tamen certum eſt, ab Othone Inferioris BOIARIÆ Duce cæſum. Delectam trecentorum equitum manum Adolfo adducebat Otho. ei ſe Haigerlohius Oberndorffij cum multo maiore Sueuorum manu oppoſuit, victoriæ tam certus, vt funium compedúmque magnam in caſtra vim conuexerit, quódq; ante-

RVDOLFVS ÆMVLOS CONCILIARE STVDET.

Albert. Hohenbergium falſo nominat. Eberh. Rebdorf.

OTHONIS BOII DE HAIGERBACHIO VICTORIA. *Auent.*

Digitized by Google

antehac factum legere non memini, Tonſores inſuper nouaculis inſtructos adduxerit, eo conſilio, vt raſos deformatóſque ad ludibrium Boios oſtentare Alberto in vinculis poſſet. Improbum votum ſuperbúmque ſuo capite expiauit. Otho ne detrectandâ pugnâ circumſpiciendáque fugâ nomini Boico labem inferret, fortunam virtutémque ſuorum experiri ſtatuit. Concurritur, pugnatur acriter. Otho factis quàm dictis glorioſior vbi plurimum laboris & denſior hoſtis, inferebat medium ſeſe. Idem in frontem tergúmque indeffeſſa manu pugnans audaciſſimum quemque proruebat Alberto imminens decoríſque ex eo cæſo aut capto auidus. ſic animatum paréſque deſiderio ſpiritus tota circumferentem acie nemo tulit. via per continuas cædes aut fugam vſque ad Albertum facta. Ibi demum velut oblato pari hoſte, vires in dextram, iræ in pectus collectæ. omnia tamen tentantem quærentémque vulneri locum munimenta fruſtrata ſunt; donec confoſſo ſub pedibus equo Albertus effuſus eſt. Ruentem quiaſpexere ex

Othonis in pvgna virtvs.

Otho Alb. Haiger-

LOHIVM OBTRVNCAT.

re ex pedeſtri agmine agreſtes homines efferati in rabiem per confertam equitum turmam ſalutis ſuæ immemores & pro domino ſoliciti irrumpunt, ſerum auxilium, neque viuum amplius viſuri; iidem tamen non antè animaduerſi ſunt, quàm cęde equorum edita, cadentium fremitu proditi noſtros jam equeſtri prælio victores in ſeſe auertére. Ad trecentos primo impetu ferro ſtrati vel equorum vngulis obtriti ſunt. ſic vtraque vis irrita fuit. Superſtites equorum pedúmue pernicitas morti ſubduxit. lætiſſimum BOIIS inter ſpolia fuit Nouaculas funéſque legere, hoſtilis vanitatis inſignia apparatúmque immaturi triumphi, & joculari carmine inſultare ſtrictim attonſis BOICÍQVE ferri aciem magno ſuo malo expertis. Porrò id vnum eo bello toto feliciter geſtum. cætera omnia Alberto Auſtrio ſecunda veterano Duci & artium militiæ gnaro, quæ illi pro viribus fuere. Iudificando hoſtem, tutiſſimis locis exercitum ducendo, paciſcendis induciis, cùm res in arcto erant ſitæ, caſtrorum opportunâ metatione mutationéque, nunquam

ALBERTI AVSTRII PERITIA MILITARIS ADOLPHVM CÆS. PESSVNDAT.

factâ

factâ ſui copiâ, in Agrum Moguntinum peruenit. IX. Kal. Iulij Moguntinus, Brandenburgicus & Saxo conuocato in Templum populo cauſas aperuere, ex quibus abrogandum Adolfo Imperium cenſerent. Albertum deinde Regem ſalutatum in vrbem introducunt, exigua populi approbatione, plauſu nullo, vt in re noui exempli, neque ſatis apparente æquitate. Inde Alzeiæ Rudolphi oppido admota obſidio, deditóque faces iniectæ. Adolfum fortuna pariter ratióque & amicorum fides viſa deſtituere. Præter Boiariæ Duces pauci ex animi ſententia conſulebant; alij præcipitem, alij cunctatorem efficiebant; cùm opprimi hoſtis poſſet, metum injiciebant; amiſſa opportunitate vincendi, ſuadebatur bellum. Ita Alberto in alienis caſtris omnia ſecundiora, quàm ſuis erant; ea fames depopulabatur; cum qua ſi hoſtis ſeriò conſpiraſſet, nullo negotio debellatum fuiſſet. Ad manus denique VI. Non. Iulij in agro Wormatienſi, non procul Gillenhemio, ventum eſt, quò Adolfum ſimulatione fugæ Albertus pertraxit, Eo erro-

Adolfi Exavthoratio.

Infelicitas Adolfi & Inconsvlta belli gerendi ratio.

re occupatis creuit temeritas. Nihil ordine factum aut ex lege caſtrenſi. Miles non ad bellum ſed cædem & ſpolia euocatus, nullâ ſui tuendi curâ, omnia in feſtinatione ſita credebat, &, ſi fugitiuos velocitate viciſſet, nulla præterea virtute opus eſſe. Sed quorum præter terga viſurum ſe nihil ſperabat, in eos paulo poſt triplici acie compoſitos ad pugnam attonitus incidit. Auxit conſternationem triſte omen, quod Regi excidit; ad primum hoſtis conſpectum,
, Pereundum inquit, Milites, aut pericli-
, tandum eſt. In pedibus certam mor-
, tem, manibus incertam victoriam feri-
, mus. In fuga conſilij nihil; vtinam ali-
, quid in dextra auxilij ſit! Boii Principes abominati inauſpicatas voces bonum eum habere animum juſſerunt, aut certè militi non adimere ſuos; ſeipſum bonitate cauſæ ſuſtentaret, militem ſua virtute fortem non percelleret vano metu. Qui enim ſpe pugnam iniri, vbi Dux de victoria pariter fugáque deſperârit? Ipſi deinde aciem ſtruere; primam ſibi frontem depoſcere; hortari ſecum pugnaturos; volare ante ſigna, neque

BOIORVM PRINCIPVM IN PRÆLIO INFELICI VIRTVS.

ſocio-

ſociorum tantùm fidelium munus implere, ſed totum bellum ſuum facere. Torpebat nihilominus Adolfi mens manúſque, neque tam illuſtribus exemplis excitabatur; quin filium etiam hærentem lateri ſuo ad fugam hortatus eſt, ne patrem morientem videret. Interim procurrentibus vtrinque primis ordinibus cœperat bellum. Boii Principes cum inſigni equitatu ferebantur in hoſtem, erátque id haud dubiè exercitus robur, &, niſi noua eo primùm bello arte pugnatum fuiſſet, vſitatis impreſſionibus haudquaquam ceſſurum: ſed quòd gladiis in longam cuſpidem eandémque præacutam deſinentibus Albertus ſuos armaſſet, & cæſim juxtà punctímque rem gerere juſſiſſet, parata ſcilicet equis pernicies erat in infeſtos mucrones incurrentibus; vt breui confoſſis omnibus, equeſtris pugna in pedeſtrem deſierit. Eam Principes hominum jumentorúmque cadaueribus ſuperſtantes, dictiſque fortibus accendebant, nihil conceſſuri hoſtibus, qui ipſi quoque, inutili in tanta ſtrage equitatu, in pedes deſcendere ſunt coacti.

DECRETORIA PVGNA. *Eberh.*

Digitized by Google

ADOLFVS INAVSPICATO IN PVGNAM RVIT.

ctî. Æquo ferè Marte pugnatum eſt, quamdiu Adolfus ſpectator alienæ virtutis fuit: ſimul atque ſui copiam fortunæ hoſtíque fecit, retro omnia ferri labíque dixiſſes. Cohorruêre, qui circa ipſum erant, inauſpicato equi lapſu, quo Rex & cætero corpore grauiter afflictus, & capite præſertim ita debilitatus eſt, vt galeæ pondus ſuſtinere non poſſet: hebetato pariter vigore animi ſuíque tuendi curâ, ſiderato ſimilis non tam in hoſtem quàm perniciem ſuam ruebat. Eo tamen impetu ad Prætorium vſque Alberti vexillum prouectus Alberti Armigerum ex inſignibus agnitū ſua manu obtruncauit, cum altero etiam tantiſper colluctatus, donec deturbatum equo vngulis obtriuit: in ipſum Albertum ferebatur, quem vt eſt aſſecutus, Pone, inquit, furtiuum decus Prædo coronæ noſtræ: ſimul intentantem ferrum Albertus occupat, arbitrúmque litis inuocans Deum, ſecundùm oculum leui Adolfum vulnere perſtrinxit. Comites deinde Siluestres coorti ſuccisis equi poplitibus reſupinatum jugularunt. Poſt eam cædem lædi

CÆSARVM DVELLVM.

PVGNA ADOLFI MORTE FINITA.

læſi hominem Albertus vetuit, eo imperio clementiæ famam captans. Boii Principes vulgatâ regis morte perfuncti iuratæ fidei officio, elapſi acie Haidelbergam ſeſe recepere; & Otho quidem tribus vulneribus ad vltimum periculum adductus. Inter cæſos recentes ſcriptores octoginta Comites reponunt; cùm Colmarienſis duo quidem triáue equorum millia numeret, hominum vltra centum neget periiſſe. Ochſenſtainius Comes Alberti ſignifer aliíque plures æſtu præfocati ſunt. Adolfum inter cadauera nudum Moguntinus cùm agnouiſſet, etſi vnicus cladis acceptæ auctor ei erat, altè edito gemitu, Validiſſimum Germaniæ Cor Hoc Habes, exclamauit. Id Albertus pœnitudine propoſiti excidiſſe viro interpretatus negauit à ſuo latere, niſi ſtabilitâ, quam vltro ſibi detuliſſet, coronâ, diſceſſurum. Id breui factum. v. Id. Aug. Francofurti Imperium ei confirmatum eſt, ne Rudolpho quidem diſſentiente, quem priorem de pace concordiáque appellatum ab Alberto inuenio. ix. Kal. Sept. Aquiſgrani rite inauguratus

Boiorvm Principvm fvga.

Alberti Avstrii inavgvratio.

& Caroli Magni ſolio impoſitus Novembri Menſe Norimbergenſibus Comitiis regni honorem cum Eliſabetha coniuge communicauit, ipſe à Septemviris Imperij vſu legéque receptis officiis cultus. Bohemi ante alios lautitiæ admirationi fuere, cùm oſtro fulgens & generoſiſſimo ſublimis equo craterem aureum Alberto libaret. Publicam lætitiam duorum Antiſtitum contentio contaminauit. Wormatienſis & Aichſtettenſis pari ſtudio dextrum Moguntini latus affectabant antiquis juribus nixi: videbatur caſurus cauſa Aichſtettenſis, niſi Gebhardi Hirſpergij eius Eccleſiæ Aduocati interceſſione, &c, ſi contra tēderet, parata vi territus Wormatiēſis cœpto deſtitiſſet. Conradus Peſſenhuſius nobili inter Boios loco natus Aichſtettenſem mitram priore anno induerat, & hoc jure Eccleſiæ ſuæ aſſerto, & opibus inſigniter auctis clarum apud poſteros nomen conſecutus. Gravior controuerſia Bernhardo Batauenſi Epiſcopo cum ſua vrbe interceſſit. Aſpernata imperium Antiſtitis æquari Ratiſbonæ geſtiens populares Magiſtratus,

M. Marcarum pretio equum Colmarienſis æſtimat.

CONTENTIO DE LOCO.

TVMVLTVS PASSAVI.

tus,

tus, qui tributis Comitiis legebantur, ſigillum auctoritatis publicæ inſigne, cæteráque decora liberis duntaxat Reburſp. conceſſa ſanè quàm licenter ſibi vindicabat, jam ſuſpenſo ære, cuius ſonitu noui Patres in curiam conuocarentur. Ab ea vecordia cùm reuocare tumidam plebem Bernardus non poſſet, ſacris primùm armis eam perculit, indictóque juſtitio templa clauſit. ſacris ſilentibus cùm nihilominus ambitio ſtreperet, toto Sacerdotum Collegio in S. Georgij montem ſubducto, vrbē verberare tormentis inſtitit, parcè tamen magíſque terroris incutiendi, quàm inferendi damni cauſâ. eo conſilio hactenus profecit, vt ciues, niſi jus ſuū Cæſari probaſſent, deſtituros cœpto ſe pollicerentur. Cæſar ab vtriſque Norinbergæ appellatus rem arbitris permiſit; quorum ſententiâ nouæ Reipub. priuatis auſpiciis cœptæ molitio corruit. Æs campanum templo in meliores vſus additum; argentum etiam imperatum, quod Epiſcopo velut obnoxij pendent. Eadem tempeſtate pluribus Franconiæ BOIARIÆQVE locis in Iudæorum

ENSES COMPOSITI.
Eberhardus.

IVDÆI AD CÆDEM CONQVISITI.

Digitized by Google

rum gentem ſæuitum. Diuinam hoſtiam ſacrilega manu raptam, eodem, quo Maiores eorum, furore excarnificauerant. cùm piſtillis tunderetur, ſanguis mortarium inundauit prodigioſus accuſator impietatis; ad cuius vindictam Chriſtianum omne nomen ingenti animorum motu exarſit, maximè cùm ſponte ruentibus ducem ſe Rindfleiſchius quidam præberet, qui Numinis imperio ad repurgandum ab hac peſte terrarum orbem excitatum ſe credi voluit. Nullum vnquam juſtius bellum viſum, neque contra atrociores ſuſceptum hoſtes. Rapti vndique ad flammas ſunt, nemine intercedere auſo, niſi qui eadem pati vellet. Norinbergæ & Nouofori Chriſtiani nonnulli intempeſtiuè pij arcibus receptos patrocinio dignati fuerant, tanta plebis deteſtatione, vt jactatis in tecta facibus communi omnes incendio inuoluerent. Auxit inueterata odia morientium rabies, paruos ante ſe liberos vxoréſque jactantium in ardentes rogos, ne cui ſupplicij horror deſiderium injiceret noſtrorum ſacrorum. Rem quoque familiarem

EFFERATA PERFIDÆ GENTIS RABIES.

liarem & partas malis artibus opes, ne ad Chriſtianos, quibus eas exſuxerant, redirent, vnà ſecum in fauillas redigi maluere. Ratiſbonæ duntaxat ciuium miſeratione ſeruati ſunt aſpernantium tam ignobilem cæleſtis conſilij interpretem & clariora auſpicia ad promiſcuam lanienam requirentium, laudabili moderatione, &c, poſtquam æſtus ille deferbuit, omnibus probatâ. deteſtabilis contrà nefarij Iudicis furor, qui eadem ferè tempeſtate, qua nocentiſſima capita plexa ſunt, ipſam innocentiam rogo addixit. Conradus Nantuinus pietatis ſtudio Diuorum Ædes & ſparſa per Chriſtianum orbem Religionis monumenta viſere ſolitus Wolffratshuſium diuerterat. Ius ibi pro Rudolpho Principe dicebat Gantherus quidam homo impurus & coaceruandis vnde vnde opibus vſque ad infamiam addictus. is ad hominis peregrini zonulam nihil præter piorum ſtipes ferentem oculum adiecerat, cupidúſque potiundi, cùm alia ratio non ſuppeteret, famam priùs homini quàm crumenam eripere ſtatuit. Inſidias puerili pudici-

CONRADI NANTVINI INNOCENTIS MORS. *E Tabulis VVolffrathshuſianis.*

IMPIVS IVDEX VIRVM SANCTVM OPPRIMIT.

diciciæ ab eo locatas comminiſcitur, & in grauiſſimo crimine eadem fide teſtem agit, qua judicem. Obruebatur peregrina ſed incogita virtus auctoritate judicantis. nulla relinquebatur, niſi ad Deum, appellatio, ſed quem bellua illa quouis mortali minus metueret. Injicitur ergo flammis ardentibus, & ſpiritum innoxium auaritiæ Præſidis impendit; invltúſne haud ſatis conſtat; inglorium latere diutius Deus non eſt paſſus. Teſtes innocentiæ viuentis negatos mortui cinis innumeros reperit; inter quos Gantherus ipſe vel inuitus profiteri nomen ſuum coactus. Eques cum famulitio ad Martyris buſtum advectus animaduertit jumento oculorum pariter pedúmque vſum in eodem veſtigio ereptum. Agnoſcebat vnus omnium maximè haud temerè eo præſertim loci admoneri ſe piaculi ſui, & vtique equum ſeſſoris ſui vicem plecti; ídque vt publicè conſtaret, ſeruulorum vnus diuinitus motus officulum inter cineres repertum equo admouet, eodémque momento videndi gradiendíque facultatem ei reſtituit. Ea beneficentia

INNOCENTIA PRODIGIIS INCLARESCIT.

centia cùm capitalem hoſtem ſuum Nantuinus eſſet proſecutus, nemo dubitauit cultoribus ſuis longè prolixiùs fauturum. Igitur certatim eidem nuncupata vota ſunt; collecti in vrnam cineres & recepti templo, atque ad colendam Diui memoriam præſentibus beneficiis & promiſsâ ſcelerum veniâ mortales prouocati. Extant tabulæ ſeptem Antiſtitum peregrinorum nomine perſcriptæ Indulgentiam Numinis offerentes tumulum Diui Nantuini certis anni diebus frequentantibus; eæ cùm Bonifacij Pontificis annum quintum præferant, proximo, qui ſeculi huius vltimus eſt, ſcriptas eſſe conuincitur. de tempore mortis Nantuini minus liquet; ſed quòd Rudolpho rerum in BOICA potiente excruciatum veteres membranæ affirment, huic loco deberi narrationem exiſtimauimus. Anno nonageſimo nono Imperij Procerum Conuentus Norinbergæ acti. ex noſtris præter Rudolphum Sacri etiam Antiſtites, Saliſburgenſis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Batauenſis præſentes adfuere. Cæſar Rudolphum filium Auſtriæ præfecit,

A. MCCXCIX. *Eberhard.* COMITIA NORINBERGENSIA.

ſecit, Blancâ Franci Regis filiâ eidem deſponsâ. quo tempore etiam Stephanus Othonis Fr. Iuttam Polonam in thori conſortium adſciuit.

VI. A. MCCC. PRIMVS ANNVS IVBILÆVS.

Initium ſeculi decimi quarti Bonifacius Pontifex, noua religione introducta, orbi terrarum ſanctum eſſe voluit, largiſſimâ peccatorum veniâ promiſsâ omnibus, qui Romæ Diuûm templa venerabundi obiiſſent, lege etiam in poſterum lata, vt centeſimo quoque anno eadem auſpicia pietatis repeterentur: quæ deinde Clemens VI. ad quinquageſimum, Sixtus IV. ad vigeſimum quintum breuis æui mortalium memores reduxere. Nihilominus tam felici & verè aureo anno etiam triſtia curſum ſuum tenuerunt, nimia habendi cupiditate cauſam nouis bellis quærente.

ALBERTVS CÆS. PRINCIPVM ODIVM INCVRRIT. *Annal. Colmar. Chron. Fürſtenfeld.*

Albertus vectigalibus & portoriis, quæ ad Rhenum perampla ſunt, imminebat, Tres Mitratos Electores appellare auſus, vt nullo jure occupatis cederent, paterentúrque labefactatam Imperij Maieſtatem erigi prioribus fulcris. Ea poſtulatio auerſis animis auribúſque accepta. Nam & iniqua viſa eſt,

&, ſi

Digitized by Google

&, ſi maximè jus peteretur, intēpeſtiua, haud ideo Imperio auctum à ſe exiſtimantibus, vt eſſet, à quo ſuis commodis ſpoliarentur; & eſt alioqui tenerrimus auaritiæ ſenſus, cùm auri folles, quibus incubat, ſubducuntur inuitæ. Moguntinus præſertim, qui non minùs Albertum quàm Adolfum antea beneficiarium ſuum & clientem eſſe volebat, pro indigniſſimo habuit, duos ſe Cæſares nullo ſuo commodo creaſſe; priorem gloriæ ſuæ, hunc etiam opibus inſidiari, immemorem vtique Adolfi conatus quònam recidiſſent: admonendum proinde videri, Moguntini Peram etiamnum Imperatoribus grauidam eſſe, & ſimul atque voluiſſet, naſciturum ipſi ſucceſſorem. Neque eæ minæ tantùm fuerunt. attractis in ſententiam Colonienſi & Treuirenſi, Septembri jam præcipiti, Rudolphum ad cognitionem cauſæ inuitat. Ita enim moribus receptum erat, confirmatúmque vſu, vt litium Cæſaribus intentatarum præter Palatinum Rheni Iudex nemo eſſet. Vbi adfuit, Moguntinus accuſatoris perſonâ ſumptâ cædem Adolfi ad inui-

Sifrid. in Epit.

RVDOLPHVS IVRE PALATINATVS CAVSÆ IVDEX POSTVLATVS.

Rebdorf. Chron. Fürſtenf. Vid. Bull. Aur.

Digitized by Google

inuidiam exaggerat; quæ tamen, ſi verum volumus, non tam Alberti manu, quàm ipſius conſilio fuerat patrata, vt, ſi ex animi ſui ſententia eſt locutus, nemo accuſatore haberi nocentior, aut præ illo peragi reus potuerit. Nihilominus in communi cauſa ipſe ſe abſoluit; Albertum Maieſtatis poſtulauit, indignum Imperio vociferans, qui Imperatorem iniuſto bello occidiſſet. Albertus Comitiis de capite ſuo actis excitatus arma confeſtim corripit, & primos in Rudolphum impetus effundit palàm teſtatus, quidquid Cæſarum beneficio poſſideret, ad Imperium ſe retracturum. quo nomine ea potiſſimùm côtinebantur, quæ Conradinus partim dono, partim pretio Rudolphi parenti addixerat. Ita Schongauia, Danuvverda, Nouoforum, Schvvabekium quà deditione, quà vi recepta. Quæ ſingulis locis geſta ſunt, annotata non reperio. Danuvverdenſem arcem ſolido extructam ſaxo irâ victoris deiectam æquatámque ſolo ineditis annalibus, ſed illo tempore exaratis confirmatur. In alterum etiam annum nonnulla ex his reiicien-

ALBERTVS C. RVDOLPHVM IMPVGNAT.

MCCCI. *Ann. Colmar.*

cienda certum eſt, quo Moguntini vires captâ Bingâ ſunt attritæ. In eius vrbis obſidione hærente Alberto, Rudolphus multò fœdiſſimum cum ipſa Humanitate bellum geſſit, Mechtildem matrem cum Ludouico fratre Schiltbergæ, quæ ſuperioris Vindeliciæ arx eſt, obſidere auſus indéque extractos Monachium abducere. Rem Mechtildis familiarem Conradus Otlingerus adminiſtrabat raræ prudentiæ támque incorruptæ fidei, vt in eius conſiliis vidua haud difficulter acquieſceret, ſed ob ea ipſa ornamenta ingratus Rudolpho, qui tutelæ fratris inhians, non niſi ſubmoto hoc excubitore ſuas ſe cupiditates explicaturum prouidebat. cùm cætera conſilia non procederent, adhiberi vim placuit, ſed jure palliatam. Otlingero crimina plura obiecta, facilè inventis quadruplatoribus, qui ad euertendum eum incumberent, quem Princeps perditum cupiebat. Condemnato caput præciſum eſt Nouembri menſe. Reliqua deinde prona fuere; neque mater aduerſus filij impudentiam tendere auſa, Ludouico in eius poteſtate relicto,

Rebdorf. Auent.

Rvdolphi in Matrem inhvmanitas.

oppidorum quoque adminiſtratione eidem ceſſit, paucis vectigalibus retentis, vnde vitam principalem ſuſtentaret. Metu ad eas conditiones adactam pòſt patuit. ſimul enim ac liberam vocem tollere ei licuit, de vi conqueſta filium apud Albertum fratrem iniuriarum impietatíſque poſtulauit. Dicta Rudolpho Nördlingæ dies eſt, imperatúmque vt matrem in priſtina iura reponeret.

APVD ALB. CÆS. ACCVSATVS MATREM FRATREMQVE RESTITVIT.

Ludouicus quoque, niſi id fieret, ſe negabat in patriam rediturum; Auguſtæ interim domicilio conſtituto, quæ vrbs ei præſidio futura fuerat, ſi quid à fratre moueretur; cui cùm Schluderus quidam omnium eius conſiliorum moderator ſubdere faces crederetur, is quoque ab eius latere abductus, & paulo pòſt, dum ad Cæſarem purgandi ſui causâ proficiſcitur, à familiaribus Mechtildis exceptus obtruncatúſque eſt. ei Conradus Wildenrodius ex cauſis, quas alibi explicauimus, nuper patriâ exactus ſubſtituitur, perbreuem eius honoris fructum laturus, publici poſt exilium inſolens, & vita inter ærumnas præcipitatâ. Eò denique ventum

tum

Digitized by Google

tum Auentinus ſcripſit, vt ſummâ duntaxat rerum Rudolpho permiſsâ, vectigalibus adminiſtrandis Wigelinus quidam cum ampliſſima poteſtate præficeretur, magno prouinciæ leuamento, quæ oppreſſa ære alieno jam dudum deſiderabat ſpacium reſpirandi, Principibus per ſpeciem honoris in regia & comitatu Cæſaris detentis, neque partem vllam Reipub. attingentibus. Nos tam reſtricti imperij auctorem opportunum non reperiebamus, niſi quod ab Eberhardo proditũ eſt, bello Bohemico Rudolphum Alberto militaſſe, vti & Othonem Inferioris Boiariæ Ducem cum Saliſburgenſi, Friſingenſi, Ratiſbonenſi & Batauenſi Epiſcopis, vt noſtros tantùm commemorem. Ea expeditio anno tertio ſuſcepta eſt apparatu maiore, quàm ſucceſſu. Cauſæ parum laudabiles Bohemorum Annalibus traduntur, neque dignæ victoriâ. Metallorum decumis inhiabat Albertus nouo exemplo; nam Imperatoria jura, quæ obtendebantur, nemo agnoſcebat, ridebatúrque ſagacitas Germanicæ paupertatis odorantis tam longinquas opes. Nihil-

Rvdolpho Cvrator datvs.

mccciii. Bellvm Bohemicvm infelix.

Avaritia Bellvm conflat.

Digitized by Google

ominus belli cauſas Albertus Principibus approbauit, & luſtratis Ratiſbonæ copiis, in Auſtriam ſecundo Danubio deſcendit. Sed ille tam inſtructus miles fœdiora veſtigia in amico ſolo, quàm hoſtico reliquit. pauculis diebus circa Cuthnenſes fodinas oberrans oculiſque deuorans argenteos montes, re nulla ad memoriam celebri patratâ, retro vnde venerat abiit, inſigniter imminuto numero, cùm hoſtem ſuum nondum vidiſſet. Wenceslaus Rex purgamenta æris argentíque ſcoriam in aquas ſparſerat, quibus ſordibus acre virus ineſt & inprimis noxium. Id potu deprehenſum eſt, hominibus jumentíſque, quibus aquari inde contigit, mortem bibentibus. qui peſtem vitarunt, gloriæ juxta ſpoliorúmque inopes in patriam rediere. ne ſtipendia quidem perſoluta ſunt, quæ ex fodinis eruenda Albertus credidit, nimis indulgens ſpei ſuæ, & ex alieno munificus. Anno quarto Mechtildis ſoror eius Principum noſtrorum Rudolphi & Ludouici mater rebus humanis exceſſit; cuius fœcunditati debetur, quidquid hodie BOICO-

MCCCIV. *Chron. Fürſtenſ.* MORS MECHTILDIS & PIA STVDIA.

Pala-

Palatini ſanguinis veneratur Germania. Marito Fürſtenfeldæ contumulata eſt; memoria eius Dieſſenſibus Canonicis clara æternáque erit, quorum fortunas Præſidum ſuorum improbitate euerſas communíque cum pietate ruina affli-ctas ipſa potiſſimum erexit, eo viro gubernaculis admoto, qui extorrem ſanctitatem reduceret, & opes luxu perditas parſimonia vindice recuperaret. nouæ aliæ Mechtildis liberalitate acceſſerunt. Bertholdo (quod Præſuli nomen fuit) magni ab ea honores habiti: gemma primùm ſignatoria, tum denique ſuprema Palatij cura eius fidei credita. Recens ſcriptor Margaritam hîc nobis ipſam quoque Boiariæ Principem ingerit, quæ Georgio ad D. Vdalrici Auguſtæ Vindelicorum Priore, viro ſancto arcanorum animi moderatore vſa, eum vulgò incognitum poſt mortem ante biennium obitam prima detexerit. Loco inter Morauos principe natus meliores ſecutus ſpes Caſſini montis latebras expetierat, vtique in illa modeſtiæ lacerna nulli mortalium, quod eius votum erat, agnoſcendus.

Eivs in Diessæ Coenob. beneficentia.

Bzouius, a. Chr. 1302.

Georgii Monachi Sanctitas.

Sſſ 3 Nihil.

Digitized by Google

Nihilominus inuſitata virtus tanto cælatum ſtudio genus vulgauit prodidítque ſuis omnia amiſſi veſtígia ſequentibus. Ab his ad capeſſendum propagandúmque gentis decus vocatus, literas, vti erant, ſignatas in ardentem focum iniecit, impoſturæ falſitatíſque coarguens earum auctores, qui vilitati ſuæ tam proterue illuderent. Quia tamen ſuſpectari ſe, & vacillare fabulam ſuam animaduertit, fugæ conſilio inito, ablatus Auguſtam illic quoque ſagaces oculos ægrè fefellit. Vni Margaritæ ſeſe aperuit, cui tamen ſilentij fides ad mortem vſque conſtitit. Eam ego Margaritam intergentis noſtræ Heroides hac tempeſtate nullam reperio. Mechtildem fuiſſe multò probabiliſſimum eſt, cui à morte viri Auguſta hoſpitium ſuffugiúmque à domeſticis turbis præbuit. Sed nos qualemcunq; coniecturā non vrgemus. Per idē tempus Danubius Ratiſbonæ alueū ſuum deſeruit & ad Septentrionē via vi facta euagatus obiectis aggeribus coërcitus in ſemitam rediit.

VII. MCCCV. Quintus ſupra trecenteſimum inclitam BOIARIÆ familiam extinxit; nouo vicıſ-

viciſſim decore oſtentato eximio ad gentis gloriam, ſi non eodem penè momento delatum ereptúmque fuiſſet. Hirſpergij primùm Comites eſſe deſierunt, Gebhardo, qui Sophia Ludouici & Henrici BOIARIÆ Principum ſorore natus eſt, ſine prole mortuo. Primus eius ſanguinis, cuius quidem nomen in literas venerit, Suiggerus fuit, qui Vtilone rerum in BOICA potiente eodémque auſpice Epiſcopium Aichſtettenſe erexit, quod ſuo loco prodidimus. Gebhardus auitæ pietatis monumentum ingenti opum acceſſione auxit, Hirſpergenſi Toparchia & Berchingenſi vrbe eidem contributis, cùm paulo ante D. Dominici familiam Aichſtadij collocaſſet. Ad Hirſpergios etiam Planckhſtettenſe D. Benedicti Cœnobium initia ſua refert, vt fateri neceſſe ſit, de Repub. Chriſtiana vniuerſa optimè meritos dignóſque fuiſſe, qui BOIARIÆ Principibus arctiori fœdere affinitatis coniungerentur. Toparchiæ hæreditatem Epiſcopis adeuntibus, Iuriſdictio BOIARIÆ Principibus ceſſit honoratum magis quàm opulentum nomen.

HIRSPERGIORVM REGVLORVM INTERITVS

Rebdorf. ad annum MCCC *Hirſpergij Comitis mortem refert.*

Digitized by Google

MS. Codex Epiſcopor. Eiſtet.

OTHO BOIUS AD CORONAM VNGARIÆ INVITATUS.

Arenbek. Andr. Ratisb. Bonfin. Dubrau. Auent. Henr. Præpoſ. Oeting. MS.

COMPETITORES CORONÆ.

men. carpſiſſe eos etiam hæreditatis partem inuenio, quam Ioannes Epiſcopus, qui Conrado Peffenhuſio ſucceſſit, ſententiâ Iudicis recuperauit. Nunc ad breue, quod BOICÆ oblatum eſt, gaudium conuertitur oratio. Vngariæ Proceres, poſt Andreæ Veneti mortem, diuiſi in factiones regnum ad plures deferebant. Præualuere, qui Wenceſlaum Iuniorem Wenceſlai Bohemi Filium nominauerant; quem pater tantæ ſpei obuiam ire juſſum paulo pôſt ad ſe reuocauit capiti eius metuens, quod non abſque multorum inuidia ſciebat eſſe coronatum. Æmulo ſubmoto Carolus Robertus iterum prodiit Carolo Martello & Clementia Alberti Imperatoris ſorore genitus, vetus regni candidatus & jam Andrea regnante coronæ imminens. jus ſuum ab Auia repetebat Ladiſlai regis ſorore, &, in quo tantundem ſpei repoſitum, Pontificum fauore ſubleuabatur, quibus eius dignitas adeò cordi fuerat, vt prenſare non contenti, ex imperio agerent, ne minis quidem ſacroſanctæ poteſtatis abſtinentes, ſi præter Carolum Vngari apud ſe regna-

regnare quemquam paſſuri eſſent. Sed quod illi vnicè profuturum arbitrati ſunt, id maximè ambientis vota morabatur. Vngaris periniquum viſum Pontifices regnum iuris ſui facere; ex eorum arbitrio velut ſeruis dominum mitti; præcipuo libertatis fructu ſpoliatos cogi parere, cui nolint. ſatius eſſe vitam amittere, quàm ſuffragij poteſtatem; cùm vtiq; penè regni inſtar ſit, ei dare illud, quem tute probâris; & mitiſſimè imperetur iis, quibus Reges imperium debent ampliſſimum omnium beneficiorum. Eæ cauſæ à Carolo auerſos coëgerunt ad Othonem BOIARIÆ Inferioris Ducem reſpicere neque ipſum ſanè alieni ſanguinis, vtpote Belæ quarti ex Eliſabetha filia nepotem. Miſſi ad eum in regnum inuitandum legati ſummi viri; quorum etſi auctoritate commouebatur, rem tamen integram ad concilium referri audiríque ſententias placuit. Prudentiſſimus quiſque & maximi in Repub. vſus non aliter à Legatorum poſtulatis, quàm à dubia nauigatione procelloſo mari inter breuia ſyrtéſque inſtituenda abhorrebat. Ita

Digitized by Google

DETERRETVR AB ACCEPTANDA CORONA.

enim ratiocinabantur. Tam concitatis populi ferocis & inter ſe diſſidentis ſtudiis, ſperabis aliud, Princeps, quàm inſanos æſtus fluctúſque decumanis maiores? Wenceſlaus nuper multo ambitioſiùs expetitus cùm patrem haberet duplicis regni potentem, adoleſceretque ipſe in eaſdem ſpes coronam aduentitiam totis paternæ potentiæ viribus tueri nequiuit. Exercitu ei opus fuit & patre Duce, vt profugere inde poſſet, vbi nuper erat adoratus. Et nunc quoque cùm Coronam Vngariæ in ſua manu habeat, ſpectator alieni periculi eſſe mavult, quàm oſtentare ſe reddereque ſuffragatoribus ſuis in illo diademate, quod vltro non ambienti impoſuerunt. Haud dubium quin ærumnis mortibúſque quàm gemmis locupletius ſit, cùm ab eo faſtidiatur, qui bona illius maláque expertus nolit iteratò periculum facere non immeritò ſuſpectæ felicitatis. Venalis ſcilicet circumfertur non vt imponatur pluribus, ſed imponat. Accurrit ex ipſa vſque Apulia Carolus acerrimus competitor, jure, ſi quo vtendum ſit, æqualis tibi, fauore multo

multo ſuperior. aduerſus Pontificem Cæſarémque tibi luctandum eſt; quorum hic quem Regem malit præ ſororis ſuæ filio? ille Caroli æmulis Diras minatur metuendum nomen, etiam cùm innoxiis intentatur. His ergo nolentibus qua fiducia adibis regnum? quid objicies Cæſari aduerſanti, Pontifici fulminanti? quid Carolo ipſi jam armato fretóque auxiliis eorum, quibus Pontificum nomen ſanctum eſt, quorum auctoritas neque laceſſita vnquam proſperè eſt neque impugnata. Et quale tandem bonum ſit, quod non niſi irato Pontifice adiri poſſit? nam Caroli repudiandi aliam cauſam Vngari non habent, quàm quòd eo nimis propitio vtatur. Ducem ergo quærunt factioſi aduerſus vicariam Numinis in terris poteſtatem: cuius diſſidij vt maximas rationes habeant, non eſt noſtræ modeſtiæ judicium interponere, & intempeſtiuo patrocinio alienæ cauſæ inuidiam in nos exonerare. ſi verum volumus, ad bellum vocaris, non imperium; neque enim id in eorum manu eſt, qui te inuitant. Coronam Wenceslaus habet;

Regnum

Digitized by Google

Regnum Carolus ſpe deuorauit; hi ipſi, qui cupiditates tuas inflant, præda erunt victoris. Rex eſſe non potes, niſi Wenceslaum precibus, Carolum armis expugnaueris. Priori certamini fortaſſe ſolus par ſis: poſterius patriæ viribus ineundum erit; quas qui ampliſſimè eſſeret, ſufficere rebus tuendis pronunciabit: ad eripiendam æmulis coronam in dimidiata prouincia eáque non maxima, nemo ſanæ mentis ſatis eſſe dixerit auxiliorum. Contra alij diſſerebant; Vecordiæ eſſe fortunam repellere, & fallere judicia tam magnificè de nobis ſentientium, turpiſſimæ videri ignauiæ genus. Si meticuloſos hos veriùs, quàm cautos Maiores noſtri audiſſent, quid in illis poſteritas hodie admiraretur? Quæ enim tandem præmia excitabunt virtutem, ſi ne ad regna quidem expergiſcimur? aut quæ merere ſtipendia volent, qui coronam ſperare juſſi galeam non induunt? Fuerat pietatis noſtræ, auxilia rogantibus, ad inuiſum incubatorem regno pellendum, nihil quod opis noſtræ eſſet negare, etſi præter benefacti gloriam merces alia nulla offerretur;

nunc cùm è gente noſtra Regem ſibi expetant, hæc Boici nominis incrementa negligemus? ſed nimirum religionibus arcemur ab honeſtiſſimo conatu, & in Pontificiarum Execrationum murices incurrendum eſt Expeditionem hanc ſuſcepturis: quæ ſi veræ minæ ſunt, dubites, illóſne qui auxilia poſcunt, an qui negare coguntur, dicas calamitoſiores: vt enim illis ferendæ muſſitandǽque iniuriæ neceſſitas imponitur, ita his dandi beneficij non occaſio tantùm, ſed voluntas etiam eripitur, quódque calamitoſiſſimum bonis, pietas vitio datur. Sed apage mihi ab humani generis parente & æqui omnis iuríſque tutelam profeſſo tam triſtis cenſuræ acerbitatem, qua & liberæ gentis leges moréſq; peſſum ire, & virtutes accuſari impietatis neceſſe ſit. Nempe enim in Carolum pronior viſus eſt, quòd iure ſanguinis vni illi deberi Vngariæ regnum perſuaſum haberet: & pertinuit ſanè ad Romanæ ſedis ſanctitatem, vbi aram communem aſylúmq; patere omnibus indigna paſſis par eſt, non negligere tam nobilem clientem,

qui

Digitized by Google

» qui nullo ſuo merito circumſcriptum
, ſe excluſúmque hæreditario Regno
, querebatur. Idem vbi intelliger, nihilo
eum meliori jure, quàm Othonem, niti,
' & huic inſuper parata populi ſtudia,
' non erit tam iniquus, vt gentem libe-
» ram more Maiorum ire in ſuffragia ve-
, tet, & Reinpublicam ei, quem virum
, optimum eóque honore digniſſimum
' judicauerit, permittere. Eadem de Cæ-
' ſare ſententia eſt; quem ſi maximè affe-
» ctibus tranſuerſum abripi, & priuatis
, neceſſitudinibus ſupra æquum bonúm-
, que duci inſimulemus, ea quoque ſu-
ſpicio, etſi iniqua eſt, res noſtras juuerit.
' An enim alium ille præ Othone Regem
' velit, quem nuper ſororis ſuæ maritum
, vidit & patruelem nobiliſſimorum
, Principum itidem ſorore ſua genito-
rum? Igitur panici metus ſunt, quos
' cunctatores noſtri concitant; quibus
' etiam atque etiam prouidendum eſt, ne
» parum bona fide conſuluiſſe Principi,
, neque nominis Boiei, quam par eſt,
, habuiſſe rationem exiſtimentur. Hæc
ſententia vt ſpecioſior vicit. legatis be-
nignè reſponſum; aſſumptæ curæ
regiæ;

regiæ; ad ſplendorem compoſita domus; res numaria diligentiſſimè conſtituta, prouiſáque omnia, quæ velificanti honoribus ſuis neceſſaria vel etiam opportuna viderentur. In Bohemiam deinde profectus cum Wenceslao ex ſententia tranſigit. Mora in reddenda corona, quam Rex in poteſtate habuit, nulla fuit, mirabili comitatis modeſtiæ que exemplo & in omne æuum laudem habituro. Accepto certiſſimo regni pignore rectà ad Vngaros contendit, fortunæ ſuæ omen eo in itinere capturus. Coronam incluſam vidulo obſignatámque comitum fidiſſimo ignaro tamen quid veheret, commendârat. Ea ſarcina equitanti excidit, caſu nulli ſociorum obſeruato, neque ante noctem deprehenſo. Id quidquid eſſet, æſtimatum Principi nôrat, & acerbam jacturam fore: & tamen quantilla recuperandi ſpes ſupererat veſtigia ſua relegenti tot viatoribus trita? regreſſus nihilominus curriculo inuiolatum humanis manibus & fortaſſis inviſum quoque fortunæ ſpolium admirabundus colligit. Ingens ex eo lætitia orta & blan-

Wenceslavs coronam remittit.

Corona amissa recvperataqve.

blandæ Othoni vaticinationes, deſtinatum capiti eius decus profanâ manu contrectari Numen vetuiſſe; ipſummet quantæ ei curæ fore? Non deerant tamen, qui breue ei Imperium portendi clàm muſſarent, elapſurámque eadem facilitate, qua ſeſe illi obtuliſſet, lubricam felicitatem. Non fefellere. ſecundis initiis nihil reſpondit. Aduentantem cum corona regia Othonem plebs cupida rerum nouarum & proceres magno numero Albam regiam deduxere. Benedictus Veſprinienſis & Antonius Chianadenſis Antiſtites inunctum regiis inſignibus exornarunt. Facilitas obſequiorum & accenſa populi ſtudia nouo Regi impoſuere, vt patriis ſeſe auxiliis nudaret. cum honeſtiſſimo comitatu in Vngariam venerat. eminebant Albertus Halſius & Hartliebus Puechbergius Dynaſtæ, iiſque Otho familiariſſimè vtebatur, non diſſimulantibus Vngaris, Regem exterum volentes legiſſe ſe; Regulos adſcititios haudquaquam paſſuros; æquum videri, quem ipſi in rerum faſtigio collocarint, primum ſibi gratiæ locum concedere, niſi

BREVE OTHONIS IN VNGARIA REGNVM.

Digitized by Google

niſi forſitan vltro delati regni id nimis amplum pretium exiſtimet, vt eoſdem ſibi fideliſſimos fore credat, quos benevolentiſſimos ſit expertus. Otho ne prima negando ſuſpiciones eorum accenderet, Boios à ſe dimiſit. Duorum, quos paulo antè nominaui, vita quoque inſidiis appetita eſt. Latebris & fugâ per auios calles quàm occultiſſimè adornatâ ægrè patriam tenuerunt, nihilominus Rege feliciores in duriores caſus ſeruato. Regnum obeuntem Ladiſlaus Tranſiluaniæ Toparcha (Vaiuodam ipſi vocant) oblatâ in coniugium filiâ generum ſibi optabat; quam conditionem vt imparem dignitati ſuæ Otho eſt aſpernatus. Vaiuoda repulsâ in rabiem actus nefario auſu Regi vim admouet & pro captiuo in arce aſſeruat. Indigniſſimum facinus, ad quod vindicandum totam gentem excitari æquum fuit, auctor impunè tulit. Macula eſt Vngaricæ gentis, quæ Regem ſuum videre vinctum ſuſtinuit nullius facti dictiue pœnitendi reum. Inter primas gratulationes, nondum luſtratâ omni prouinciâ, regnum captiuitate

OTHONIS CAPTIVITAS & FVGA.

Ttt mu-

mutatum, & à corona in compedes itum. Sic eunt mortalia. hæc eſt fortunæ fides, quam ferè proſcindimus, quoties humanæ leuitati perfidiæque ſtigma inurendum eſt. Creſcat nihilominus neceſſe eſt incendium inuidiæ, quo Ladislai fama conflagrat, ſi verè Henricus Oetingenſis ſcripſit, infandæ crudelitatis exemplum ab eo editum, cùm jam Othoni conjugium filiæ perſuaſiſſet. Id vtcunque ſe habeat, annus Othoni inter ærumnas ſqualorémque carceris effluxit; donec familiaris ſeruulus tactus miſeratione nobiliſſimi Principis iter illi ad fugam expediuit. Albertus Argentinas facti gloriam in Vaiuodæ vxorem, quæ Othonem neceſſitudine ſanguinis contigerit, transfert. Fugâ in Ruſſiam Pruſſiámque delatus Vratislaviæ deniqueà milite agnitus proditúſque Conrado Principi, iterum eſt de libertate periclitatus, eámque non niſi Agnetis filiæ connubium pactus in parte dotis recepit. Octauo demum huius ſeculi anno patriæ, poſt longam jactationem, redditus Straubingæ magno BOIORVM gaudio cum Agnete nuptias

ERRORES OTHONIS, REDITVS, & NVPTIÆ.

cele-

Digitized by Google

celebrauit. Per eius abſentiam res non nihil in patria turbatæ ſunt. Wenceslao vtroque patre & filio ex breui interuallo in Bohemia extinctis, Albertus Cæſar Rudolpho filio regnum conciliaturus Wenceslai ſenioris viduam eidem deſponderat. Nihilo minore ſpe Henricus Carinthius inflatus ductâ Wenceslai filiâ regnum dotis nomine repetebat. dubiam litem erupturámque in bellum mors compoſuit, Rudolpho, cuius factio præualuerat, extincto. Fauebant Henrico BOII fratres; & Stephani maximè operâ in Bohemiam nuper penetrârat, indignante Alberto & inuiſum patrocinium armis vindicaturo. Commoda viſa occaſio, cùm Bohemi ſententiis diſſidentes ad Carinthium alij, alij ad Fridericum Alberti Filium diuerſis ſtudiis ſummam rerum raperent. Albertus ne filio deeſſet, cùm exercitu in Bohemiam properabat. Neoburgi Schärdingam inter & Paſſauium copias traducere Oenum paranti Nobilitas BOICA, excitis raptim agreſtibus, ſeſe oppoſuit. Sed non erat ea vis, quæ veterani Ducis impetum moraretur.

IRRITI BOIORVM ADVERSVS ALB. CÆS. CONATVS. *Henr. Præpoſitus Oetingenſis: MS.*

Ttt 2 mani-

manipulatim tendentes, velut informe corpus ſine capite, nullo certo imperio regebantur. Nam Otho, quemadmodum ſignificauimus, aberat domo; Stephanum fratrem eius Landishutæ gravis morbus lecto affixerat. Inter Proceres nemo ita eminebat, vt vniuerſi eum reſpicerent; ſuis ſinguli clientibus ſeorſim conſulebant imperabántque juris moríſque domeſtici etiam in caſtris retinentes. quod vbi Cæſari cognitum eſt, copias ad famam virium augendam partitus, partem Paſſauii tranſire flumen jubet, partem ipſe ſub ſolis ortum propter ora hoſtium velut in pompa traducit. Bini ibant, explicatis ſignis, gradu militari, ne dicteriis quidem abſtinentes; tanta inerat fiducia contemptúſque noſtrorum. Haud aliàs magis apparuit, intrepidæ virtutis & ſeipſa nitentis quantus ſit vſus. Nemo in illos telum miſit velut in ſacroſanctos & Maieſtate Imperatoria tutos: ne tum quidem, cùm populationes effuſæ fierent & iniuriam agere homineſque ſentirent, emortua virtus ad caſtigandam improbam licentiam reuixit. Bohemi denique

Dubrau.

Digitized by Google

que Boios ſunt vlti, qui Auſtriacos inter Chutnenſes montes & Coloniam oppidum caſtra metatos maximis damnis affecerunt. Felicior exitu Conradi Saliſburgenſis Antiſtitis expeditio fuit Alberti juſſu in Carinthiam, eo haud dubiè conſilio ſuſcepta, vt Henricum ex Bohemia ad paterni Principatûs defenſionem extraheret. Sed Henrico omnia poſt regnum ponente, procliue Conrado fuit vincere. S. Viti oppidum, Volckhenmarcam, Clagenfurtum deditione cepit; Rabenſtainiam arcem vi expugnatam deiecit; S. Thomæ montem muniuit; militem præda collocupletauit. Ea ſeptimo anno geſta. Octauus Albertum in maximarum molitione rerum triſtiſſimo caſu oppreſſit. Badenâ Heluetiorum Rhinfeldam proficiſcentem Ioannes Rudolphi Sueuiæ Ducis, qui Alberti frater germanus fuerat, Filius inaudito parricidio ſuſtulit. Educatus inter Alberti liberos cùm ætate ſibi ad res gerendas idoneâ videretur, dimitti ſe in paternum Principatum æquum cenſebat. Patruo in producendis exornandíſque filiis ſuis oc-

SALISB. ARCHIEP. IN CARINTH. IRRVPTIO.

Chron. Saliſb.

MCCCVIII. ALBERTVS CÆSAR OCCISVS.

Argentin. Chron. Fürſtenfeld. Contin: Steron. Roo. &c.

Digitized by Google

cupato neglectui eſſe ſe, hærere in regia, ſtipare latus ingratam vilémque vmbram, quaſi terræ filius & in nullius hæreditatis ſpem genitus foret. Animi ægrum factioſi nonnulli Alberto priuatis nominibus infenſi eò furoris egerunt, vt niſi in memorabili ſcelere ſpem ſibi ſitam nullam exiſtimaret. Cohorti equitum præficere eum bello Bohemico Cæſar cogitabat pollicitus, ſi virum ſe præſtitiſſet, præmia pro virtutibus obuentura. Calendis etiam Maij vnà prandentem eodem quo filios honore dignatus vernâ roſâ coronârat, contractâ nihilominus fronte aſpernantem ea pueritiæ Xenia & alias ſuſpirantem coronas; tantúmque abfuit vt eo lenimento mitigaretur, magis vt admonitum ad maturanda ſceleſta conſilia crederes. Illo ipſo die equitanti cum coniuratis circumfuſus ſicâ guttur traiecit; cùm centeſimus annus ageretur, ex quo Philippus Imperator non abſimili parricidio ſublatus eſt: etſi nonnulli Adolfo Cæſari parentatum ea cæde, velut ex talionis lege, affirmarunt. amborum corpora Henricus ſeptimus, qui Alberto ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſit, Spiræ coniunctis propè vrnis conditi, vix vt palmo nunc capitales olim hoſtes inter ſe diſſideant. Henricus hic ex Lucemburgenſibus Comitibus oriundus virtutibus quàm genere clarior, magna Electorum conſenſione, ad Imperium eſt vocatus Kal. Nouemb. vt Argentinas ſcripſit. Extant Clementis Pontificis ad Rudolphum noſtrum literæ, quibus illum officij ſui commonefacit, & ad quærendum tanto faſtigio parem Principem hortatur. Id Clementis factum tantò plus laudis admirationiſque habet, quòd Philippum Pulchrum Franciæ Regem imminere Imperio certus hanc tam luculentam Gentis Gallicæ, vnde ipſi origo, demerendæ occaſionem bono publico poſthabuerit; cùm præſertim eius in re ferè ſimili exemplum oculis obuerſaretur, metuíque haud vanè poſſet, qui Pontificiam ſedem Româ in Galliam tranſtulerat, Auguſtum etiam nomen & Romani Imperij Aquilas eodē importaturum. Henricum Cæſarem deſignatum, antequam regiis inſignibus ornaretur, Rudolphus Palatinus affinitate ſibi con-

Henricvs VII. Cæsar. *Arenbeck. Chron. Fürſtenſ. Vecerius.*

Pont. Rvdolphvm ad legendvm Cæsarem hortatvr.

Ex lit. Publicis Henrici VII.

Digitized by Google

junxit, Mariâ eius filiâ Ludouico filio deſponſâ. Virgini ſedecim *Marcarum* argenti puri millia dos dicta; Ludouico nonnulla ad Rhenum oppida attributa. Id Ludouicus Rudolphi frater vt inconſulto ſe factum & fraudi olim ſibi futurum ratum non habuit, eáque prima ſcintilla fuit odiorum, quibus per omnem ferè vitam arſerunt. Anno nono VIII. Idus Ianuarij Henricus Aquiſgrani regia inſignia, inaugurante Petro Moguntino, accepit; & octauo die pòſt Boiis fratribus publica tabularum fide promiſit limitibus Imperij eorum Prouincias contingentibus præfectos ſe pacis amantes impoſiturum, neque amicos habiturum, quos ipſi inimicos ſibi cepiſſent. Rudolphi honori hoc amplius datum, vt Ioannem Cæſaris filium, quem Bohemi regem expetierant, cum noua nupta in regnum deduceret. Quingenti cum è nobilitate BOICA & exercita bellis Iuuentute ſunt ſecuti, præſidium Duci & vires cauſæ additurí, ſi in eius æquitate Henricus Carinthius incubator regni non acquieſceret. Et ſanè

ORIGO ODIORUM INTER RUDOLPH: & LUDOVIC. FFrr.

MCCCIX.

RUDOLPHI RES IN BOHEMIA GESTÆ.

Chron. Fürſtenf.

ſanè ita ſe comparauerat, vt facilè appareret, voluntate nihil facturum, ſed, communi humanæ ambitionis ingenio, dubium jus vi tutaturum. Ergo oſtentata ei arma ſunt, & præ armis metuenda ciuium odia, tanta quidem, vt ſola exauthoratione ſatianda non viderentur: quorum acerbitate perſpecta inutilem pertinaciam Henricus poſuit pro magno habiturus, ſi tutum ſibi ad fugam iter expediiſſet: hac quoque ſpe excluſus cum coniuge, quæque conuaſari raptim poterant, regni ſpoliis ad Rudolphum in caſtra profectus factúſque ex Rege Principis cliens rogare inſtitit, vt memor rerum humanarum extricaret ſe è pedicis fallacis fortunæ, quę nuper inuitato ad ampliſſimum Imperium nunc etiam viam in exilium præcluſerit. Rudolphus comiter acceptum ſaluum & incolumem in Tirolim reduxit, vbi vitæ reliquum exegit, Regio nomine retento, nullo alio commodo, quàm vt inanibus titulis admoneretur, quantus fuiſſet. Per idem tempus Inferioris BOIARIÆ Duces irritati cladibus per Albertum Cęſarem, Othone ad-

OTHO ACCEPTAS AB AVSTRIIS INIVRIAS VLCISCITVR.
Argentinas. Henr. Oetingenſ. MS. Auent. Chron. S. Jacobi Scotorum. MS.

ne adhuc exule, acceptis, Auſtriis imminebant. Fauit conſiliis opportuna Alberti mors, & Henrici ſucceſſoris in eius Filios iniquior animus nihil non agentis, vt Auſtriæ poſſeſſione eos dejiceret; adeò vt Friderico jus ſuum more Maiorum Spiræ ab eo repetenti renunciaritur, Ob vnum Auſtriæ Ducatum Quinque Reges interemptos: ſatis vtique cauſæ ſuppetere, vt rerum in ea prouincia ordo mutetur. Qua voce ictus Fridericus id duntaxat reſpondit, Cæſarem, ſi in ſententia perſiſtat, fieri Sextum poſſe. Ea libertas Cæſarem à propoſito deduxit. Interim tamen dum in regia hæret Fridericus, BOIARIÆ, quos dixi, Duces Neoburgum, vbi nuper ignominia accepta fuerat, cum copiis redeunt. Obſidio iniquiſſimo anni tempore & rigente brumâ in quartum menſem protracta eſt; Sequentis anni initio, ipſis Regalibus, per cuniculos in arcem vſque penetratum eſt. Lambergius loci præfectus deſperata defenſione tectis ignem injicit, & maturè Wernſtainium, quod è regione ſitum eſt, cum præſidiariis tranſgredi properat. ſolventes

FRID. AVSTRII LIBERA VOX.

ventes à littore Boii occupant, obruiſſéntque telorum grandine, niſi Othonem ex cultu agnitum ſupplices appellaſſent; qui inhibita ſuorum vi parci juſſit fortibus viris; negans virtutem, etiam quam in hoſtibus formidauerit, odiſſe ſe, quin potiùs ad debitum ipſis ſtipendium libertatem auctarij loco adiecturum. Induciæ deinde Myſtarum Bataueuſium interuentu vſque ad Friderici aduentum factæ. Is periculi magnitudine cognita veris initio cum tumultuariis copiis ad Rhenum intérque Sueuos lectis per Saliſburgenſem agrum maximis itineribus in Auſtriam regreſſus, confluentibus vndecunque auxiliis, nonnullas etiam Conrado Saliſburgenſi adducente cohortes, exercitum quindecim hominum millium conficit, cúmque ardens animis in BOICAM infundit, Schärdingæ potiſſimùm exitium minitans, &, ne factis quàm dictis eſſet clementior, flamma paſſim ferróque ſæuus. Prima omnium Rieda oppidum perelegans integras vires nulláque libatas clade excepit ſuſtinuítque cum laude diebus quatuordecim.

OTHONIS HVMANITAS IN HOSTES.

FRIDERICVS AVSTRIVS BOIARIAM INFESTAT.

Arce

Arce dedita, quod hoſtis facturus erat, oppidani occupant, inflammatiſq; ædibus cùm victoriam non poſſent, prædam Friderico eripiunt. Schärdingam deinde itum; cuius periculo moti Principes, euocatis Truhendingio & Hohenlohio Comitibus, latè rusticanum omne nomen concitant, & ſeptuaginta peditum millia præter equitatum in aduerſa Oeni ripa hoſti objiciunt obſidionis tædio & commeatus inopia jam debilitato carptóque quotidianis funeribus. Poterat tamen adhuc ſine dedecore ſolui obſidio, & parta populando ſpolia tutò ſubduci: ſeſſitantibus & inutili mora captantibus famam conſtantiæ is quoque fructus ſuſceptæ expeditionis periit. Nam Hartliebus Puechpergius concinnato extemporali ponte tranſportatiſque de nocte copiis inopinantes oppreſſit; ſpacium certè ad conuaſandum non dedit. Fugitiui ignem vrbi deſtinatum ſuis ipſi caſtris iniecere nihil tamen ex voto acturum. Noſtri eo confeſtim ſopito integra præda potiti ſunt. Epiſcopi Saliſburgenſis ſupellex genialibus ludis quàm militiæ aptior

RES SCHARDINGÆ GESTÆ.

VICTORIA DE AVSTRIIS PARTA.

per

Digitized by Google

per ludibrium ſubiecta haſtæ & addicta quatuor non amplius libris Batauenſibus, vt riſum populo daret & materiam vernaculo carmini. Victoria in tertium Non. Nouemb. incidit, cùm eodem ferè tempore altera Auſtriacorum manus, Vlrico Waldſeio Duce, Titmaningam Saliſburgenſis Antiſtitis oppidum attigiſſet amicis juxta hoſtibúſque grauis, & promiſcuè vrens fœdánſque omnia. Agris vaſtatis peſtilentia in corpora incubuit, vt Titmaningæ duntaxat ad Cal. Febr. vſque mille trecenta funera ducta ſint. Malum aëre vitiato aut corporum contagione etiam per BOICAM propagatum eſt; cuius Prouincias Superiores Rudolphus & Ludouicus Primæ BOIARIÆ Duces noua ſortitione paulo antè inter ſe diuiſerant. Auctor facti Ludouicus. Arbitri dati Henricus Seeveldius, Eberhardus Thorius, Hermannus Rorbachius, Bertholdus Diſcophorus Küllenthalius, Otto Greiffenbergius, Albertus Iudmannus ſupremus Mareſchallus, Otto Euringſpurgius, Bertholdus Röchlingius, & Henricus Gumpenbergius. Ab iis Monachium & Ingol-

Chron. Saliſb.

PROVINCIARVM NOVA DIVISIO INTER FFrr. FACTA.

Ex literis publicis.

Digitized by Google

Ingolſtadium velut Metropoles conſtitutæ. Huic accenſa Keſchinga, Huntsperga, Neoburgum, Raina, Truishaimium, Donerſperga, Höchſtadium, Gundelfinga, Hagela, Aſcholdinga, Aicha, Fridberga, Schiltberga, Mülhuſium, Schnaitbachium, Schrobenhuſium, Dachouium, Weikershofium, Landſperga, Wildenroda, Widerſperga, NeoLechſperga, Pälium, Weilhaimium, Pfaffenhouium, Reichershouium, Geiſenfelda cum Agro Wachouienſi in Auſtria. Monachio contributa Vohburgum, Pferinga, Neoſtadium, Sigenburgum, Meinburgum, Rotenekium, Haimhuſium, Schvvaba, Waſſerburgum, Klingenberga, Hadmarſperga, Valeia, Aiblinga, Fauces Erlanenſes, Ebſeum, Kuffſtainium, Weirberga, Ratenberga, Küzpüchla, Tölzium, VVolffratshuſium, Grüenenvvalda & Falkenſtainium. Certis deinde limitibus confinia partiti, quantum humano prouideri conſilio potuit, nihil dubium controuerſúmque reliquerunt. Palatinatus Rhenanus & jura ciuitatis Ratisbonenſis in ſortem non venere. Nouo-

rum

rum vectigalium exigendorum poteſtas ambobus abiudicata; nonnulla etiam ad vetus temperamentum reuocata. Diſertè de eo, quod promercalibus rebus impoſitum ad Monachium ædificiis excolendum impenſum fuerat, cautum, vti aboleretur; monitíque Principes, ne muniendarum vrbium causâ prouinciæ oneri ſumptuíque eſſent. Rebus pluribus ad eundem modum ex æquo bonóque conſtitutis, Ingolſtadiana Toparchia Ludouico ſortitò obtigit; Monacenſis Rudolpho. Concordiæ tamen, quæ potiſſimùm diuiſis imperiis quæſita fuerat, conſultum non eſt, apparuítque vnà cum prouinciis etiam animos diſtractos. Triſtia ſunt, quæ Fürſtenfeldenſis viſa auditáque ſibi in commentarios retulit multo tamen quàm vellemus jejuniùs; nam communes omnium bellorum clades nominaſſe contentus iis diſtinctè enarrandis abſtinuit, vnico Ludouici facinore ſuâ adhuc juuentâ ferocis perſtricto, qui jactatis infeſta manu in agreſtes caſas facibus oculos incendio pauerit, illætabili voluptate ex buſto quæſita. Breui tamen

Odia fraterna et bella.

men

MCCCXI. *Henr. Oeting.*

PAX INTER BOIOS ET AVSTRIOS COMPOSITA.

men ad ſe, & cum fratre patriáque in gratiam rediit; & altero mox anno, qui vndecimus fuit, paci etiam alibi ſanciendæ vtilem operam nauauit. Stephanus Othonis frater Inferioris BOIARIÆ Dux è viuis exceſſerat, quinque liberis ſuperſtitibus, Henrico & Othone, Beatrice, Eliſabetha & Agnete; quos moriens fratri commendauerat nondum cum Auſtriacis conciliato. Non aberat tamen animus dandi accipiendíque conditiones, ſi primi congreſsûs verecundiam diffidentes ſuperaſſent, premere pacis deſiderium ſoliti, veluti confeſſionem imbecillitatis. Inutilem cunctationem Eliſabetha Alberti Cæſaris vidua diſcuſſit; & Conrado Salisburgenſi, Bernardo Batauenſi, Ioanne Brixinenſi, Alberto Gurcenſi, Henrico Carinthio, Regulis Ortenburgenſibus aliiſque colloquij cauſâ in Batauenſem vrbem contractis, talium virorum auctoritate Othonem, qui cum Patruelib. Rudolpho & Ludouico eodem acceſſerat, facilè permouit, vt ſimultates priuatas Reipub. condonaret. Captiui vtrinque redditi; fœdus nouo vinculo ad

Digitized by Google

adſtrictum, Eliſabethâ Stephani F. Othoni Auſtriaco deſponſâ. Otho Boius pacem domi pulchrè ſtabilitam noua cupiditate euertit. Vngariæ corona capiti eius, non item animo exciderat, in nulla re, quæ regno humilior eſſet, acquieſcenti. Intolerabilem jacturam iniuriæ ab Vngaris acceptæ atrocitas faciebat, quam ſi tacitus deuoraſſet, vel priore aliquo ſcelere meruiſſe, vel ignauâ patientiâ ea non indignus videri poterat, magno conſcientiæ teſtimonio, quæ vindictam meditantibus prima obſtrepit. Stimulabant ſponte ruentem perpetui aſſeclæ viri militares, quibus graue otium erat & vna ars, gerere bella vel ſerere. Occaſionem tam bellam negligentibus, quæ dari alia potuit, cui tantundem æquitatis, aut ſpei plus ineſſet? Licuiſſe Othoni, ſpreto, cùm offerretur, regno, laudem captare modeſtiæ; acceptum ſi ſponte poſuiſſet, id quoque ad gloriam valiturum fuiſſe; per vim & vltimam perfidiam erepti dedecus muſſitare inultum, eius duntaxat eſſe, qui inerti otio corruptus honeſti decoríque ſenſum amiſerit, & imme-

Otho Regnum Vngariæ noua cupiditate repetit.

mor poſteritatis, quid illa de ſepulto dictura ſit, ſua negat intereſſe. Et ſanè non erat eorum hominum Otho, qui conſcientiæ omnia, nihil famæ dandum cenſeret, pronis ad bibenda glorioſa hæc dicta auribus, & obſequens ad ardua incitantibus, vltro ſumpturus impetum auſuruſque omnia pro nominis æternitate, niſi magnorum conatuum neruos ærarij tenuitas incidiſſet. id jam olim grauiter afflixerat, cùm ad capeſſendam coronam vocatus, & repentè ex non maximo Duce Rex proditurus tantæ fortunæ non modò Regio animo, ſed apparatu etiam occurrendum putaret: ſed neque interim reſpirandi ei ſpatium dederat ſemper in armis verſatus, quorum inſatiabilis ingluuies eſt tantundem auri quantum humani ſanguinis abſorptura. Per omnes redigendæ pecuniæ vias ſpe cupiditatéque vaganti neſcio quis ex Aucupibus argentariis nouam facilis & expeditæ opulentiæ venam aperuit, quam oculis placet ſubjicere. In eam vſque diem Iuriſdictio omnis penes Principes fuerat; quæſtiones de ſontibus ex eorum præſcripto aucto-

OTHO PRIVILEGIIS PROVINCIÆ CONCESSIS PECUNIAM REDIGIT.

auctoritatéque exercitæ; litigantibus ipſi arbitros & judices dabant; æs multatitium ad eorum ærarium redibat. Hæc ergo jura Maieſtati Principatus annexa ſi cum ſacro profanóque ordine Otho communicaſſet, dubium non erat, magno empturos, ſi in poſterum etiam iis cautum fuiſſet, & beneficium illud æternum fieret. Placita vtrinque conditio eſt; & reſeruata duntaxat rerum capitalium quæſtione, ſiue actionibus Furti, de cæde & vi, minora judicia Rebuſpublicis Optimatibúſque in eorundem ciues, clientes colonóſque permiſſa, certis legibus, quibus ſuum ſinguli jus vel tuerentur vel repeterent, conſtitutis. Viciſſim Prouinciales ſtatus luculenti tributi penſitatione ærarij inopiam ſubleuarunt. In ſingulas frumenti ſcaphas menſuræ Landishutanæ (id duorum hominum annuum dimenſum eſt) aſſes Ratiſbonenſes certo numero pro bonitate farris imperati. Primarium, ſiue triticum id, ſiue ſiligo eſt (neque enim communiſſimo humanæ gentis pabulo idem apud omnes nomen) aſſibus octoginta; Secundarium,

Ex Monum. publicis Privilegiorum Prouincialium.

Auentinus Siligine͂ appellat Waitzen/*Triticum* Roggen. *hodie ferè no-*

mina inuerſa. vnde plebi panis, ſexaginta; hordeum quadraginta; auena triginta redemptum eſt. Vectigal Pecuarium à Colonis pendi ſolitum Principi totum annumeratum: Dimidiatum è villis caſeum prementibus. Decumæ Sacerdotum intactæ immunéſque relictæ; ager, quem ipſi ararent colerentq;, profano exæquatus. à colonis octaua bonorum exacta; ſi quid ad ſummam deeſſet, id dominis patroníſque imperatum. De frumento cibario, quo beneficiarij Principis, homines ſacrati, domúſque hoſpitales familiarem penum inſtruerent, nihil detractum. Hæc ſumma tabularum capita ſunt; nam omnia referre non placuit. editæ ſunt XVII. Kal. Iulij anno vndecimo. Aliis ſeorſim Conrado Epiſcopo Ratiſbonenſi cauſarum omnium, præter capitales, cognitio in ſua prouincia eſt confirmata, ſi quidem tributum cum fide collatum fuiſſet; ad quem modum reliquis etiam Epiſcopis cautum, ſatis per ſe videtur intelligi. Otho nihilominus tam pretioſis vectigalibus, quò votis omnibus tetenderat, non peruenit, morte, qua hoc

Columella Siliginem tritici vitiū; Plinius tritici delicias appellauit.

Apud Aug. Colner.

OTHONIS MORS.

Digitized by Google

hoc ipſo anno ſublatus eſt, omnes ſpes incidente. Ante dies omnino tredecim Henrico filio ex Agnete coniuge auctus fuerat, ob cuius tutelam magni motus exorti, quos Italicis obiter inſpectis, referemus.

VIII.
MOTVS ITALICI INQVE IIS COMPONENDIS STVDIVM HENRICI CÆS.
Chron. Fürſtenfeldenſe. Vecerius. Argentinas: &c.

Guelfi & Gibellini fanaticæ factiones & in perniciem Italiæ natæ more ſuo inſaniebant. Henricus Cæſar rogatu Pontificis, & quia Auguſti nomen alibi ſperare non potuit, autumno jam adulto anni decimi, haud ſanè pro neceſſitate comitatus alpes tranſcendit. ſed ſimul ac pedem inter Langobardos poſuit, non magis Italicum Cælum Germanico, quàm mores moribus vi dit intereſſe; tantum erat vbique perfidiæ & malarum artium, quas furioſæ illæ ſectæ, abruptis humanæ ſocietatis vinculis & tantum non extinctâ humanitate, inuexerant; vt tum demum Rudolphi Cæſaris apologum approbaret, qui identidem in Italiam pellectus negauit vulpi vel integrum eſſe vel conſultum ad ægrum Leonem viſere, quòd veſtigiis aduerſis omnibus, nullis auerſis offenderetur. Compererat ſcilicet

RVDOLPHI CÆS. DICTVM DE CÆSARVM ITINERE ROMANO.

cautiſſimus Princeps ſiue famâ ſiue annalium fide, haud perinde tutum Germanicis Cæſaribus in patriam receptum patuiſſe, quàm blandæ fuerant invitationes. Senſit ergo Henricus non in regno ſuo, ſed hoſtico eſſe ſe, neque iter ad coronam aliter quàm gladio poſſe aperiri. Noua ergo ex Germania auxilia accerſenda ratus BOIOS etiam Auſtrióſque Principes euocauit. Ex his Leopoldus Sueuiæ Dux; è BOIIS fratribus Rudolphus eo ſunt profecti. Ludouicus enim ex arcano Cæſari infenſus ſe non mouit. Leopoldus prior iter ingreſſus ſub anni finem copias cum Henrico coniunxit, & pridie Chriſtiani Natalis cum eo Mediolanum, Guelfis inuitis, ingreſſus octauo die pòſt Regni Italici Inſignia capeſſenti adſtitit. contractis deinde in colloquium vtriuſque factionis Principibus ferales ſopire iras Cæſar inſtitit, quarum neutri veras cauſas haberent, niſi hæreditaria odia facere vellent, aut in vaniſſimorum nominum gratiam furerent. Nihil æquitati poſtulatorum, nihil reuerentiæ Pacificatoris datum. diceres non pro hominibus

HENRICVS GVELPHOS ET GIBELLINOS FRVSTRA AD CONCORDIAM INVITAT.

nibus, ſed lupis agníſque conciliandis laboratum, haud alio operæ pretio, quàm certiſſimæ mortis, quæ, Guelfis tumultuantibus, jam Regi imminebat, niſi Teutonicorum militum & Leopoldi Auſtrij virtute ſummum nefas auerſum fuiſſet. Brixiam deinde obſidente Cæſare, Rudolphus in caſtra venit partem laturus faſtidioſi laboris, qui vndecimum ferè annum abſumpſit, vnáque præſtantes viros, quos inter Walramus Regis frater ſagitta ictus cecidit. Secuta ſub hiemem Beatricis Reginæ fœminæ ſanctæ mors luctum duplicauit. Anno denique duodecimo Romam Roberti Siculi copiis præoccupatam inter continua prælia ægrè tenuit, illic quoque infeſta omnia expertus. Guelfi caſtellatim diſperſi, inſeſſíſque, quas ad tutandam latrociniorum licentiam paſſim muniuerant, turribus, non ſanctitatem modò vrbis ſed pacem etiam turbabant, in Tiberino potiſſimùm ponte feroces propugnaculi fiduciâ, quod illic firmiſſimum conſtituerant ſagittariis refertum, cum paratâ in ſubeuntes miſſilium procella. Cæſar nihil-

RVDOLPHVS AVXILIA CÆS. IN ITALIAM ADDVCIT.

A. MCCCXII. PVGNÆ AD ROMANAM VRBEM.

Digitized by Google

RVDOLPHI SPECTATA ROMÆ VIRTVS.

ominus magnitudine animi fretus & Rudolphi ducem ſe præbentis oratione confirmatus, caput ſuum, cui corona quærebatur, obiicere periculo eſt auſus: eodem audaciſſimus quiſque & oſtentandarum difficillimo loco virium cupidus proſiliit. Res vtrinque memorabiles geſtæ. duo ex Rudolphi Satellitibus, qui proximi lateri eius hærebant, telis confixi ſunt. Fuere, quorum inuicta aduerſus hominum locorúmque iniquitatem virtute Cæſar captus eoſdem, vti erant, ſuo hoſtilíque ſanguine perfuſos horridóſque in illo ipſo egregiorum facinorum theatro nobilitate donauit. Nudo enſe ſecundum tergum leuiter ictos, macte virtute eſſe juſſit, & in Equitum ordinem jure quo qui optimo cooptauit. Rudolphus Guelfis intra munimenta reiectis victorem exercitum in vrbem deduxit; atque Henrico à Cardinalibus Clementis Pontificis Vicariis Imperatore ſalutato, cùm ſub idem tempus triſtes de Ludouici filij morte & gliſcentibus in BOIARIA turbis nuncij afferrentur, Roma digreſſus in patriam rediit. Id Henrico Cæſari con-

EQVITES A CÆSARE CREATI.

HENRICI CÆS. MORS.

conceſſum non eſt. Rebus cœptis magnâ gloriâ inſiſtenti & Italiæ vniuerſæ pacem reddituro vita erepta eſt. Non naturæ, ſed hominum eam iniuriam fuiſſe vulgò creditum eſt, obiectúſque inuidiæ * Bernardus quidam è ſacra D. Dominici familia, qui imbutum veneno Euchariſticum panem ægro porrexerit mortémque cum vita propinârit. Sed commentum atrocius eſt, quàm vt credi à cordatis poſſit; tunc tamen fidem reperit & auctores, qui vulgarent. BOIARIA per idem tempus aliquot Epiſcopis orbata eſt. Conradus Salisburgenſis Anno Duodecimo VIII. Kal. April. qui idem dies ei Natalis fuerat, viuendi finem fecit. Anno vno eum Emicho Friſingenſis anteceſſit; Conradus Ratiſbonenſis ex eodem interuallo ſecutus eſt. Wickhardus Polhemius, Gottfridus, & Nicolaus Bohemo Regi ab Epiſtolis in vacuas ſedes, quo eas ordine nominauimus, rite ſunt impoſiti. Inſeramus Pontificiis humiliora funera, ſed in ſepulchri titulum magnas virtutes ſuppeditatura, quarum memoriam renouari profuerit. Albertus Sue-

In Rhytmis Freherianis appellatur Paulinus.

VVolffg. Selender ex Alberto Priore Mon. Super. Altaich.

Digitized by Google

B. ALBERTI MONACHI SVPER. ALTAICH. SANCTÆ VITÆ COMPENDIVM.

vus gente, Haigerlochiano agro, claris natalibus genitus, flore ætatis fœdè inquinato, paulo pòſt benigniore Numinis radio perſtrictus in maximæ frugis ſpem reuiruit; maturitatem tamen polliceri ſibi non auſus mutauit ſolum, & in Altaichium Superius culturæ causâ conceſſit; vbi ad omnem expolitus elegantiam ipſiſſimum ſanctitatis odorem exhalauit; cuius ſuauitate afflati etiam ſcelerati homines complures è vitiorum fecibus emerſere: ex quo numero fœmina proſtituti pudoris, Alberto conciliatore, cum Deo reducta in gratiam piacularem victimam ei ſeſe obtulit, voto ſanctiſſimè nuncupato, vt in viuentis corpore debita noxis ſuis ſupplicia experiretur, & parceret mortuæ. ex quo tempore propè ſupra humanam exercita patientiam ſpecimen aliquod juſtitiæ diuinæ mortalibus repræſentauit. eius tamen rigor ſubinde Alberti precibus temperatus eſt; quo modo alteram quoque fœminam furori proximam & per interualla exerrantem animo, cùm eum vnum morbum deprecaretur, contactu Alberti ſibi redditam eſſe

SERIA CVRA EXPIANDI SCELERIS IN FOEMINA.

Digitized by Google

eſſe intelleximus. Inſigni erat erga mortales omnes charitate. elephantiacos tamen velut peculiarem ſuam clientelam exquiſitiſſimè coluit, obire gurguſtia eorum ſolitus & diuinum epulum afferre morituris, cuius præſentiâ nauſeantem ſtomachum confirmabat ita ſecum reputans, qui Deum hoſpitem tecto receperit, humano alloquio congreſsúque non indignum videri. Hunc tamen vltimis hominum tam familiarem Cælites non auerſati ſunt. certè illis referentibus impendentem cœnobio cladem didicit; quæ ne exitialis ei aut diuturna eſſet, lacrymis illius datum eſt, quas ſuauiſſimo promiſſo Deus deniq; abſterſit. Sexaginta annis eodem virtutis tenore actis, VI. Kal. Decemb. A. MCCCXI multa radiantem luce animum ad cognata ſidera emiſit, tenuítque ſolenne ſuum etiam mortuus & de humano genere bene mereri perrexit. Sed agnoſcat etiam alter ſexus ſua in Notburge decora, plebeiâ quidem virgine nulliúſque censûs, ad focum olim & inter haras ſpectatâ, nullâ tamen virtutis iniuriâ, quæ in omni ſe theatro oſten-

ALBERTI ERGA MISEROS PIETAS.

FVTVRA DIVINITVS INTELLIGIT.

Matth. Raderus ex Pet. Dietingero habet quinquaginta. Tert. Part. Bauariæ S.

B. NOTBVRGIS V. ADMIRANDÆ VIRTVTES.

Digitized by Google

oſtendit. Nata Ratenburgi BOICA olim vrbe, nunc Tirolenſibus addita, operam Dynaſtis, quibus ab vrbe nomen, addixit. cætera eius vita in obſcuro. beneuolentia in pauperes emicuit; quam cùm Otilia Notburgis hera reſtrinxiſſet, analecta ciborum crudeli mandato non pauperibus ſed porcis affundi imperans, paulo pòſt impietatis pœnas præpropera morte dedit. Manes eius inter porcos grunnientis & triſtes mortuæ querelas familiares agnouere audiri non ante deſitas, quàm intempeſtiua in porcos liberalitas larga in pauperes ſtipe eſt expiata. In maritum quoque eius Henricum Ratenburgium cæleſtis vindicta incubuit; opulentiâ aliiſque bonæ fortunæ comitibus vnà cum Notburge aliò migrantibus. Turbis, quas inter Conradum Saliſburgenſem & Albertum Auſtrium ſuo loco concitatas diximus, inuolutus & Sifridum fratrem inimicum nactus quotidiana damna ſenſit luxítque, donec ſuam illam tutelam familiarem infimis exoratam precibus domum reduxit. Simul felicitas tantiſper exulans, ſed & religio pietáſque reuoca-

IMPIETAS IN EGENOS MORTE CASTIGATA.

vocatæ. Funus Notburgis ſub annum decimum tertium mortuæ rariſſimis plenum miraculis fuit. Boues, qui ſandapilam plauſtro impoſitam, nullo duce, traxere, viam per Oenum, qui rapidiſſimus illic profundo alueo voluitur, reperiſſe fama eſt. Longum iter per ardua emenſi Ebeni ad D. Ruperti Ædiculam ſubſtitere. Illic cùm tumulum aræ proximum Notburgis accepiſſet, ne ſic quidem pro dignitate ſitam mortales arbitrati templum auguſtius è porphyretico lapide adiunxerunt, cui Maximilianus Primus eo nomine Imperator vltimam manum impoſuit, & illam olim ſeruam Auguſtus patronam ſalutauit. Feruent etiam hodie Populi ſtudia ſuam & ægri pecoris ſalutem nunquam vanis votis ab illius manu repoſcentis. Nunc à funeribus ad bellum accingimur. Othoni, quemadmodum commemoratum eſt, paucis ante mortem diebus Henricus natus fuerat; cui cùm Ludouicum Patruelem Tutorem deſtinaret, ciues Landishutanos & Straubingenſes ſacramento adegit, non paſſuros eam prouinciam ad alium

DE TVTELA HENRICI OTHONIS F. CONTROVERSIÆ.

quem-

Chron. Fürſtenſ. MS. Vitus Arenpechius.

quemquam deferri. Id Friderici Auſtrij causâ factum, qui pupillo imminens, concitatis nobilitatis BOICÆ ſtudiis, eam ad ſe curam reuocabat. Albertus & Alramus Halſij, Eberuinus Degenbergius, Hartliebus Puechpergius, Albertus Schönſtainius & alij complures promiſſis largitionibúſque ineſcati, Othonis mandatis inſuper habitis, eo v. Id. Septembris mortuo, Fridericum in Prouinciam inuitabant. Ludouicus earum molitionum non ignarus Landishutam è veſtigio aduolat, ne per abſentiam æmuli ambitioni vires adjiceret; cuius ea confidentia fuit, vt paulo pôſt Landauum vſque progreſſus Ludouico de jure tutelæ litem intenderit.

BOII AVSTRIIQVE CONGRESSVS.

BOIO nihil fieri poſſe iniquius viſum. congreſſus nihilominus cum eo vbi ſolis factioſæ nobilitatis ſtudiis tumentem, nullo ſubnixum jure loqui tamen ferociùs animaduertit, ipſe quoque vel oblitus ſui, vel in vtrumque paratum ſe ſignificans manum capulo admouit, &, „ quando inquit, verbis nihil proficimus, „ hic judex eſto; apparebátque proceſſurum longiùs, niſi amici in tempore col-

loquium

Digitized by Google

loquium abrupiſſent. Audita tamen Friderici vox eſt, effecturum ſe breui, vt Ludouico oculi doleant, immigrante in BOIARIAM Auſtria, præter exilium nihil habituro. In digreſſu bellum invicem denunciatum. octo duntaxat dies ad apparatum conceſſi; longiorem moram non permittente ira, cui ad ſuam alienámue perniciem ruenti nihil ſatis properatur. Fridericus rectà ad Leopoldum fratrem in Sueuiam profectus eundem, quibus ipſe conflagrabat, ignibus, ad vlciſcendas communes iniurias (ſic enim ſua faſtidia Principes appellitant) accendit. ad fratres reliquos in Auſtriam nuncij miſſi, cum imperio vocandi ſub ſigna militis, quantuſcunque excitari per illam celeritatem, & occupari ſplendidis promiſſis poſſet. non bellum, ſed ſpolia BOICA ſpondebantur; multo ſermone geminæ tempeſtates ab oriente pariter & occidente ſole imminentes incautæ genti celebratæ; in medio deprehenſæ & vtrinque perituræ inſultatum intempeſtiuâ dicacitate & in auctores ſuos rediturâ. Ludouicus enim etſi in Rudolpho fratre

BELLVM PRO IVRE TVTELÆ NATVM.

APPARATVS BELLI.

MAGNANI-

Digitized by Google

MITAS LODOVICI. tre ſpei nihil repoſitum, nitendúmque ſibi ſeipſo videbat, animi tamen magnitudine ſuſtentabat belli molem, viribus ex cauſa petitis, quâ vti ſuperiorem ſe nouerat, ita ſperabat inuictum fore. Nihilominus ex Franconia Sueuiáque auxilia, & ex BOICA fortiſſimum quemque euocans in campis Zeidelbacenſibus non contemnendum exercitum confecit. Auſtriaci certè ad eius famam animis imminuti ſunt, & vtcunque numero præſtarent, loquebantur tamen modeſtiùs, cauti ex ferocibus & penè cunctatores facti. Dicebantur de trahendo bello ſententiæ, & retundendis morâ hoſtibus, quibus vti animos antea, ita mox annonam defore, perſuaſum habebant. BOII ingratas peroſi ferias fremere inter ſe, bellum ſibi hoſtémque depoſcere, fatigare Duces; vterentur animis, dum arderent, & primos impetus pugna potiùs quàm tædio conſumerent; arriperent ipſi bene gerendæ rei occaſionem, neque hoſti permitterent ſuorum moderamen conſiliorum: optimè rem geri, cùm illi minimè videretur. Duces ne quo maximè vellent

vellent tempore militem in poteſtate non haberent, vtendum eo animorum ardore rati Principi autores fiunt de ſumma rei decernendi. Ille facinus ad ſpeciem temerarium ſed euentu felix aggreſſus Quadringentos fidei & fortitudinis expertæ ex vniuerſo exercitu deductos ſub probatiſſimis tribunis centuriat &, per ſpeciem petendi ex vicina Inſula ſtipendij, ire ſibi comites iubet. Ex itinere repentè Moſpurgum deflectens rectà in hoſtem mouet fixis trans Iſaram caſtris latè toto agro diffuſum. Iam eò ventum erat, vt nudari conſilium neceſſe eſſet, vtpote ſtatiuis hoſtium in oculos incurſuris, niſi coorta ſubitò nebula lucem condidiſſet. Ludouicus fortuitum naturæ beneficium præſentis fauorem Numinis interpretatus agmen ſiſtit, & milites in orbem circumfuſos in hunc modum alloquitur. Nihil dubito, commilitones, cùm viritim ex omnibus delectos cohortibus corporis mei cuſtodes comitéſque adſciſcerem, meo vos eſſe judicio delectatos, & jucundiſſimis, quos vnquam tuliſtis, virtutis veſtræ fructibus hoc

LVDOVICI FACINVS AVDAX.

LVDOVICI ORATIO MILITARIS.

Xxx publi-

publicum teſtimonium adnumeraſſe. etiam fortuitò vel ſortitò tantùm ad hunc gradum prouectos amicorum gratulatio, æmulorum inuidia ſecutura fuerat; quò luculentiùs gloriæ veſtræ conſultum eſt hoc tam deliberato expensóque ſuffragio meo, quo palàm omnibus factum eſt, totius exercitus robur & BOICÆ virtutis florem Principis vos eſſe ſententiâ pronunciatos; in qua ſi maximè deceptus fuiſſem, ſi præteritis dignioribus, oneraſſem veriùs quàm ornaſſem vos tam magnifici præjudicij mole, elaborandum vobis omni ſtudio crederetis, vt fortibus factis ſeruiretis famæ, & quomodocunque aditæ poſſeſſionem gloriæ ſtabiliretis. ſed cauiſtis jam olim ſcilicet, ne quis vobis niſi per iniuriam poſſet præferri, neque de manipularibus veſtris vllus fuerit adeò admirator ſui, qui componi vobiſcum ſuſtineat. illud potiùs relictis & quantocunque ex interuallo accedentibus ad veſtram laudem ægrimoniæ fuiſſe exiſtimem, quòd vltra quadringenteſimum neminem citârim, & tam auidas ſpes poſitis limitibus

tibus à tanti decoris conſortio excluſe-rim. ſed nimirum hic ſtipendiis tutò in caſtra conuehendis ſtipandóque Principi veſtro juſtus numerus eſt viſus; imò, ne quid vltra diſſimulem, vobis fretus, amici, in hoſtem eo; & ,ſi rectè judicaui, ad pugnandum vincendúmque ſatis habeo militum. id modò proviſum eſt, ne gloria, quam olim ſparſi inter plures communicare etiam cum timidis digníſque, qui apud hoſtes me-rerent, coacti eſtis, aliis auctoribus, quàm quibus debetur, feratur accepta. Ego enim bellis omnibus certum habeo Victoriam eſſe paucorum, & ſæpe vna manu partos triumphos. Atque in huius rei documentum auctoratos vos intelligite. quantillum enim erat ad tutelam ſtipendiorum excitari tam ſcrupuloſo delectu? Non ſic abutimur triariis; neque his rudimentis exercebimus emeritam virtutem. Rei BOIORVM publicæ priuatæque, aris & focis communibus,& quidquid hoſtilis improbitas laceſſere & impugnare auſa eſt, patronos vos legi & vindices; meas populique ſpes omnes veſtræ manus ferunt,

ſuſtentabúntque, niſi me certiſſima auſpicia, quæ aliunde, quàm ex veſtra virtute, capere nefas duxi, fefellere. Quid? quòd nunc demum ſeriò exporrigi frontes, & geſtientium animorum erumpere ex oculis ſigna aſpicio, cùm veſtrum vobis imperari negotium auditis remiſſuri aliis quantumuis honorata munia, modò ferrum ſtringatis primi periculorum quàm pecuniæ auidiores; quòd hæc etiam ad ignauos aberret, cum illis nemini, præterquam viro forti, bene conueniat. Fruimini veſtris votis nunc denique parem aduerſarium nacti, cui tam impares numero eſtis. ne pudere pugnæ vos poſſit, effeci; ne pœniteat, in veſtra manu eſt ſitum. Demus poſteritati normam, ad quam expendatur BOICA virtus, & meminerit patria, ſi ſimiles vobis genuerit, quadringentos viros ad ſe tuendam ſatis fore. ſereno egreſſos cælo Deus nebulâ circumfudit, manifeſtâ conſilij noſtri approbatione. hoc tectos velo perducere ad hoſtes vult, ne qua nos res prius, quàm gladius gemitúſque morientium pro-

prodat. lucem alioqui diei vos clariſſimis factis reddetis, quibus, niſi malè auguror, nulla vnquam obliuio tenebras eſt offuſura. Ite, quóque euentu hucuſque militaſtis, vincite. Aliis animos & præcepta dabo pugnandi; vobis hoſtem oſtendi ſatis eſt. Exſaturate animos hoc pabulo gloriæ, quódque Principi veſtro perſuaſum eſt, etiam hoſti probate, non niſi ad colligenda ſpolia multitudine nos indigere. Cùm finem dicendi feciſſet, pro ſe quiſque gratias agere Principi, quòd qualemcunque operam ſuam vtilem Reipub. judicaſſet, & in maximi facinoris ſocietatem admiſſos ſuo pede eſſet menſus, veluti pares efficiendis iis rebus, quarum ſpem regio ipſe animo eſſet complexus. Duceret quo vellet deuotos ſibi: ſi Principis ſui præconio, quod vita pluris æſtiment, digni vnquam fuerint, id ſe illuſtri victoria obſignaturos; ſi immeritis contigerit, ſuo ſanguine induci deleríque æquiſſimum videri. Neque ſua ſpes Principem, neque delecti fidem fefellere, longiùs etiam audendo, quàm Princeps hortando, progreſſi. Honeſti enim

CVPIDITAS

GLORIÆ INAVDITO EXPERIMENTO PROBATA.

curã & laudis amore incenſi, clanculum irrepere in caſtra hoſtium & opprimere incautos vt alienum à dignitate ſua præiudicióque Principis aſpernati ſunt, negantes furtiua ſibi victoria opus eſſe, aut deſperatione virtutis ad latrunculorum dolos confugiendum. Eadem, qua iter hucuſque confecerant, fiduciâ inuecti ad primas ſtationes, fine ambagibus pugnam poſcunt; explicant raram aciem in ſtupentium oculis, rati intereſſe gloriæ ſuæ, ne plures quadringentis cenſerentur. ſpacium hoſti non modò ad capienda arma, ſed inſtruendos inſuper ordines, & conſuetas Ducum adhortationes datum, quæ ferè in ridenda noſtrorum paucitate & vecordia abſumptæ. Nimirum duplici vtrinque exercitu clauſos, cùm victoriam ſperare non poſſent, viam quæſiuiſſe honeſtæ mortis, & aliquam ad poſteros famam; qui tamen vanitatem potiùs irriſuri ſint ſponte properantium ad macellum victimarum, quàm inutilem ferociam cohoneſtaturi nomine virtutis. Stultiſſimum eſſe faſtum ambitiosè diſputantium, quomodo pereant, & dictan-

Digitized by Google

ctantium morti vltimas leges & ordinem fati. Mactarent tamen deſperatos vltimo hoc honore, & quaterni ſingulos circumſiſterent, vt jactare Orco poſſint, Heroicos animos ſimplici vulnere ejici non potuiſſe. Inter hæc ſalſa dicta clamor vtrinque ortus, & militare carmen, à quo Germanis pugnas auſpicari mos fuit, pari vtrinque ardore cantatum, vnáque commiſſis ordinibus ad manus ventum. Illic numerus, hîc virtus fuit. Noſtri vt vincerent pugnabant; hoſtis, quaſi jam viciſſet. Mirabatur proinde, elapsâ inter acerrimam dimicationem horâ, nondum protritam eſſe pauculorum hominum pertinaciam, & plura apud ſe funera, quàm illic vulnera numerari. Igitur contemptus in formidinem deſiit; credidítque poſſe ſe vinci. Ludouicus vbique aderat, & factis magis quàm dictis alebat ſuorum ardores. egregiorum facinorum omnium ſpectator viciſſim ipſe ab omnibus ſpectabatur maximus dux, maximus miles. ſoli Svvezzelbergij Dynaſtæ vnius omnes gentis familiæque, nulla adhuc egregia re nobilitârant campum, tenuerant-

NOBILISSIMA PVGNA.

Fortaſſe Schlüſſelbergij.

INCREDIBILIS VNIVS MANIPVLI CONFIDENTIA.

rántque ſe velut arbitri alienæ virtutis. Suſpectari fraus poterat. conſilium fuit. Seruauerant in eum articulum integras vires auerſuri in ſe oculos manúſque hoſtium, cùm noſtri laxamento ad reſpirandum maximè indiguiſſent. Repentè igitur effuſis habenis, quà denſiſſimum agmen plurimúſque labor fuit, medios ſe inferunt, & ſtrage latè edita, viam ſibi per confertos aperiunt; eunt redeúntque fulminis more & in omnia latera graſſati terrorem quoquouerſus pauorémq; propagant. Vngari telis pridem conſumptis, nulla ſpe reliqua, ſalutem pedibus quæſiere. Auſtrij velut alienatâ mente ſpectabant maius humanis viribus opus; exiguam alam per infeſta tela volare impunè, obuia omnia obterere, nullam vim eſſe, quæ ſuſtinere paucorum impetum poſſit. Eadem apud noſtros, quibus hi otium fecerant, admiratio fuit. incerti primùm hærebant, agnoſceréntne auxiliarem manum, an latentes ſub aliena perſona Diui viribus cælo deportatis ea miracula ederent. Illud quidem vltro fatebantur, quicunque & vndecunque

eſſent,

Digitized by Google

eſſent, iis de virtute concedendum. pugnaſſe ſcilicet ſe, hos verò vincere. Simul eorum exemplo ſeipſis facti fortiores redintegrant prælium, & vndique aſſultantes inclinantem hoſtium aciem nullo loco patiuntur conſiſtere. Iactata paſſim arma, fugæ; vel, vbi via non patuiſſet, deditionis faciendæ ſtudio; noſtris clara voce Numini & Ludouico victoriam gratulantibus, paulo poſt ſolis occaſum. quos metus fugáque ferro eripuerat, magnam partem Ambro flumen hauſit, ſoluto ſub pedibus ponte, quem ſtipatis ordinibus obruebant. Superſtites corona circumdati in poteſtatem victoris conceſſere. Ex iis trecenti quinquaginta ſanguine vel opibus incliti aſſeruandi per oppida arcéſque diviſi; commeatus nonnullis reditum iureiurando pactis datus. Impedimentis Moſpurgenſes ferè ac Landishutani ciues potiti ſunt, magno rei familiaris incremento. Landishutanis inſuper ob nauatam eo prælio egregiam operam trium galearum inſigne honoris causâ à Ludouico eſt datum, vt nullius BOIARIÆ vrbium de patrij ſcuti

BOIORVM VICTORIA.

Auentinus.

LANDISHVTANIS PVBLICA INSIGNIA VIRTVTIS CAVSA CONCESSA.

Arenpeckh.

emblemate juſtior eſſe poſſit gloriatio. Pugna in paucis memorabilis in v. Idus Nouembris incidit. eius euentus in Ludouici primùm caſtra, deinde ad Fridericum & Leopoldum Auſtrios fratres alia omnia ſibi ſuiſque pollicitos perlatus variè, vti neceſſe fuit, animos affecit. Hîc dolor pudore mixtus; fortunam aliis, aliis ſociorum ignauiam, modeſtioribus cunctationem ſuam & ſera auxilia accuſantibus. Noſtris ad ſolidum gaudium id vnum deerat, nullas in pulcherrimo facto ſuas fuiſſe partes. Commilitonibus immortale nomen, ſeruatæ patriæ decus, primum gratiæ locum apud Principem partum; ipſos gloria priſcis Heroibus æquatos ſtupendum omni æuo trophæum ſtatuiſſe, & cantandos faſtis patriiſque carminibus memoriam ſui obliuioni eripuiſſe: ſe in eaſdem ſpes auctoratos indignos Duci ſuo viſos, quorum virtutem experiretur; etiam à ſpectaculo pugnæ excluſos, ne quid de gloria decerperent, inuiſa ſcilicet triumphantium appendix & fortium virorum vmbræ. Sed præmeditata jam fuerant hæc Ludouico incommoda,

moda, aderántque artes, quibus mederetur. Blanda oratio & dulciora verbis ſpolia obiecta querulis tumentes animos compoſuerunt. Boiariâ omni hilaritati operante, ſolus plaudentium vocibus Rudolphus offendi eſt viſus, proſperis fratris rebus tabeſcens & in hoſtes eius pronior: neque ſuſtinuit diutius circumſonari ingratis laudibus; ſed Haidelbergam profectus ibi ægritudinem concoxit, magnus deinde pacis ſanciendæ autor, non tam boni publici ſtudio, quàm ne fratri ex captiuorum opibus aut libertatis pretio, quod exigere ampliſſimum poterat, creſcendi facultas ſuppeteret. Ludouicus nihilominus vt erat ingenio miti miniméque auaro, quocunque conſilio frater fœdus vrgeret, negauit per ſe ſtaturum, quò minus æquis conditionibus feriretur: arma non niſi prouocatum induiſſe, cauſam ſuam à Numine conceſsâ nobili victoriâ velut albo calculo approbatam: bello ſuperiorem támque manifeſto ſubleuatum ſuffragio non tamen dubitaturum jure diſceptare, & litem integram iiſdem, quibus Auſtrij fratres vellent

Rvdolphvs fratris gloria ægreſcit.

Moderatio Lvdovici.

vellent, arbitris permittere. Lecti communi conſenſu Wichardus Saliſburgenſis, Nicolaus Ratiſbonenſis Antiſtites, & Henricus Carinthius Rex Bohemiæ titulo tenus. ij Saliſburgi, anno proximo, qui decimus quartus fuit, fœdus his legibus ſanxerunt. BOII Auſtriíque pacem amicitiámque colunto. Iniurias mutuò condonato vel luunto. Cognatorum Principum impuberum BOII fratres tutelam gerunto. Auſtrij ſeſe ne immiſcento. Captiui vtrinque in libertatem & priſtinum gratiæ honoríſque locum reſtituuntor. Alterutras partes ſecutis arma contra dominos tuliſſe fraudi ne eſto. Schärdinga, quoad captiui reddentur, apud ſequeſtres relinquitor: Libertate omnium in tuto collocatâ, in Ludouici poteſtatem pupillorúmque concedito. Halſij fratres factiones eiuranto. Hohenfelſius & Schönſtainius datis ſponſoribus tranquillitati publicæ cauento. Nouis vectigalibus populum Principes ne emungunto. Eæ conditiones ſacramento firmatæ, quo præter Principes vtrinque viceni quaterni boni omnes ſanguinis ex or-

MCCCXIV. FOEDVS INTER BOIOS & AVSTRIOS. *Ex Tabulario Electorali.*

Digitized by Google

ex ordine equeſtri adacti ſunt. Limitum præfectis ſeparatim leges datæ, ſecundum quas controuerſiæ in confinibus agris natæ componerentur. Fœdus hoc victis quàm victori vtilius parum probabat Volcmarus Fürſtenfeldenſis Abbas huius æui Hiſtoricus, quaſi Ludouici candori eo eſſet impoſitum; vulgò certè eædem, quæ olim in Annibalem, voces audiebantur, Ludouice vincere ſcis, victoria vti neſcis. Imperitum alij aucupem, alij piſcatorem appellabant, quòd compulſos in naſſam piſces deſquamare, aues vellere neglexiſſet. Sed magnus Ludouici animus & plebeiarum opinionum contemptor Principem agere quàm Mercatorem maluit, ipſe quoque pecuniam præ gloria habiturus, ſi Parmenionum omnia lucra captantium, quàm Alexandri ſimilior fuiſſet. Gloria certè, captiuis liberaliter dimiſſis, ei ingens parta, totidem præcones nacto humanitatis ſuæ, quot homines manumiſerat. atque haud dubiè quæ hoc bello Fortitudinis documenta, & poſt victoriam Clementiæ edidit, in eam mortales opinionem duxere,

cum,

eum, qui duas maximas Regum virtutes in minore fortuna animo eſſet complexus, in ſpem regni adoleſcere. Neque potuit communis Germaniæ vox non vicem oraculi obtinere. Hic ipſe annus Ludouicum Cæſarem videbit. Ad quod nomen nos quidem aſſurgimus cōtenti POMVM AVREVM Septemuiratus inſigne Rhombis BOICIS inſeruiſſe. Auguſtalem AQVILAM LVDOVICO liberior Calamus aſſeret minúſque inuidiæ obnoxius. ea nobis vacationem dedit ardui laboris, manúmque ſua ſponte non ceſſantem à Tabula ſubmouit.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

AVſtria ex Marchionatu in Ducatum euecta. 388. ex Ducatu in Archiducatum. 745. Boiis defertur. 768. Auſtriacæ gentis, quæ hodie imperat, incrementa à Rudolpho I. 860. ſeq.

Arnoldi Reicherſpergenſis B. Mors 468.

Abbatis Anonymi B. Mors 774.

Alberti M. Epiſcopi Ratisbon: laudes & decora 797.

Alberti Bohemi Legati Pontif. acta in Boica 704.

Alberti Pogij memorabilis Mors l. xiv. n. 3.

Aſſaſſini 682.

Andecenſis Arx exciſa 628.

Annus Generalis Deuotionis 810. Annus Primus Iubilæus 990.

Adolfus Cæſar ab æmulo cæſus 982.

Alb. Cæſar occiſus 1013.

Alberti Monachi Altaiahenſis Vita & Mors S. 1033. ſeq.

B.

S. Benno Miſnenſis Epiſ. captus 50. liberatus 63. Beata morte defungitur 220.

S. Bernardus Abb. Clarauall. claſſicum Belli ſacri ſed infelicis canit 356. ſeq.

B. Bertholdus Franciſcanus Othonem principem fruſtra admonet 773. Eiusdem Beata Mors & prodigia 840.

Boiariæ incommoda ex diuiſione Prouinciæ 782.

Burcardi Halberſtatt. Epiſcopi vita ope Dynaſtæ Boii mirabiliter ſeruata 60.

Berengarius Sulzbacenſis duarum Imperatricum pater 347.

Bella omnibus libris ſparſa Breuiariis ſingulorum indicantur. hic quædam nominantur. Saxonicum libro xi. fusè deſcribitur. Vngaricum 40. 223. 349. &c:

Bellum ſacrum ſub Henr. IV. 167. Auctore S. Bernardo 356. ſub Frid. Barbaroſſa 543. ſub Henrico VI. 584. ſub Ludo-

Digitized by Google

eo Boio 647. *Eodem pertinent Expeditio VVelfonis in Terram S. 178. Henr. Leonis iter in Palæſt. 484. Puerorum Germaniæ in Palæſt. 632. B. Polonicum 224. & alibi. Italicum 324. 394. 414. Ciuile 255. 306. & alibi plura. Tubinganum 439. Auſtriacum 699. 949. Ruſticanum 756. Bohemicum 793. 815. 995. Tirolenſe 956.*

C.

Conradus F. Henrici IV. in patrem inſurgit 160.

Conradi Salisburgenſis Epiſcopi res præclaræ l. XII. *paſſim.*

Conradi VVittelſpachij itidem Salisb. Epiſcopi inſignia facta l. XIII. *paſſim. vide Breviar.*

Conradus Nantuinus innocens rogo addictus claret miraculis 987.

Conradini Tragœdia 820.

Carolus M. Canonizatur 464.

Crux à Barbaris capta 538.

In crucem impietas vindicata 610. 611.

Crux Forſtenriedenſis 613.

Crucis ſpeculum 686.

Corporis Chriſti F. inſtituitur 814.

Chymenſis Epiſcopatus inſtituitur 640.

D.

DVCVM BOIARIÆ

Initia Principatus deſignantur. WELFO I. *Initio l.* XI. WELFO II. 191. HENRICVS IX. 264. HENR. X. 280. LEOPOLDVS AVSTR. 334. HENR. XI. 341. HENR. LEO XII. 390. OTHO M. WITTELSPACHIVS 511. LVDOVICVS IV. 524. OTHO IV. 685. LVD. V. & HENR. XIII. 779. OTHO INF. BOIAR. D. 918. RVDOLPH. & LVDOV. VI. FFr. 948.

Damiatæ expugnatio 642. Amiſſio 652.

Deipara auxiliatrix 487. Alb. M. docile ingenium largitur 798. Conradinus capite plexus eam inuocat 834. Eius Imago vulnerata cruore fluit 837.

E.

S. Eliſabethæ admirandæ virtutes 686. Canonizatio 698.

Eginonis Calumniatoris miſer exitus 22.

Eberhardi Hiltpoltſtainij Initia Epiſcopatus, Mors 275. 420. 443. & alibi,

B. Edi-

Digitized by Google

B. Edignæ res compendio 227.
S. Erminoldi Martyriū 166.
B. Englmari cruēta Mors 169.
B. Eberhardi Opilionis Memoria 344.
Equites ab Henr. VII. creati. 1032.

EPISCOPI SALISBVRGENSES.

Gebhardus 21. *Bertholdus* 102. *S. Thyemo* 150. *Conradus* 221. *Eberhardus* 365. *Conradus* 461. *Adelbertus* 481. *Henricus ſuppoſititius* 493. *Conradus VVittelſp.* 506. *Eberhardus* 607. *Burcardus* 747. *Philippus* 747. *Vdalricus* 803. *VVladiſlaus* 815. *Fridericus* 839. *Rudolphus* 895. *Conradus* 915. *VVichardus* 1033.

EPISCOPI FRISING.

Ellenhardus 21. 84. *Meginvvardus* 86. *Henricus* 172. *Otho* 329. *Albertus* 401. *Otto* 528. *Geroldus* 647. 681. *Conradus* 797. *Conradus* 797. *Fridericus* 886. *Emicho* 888. *Gottfridus* 1033.

EPISCOPI RATISBON.

Otho 57. 142. *Gebhardus* 149. *Gebhardus & Vlricus* 204. *Hartvvicus* 279. *Cuno* 280. *Henricus* 302. *Hartvvicus* 418. *Eberhardus* 476. *Cuno* 491. *Godefridus* 528. *Conradus* 528. *Conradus* 611. *Nicolaus* 1033.

EPISCOPI PASSAVIENSES.

Altmannus 57. *Hermannus* 102. *Thimo* 102. *Vdalricus* 159. *Gebhardus* 204. *Vlricus* 204. *Regimarus* 272. *Reginbertus* 342. *Conradus* 369. *Rudbertus* 463. *Albanus* 483. *Henricus* 483. *Dietboldus* 491. *VVolfkerus* 574. *Poppo* 611. *Mangoldus* 620. *Vlricus* 640. *Gebhardus* 655. *Rudigerus* 693. *Bertholdus* 756. *Otho* 814. *Petrus* 816. *VVichardus* 886. *Godefridus* 894. *Bernhardus* 898.

BRIXINENSES ALIQVOT.

Albuinus 21. *Poppo & Altvvinus* 99. *Anto* 172. *Reginbertus* 243. *Hartmannus* 343. *Henricus* 491. *Richerus* 492. *Henricus* 525. *Eberhardus* 607. *Bruno* 817. *Henricus* 953.
Epiſcopatus Gurcenſis Initia 21. *Chymenſis* 640. *Seccouienſis* 645. *Lauantini* 655.

Exempla Illuſtria.

Vltionis diuinæ 19. 22. 59. 80. 103. 772. 1036. *Fortitudinis* 55. 367. 546. *ſeq.* 551. 561. 571. 1012. *Pietatis caſtrenſis* 132. *Miſeræ*

Digitized by Google

mortis 136. 589. 341. 738. 1033. *Conuerſionis ad Deum* 139. 1034. *Religioſæ Reformationis* 157. 270. *Beatæ mortis* 160. 468. 778. *Libidinis caſtigatæ* 255. *Impudentiæ* 61. 90. *Græcæ Fidei* 181. 361. *Amicitiæ* 285. 821. *Muliebris audaciæ* 290. *ſeq.* 360. *Perfidiæ* 198. 563. 623. *Fidei ſeruilis* 303. 495. 762. *Sacri peculatus & periurij vindicati* 319. *Pietatis* 327. *Fidei coniugalis* 338. *Pij voti* 343. 1034. *Virtutis muliebris* 347. 349. *Famis* 350. 563. *Crudelitatis* 538. 832. 896. 960. 986. *Liberalitatis* 356. 685. 1019. 1053. *Miſerabilis Tempeſtatis* 362. *Stratagem. & Fort. Mil.* 384. 830. 875. 884. *Iuſtitiæ rigidæ* 387. 961. *Audaciæ* 398. 402. 486. 551. 591. 736. 402. 929. 321. 1018. *Diſciplinæ militaris* 404. *Duelli* 406. *Modeſtiæ* 596. 603. 997. *Mortis memorabilis* 409. 646. 916. *Sanctitatis* 443. *ſeq.* 997. 686. 740. *Impietatis vindicatæ* 517. 610. *Caſus periculoſi ex ruina* 525. 526. *Diuinæ prouidentiæ erga Innocentem* 530. *Sitis* 563. *Caſtitatis* 574. 941. *Variæ & alternantis fortunæ* 585. 606. 831. 1007. *ſeq.* 1017. *Fraterni amoris* 587. *Fraternæ diſcordiæ* 600. *Egregij Principis* 592. 917. 1051. 1019. *Iræ inconſultæ* 787. *Prudentiæ muliebris* 617. *Cædis Cæſareæ* 621. 982. 1013. *Seueritatis in reos* 623. 387. *Puerilis audaciæ* 632. *Fallaciæ* 635. *Infelicis ſucceſſus* 650. *Beneuolentiæ in egenos* 687. 1035. 1036. *Patientiæ* 688. *Zelotypiæ* 787. *Generalis Deuotionis* 810. *Sacræ Eloquentiæ* 841. *Iudicij diuini rigidi* 841. 844. *Occulti facinoris patefacti* 847. 987. *Pietatis remuneratæ regno* 861. *Faſtus caſtigati* 877. 962. *Aſtutiæ* 917. *Præparationis ad Mortem* 953. *Innocentiæ calumnia appetitæ* 987.

B. Eliſabethæ Thuringæ Virtutes compendio traditæ 686. *Canonizatio* 698.

F.

Friderici Ahenobarbi Res. vide *Breuiar. l.* 12. & 13.

Feudorum recognitio 378.

SS. Franciſci & Dominici mors 636.

Ger-

Digitized by Google

G.

Gerhohi Richerſpergenſis memoria 321.

S. Georgius Chriſtianis præliantibus adeſt 560.

Gregorij VII. pontif. res. vide Breu. l. XI.

S. Gotthardi Canonizatio 314 *ſeq.*

Gertrudis Reginæ Cædes & defenſio 636.

H.

S. Henricus Imp. Canonizatur 374. 464.

B. Hildegundis innocentia miro modo defenſa 530.

S. Hedvvigis res memorabiles 740.

Henrici Ratisb. Epiſcopi Beata Mors & ad illam præparatio 953.

B. Herlucæ vita 254.

Henrici IX. Dux Boiar. & eius F. Conradus Monaſticen amplexi 172.

B. Hartmanni res 343. 445.

I.

Indulgentiarum vis miraculo declarata 846.

Iura vetera Principum in Vrbe Ratisb. 965.

Imperium HENR. IV. & *Anticæſarum toto l.* XI. HENRICI V. *l.* XII. *n.* 1. 2. 3. LOTHARII *l.* XII *n.* 4 5. CONRADI *l.* XII *n.* 6. 7. FRID. AHENOBARBI *l.* XII. *n.* 7. *l.* XIII *vſque ad n.* 5. HENRICI VI. *l.* XIII. *n.* 6 7. PHILIPPI & OTHONIS *Anticæſarum l.* XIII. *n.* 7. 8. FRIDERICI II. *l.* XIII *n.* 9. *l.* XIV. *n.* 1. 4. *Anticæſares n.* 4. CONRADI *l.* XIV. *n.* 4. 5 6. RICHARDI & ALPHONSI *Anticæſarum l.* XIV *n.* 6. RVDOLPHI HABSPVRGICI *l.* XV *n.* 1. ADOLPHI *l.* XV *n.* 3. 4 5. ALBERTI *l.* XV. *n.* 5 6. 7. HENRICI VII. *l.* XV. *n.* 7. 8.

L.

Leopoldi Merſburgij memorabilis mors 19.

Landshutum conditur 614. *Vrbis eius inſignia vnde?* 1049.

Lud. IV. Iter aſiaticum 649. *Coniugium memorabile* 615. *Cædes per Aſſaſſinum* 682.

Ludouici Seueri Zelotypia & cædes ſecutæ 786 *ſeq.*

M.

Mechtildis Dieſſenſis res memorabiles 421.

Mediolani excidium 429.

Digitized by Google

Monachium extruitur 501.
Mariæ Brabantinæ miſera cædes 785.

Monaſteriorum origines & memoriæ.

Banthenſis 21. *S. Nicolai Paſſ:* 65. *Rothenſis* 116. *Reicherſpergenſis* 125. *Atilenſis* 136. *Haibacenſis Collegij* 137. *Hohenvvarttenſis* 138. *Varnbachenſis* 155. *Raittenbuechenſis* 155. *Caſtellani* 173. *Baumburgenſis & Berchteſgadenſis* 174. *Diethramscellenſis* 221. *Brunnfenningenſis* 226. *Mallerſtorffenſis* 226. *Montis S.Georgij* 242. *Matronæ Montis* 243. *Bernriedenſis* 253. *Chimenſis Virorum* 271. *Beurbergenſis* 258. *Viſchpachavvenſis* 260. *Transfertur Eiſenhofium* 261. *& demum Schyram* 261. *Reichenbachenſis & VValdſaſſenſis* 286. *Aſpacenſis* 288. *Enſtorffenſis* 312. *Vndenſtorffenſis* 312. *Subenenſis* 312. *Beyharttingani* 312. *VVeyherenſis* 312. *Schamhauptenſis* 313. *Paringenſis* 313. *S.Zenonis* 313. *Rorenſis* 313. 888. *VVindbergenſis* 313. *Oſterhofenſis, Allerſpachenſis & VValderbachenſis* 313. *Cæſarienſis* 313. *Nouæcellæ* 344. *Schefflarienſis, Schlechdorfenſis & Schlierſeenſis* 344. *Raittenhaſlachenſis* 345. *Staingadenſis* 474. *Haglvverdenſis* 645. *Felicis Vallis* 685. *Schönenfeldenſis* 737. *Hohenaugienſis* 752. *Altmylomynſteriani* 888. *Franciſcanorum & Dominicanorum* 944. *Angerani* 944. *D. Auguſtini Eremitarum Monacenſis* 944. *Ratisbonenſ.* 945. *Seemanshuſani & ſpecioſæ vallis item Viepachenſis* 946. *Gotzellenſis* 947. *Fürſtencellenſis* 947. *S.Saluatoris* 947. *Gainckhouenſis* 947. *Pluementhalij* 947. *S.Egidij Ratisb.* 947.

Miraculum SS.Euchariſtiæ Bettbrunnenſe 279. *S.Saluatoris Ratisbonæ* 945.946.

N.

B. Notburgis admirandæ Virtutes 1035. *ſeq.*

O.

Ordinis Carthuſiani Initia 125.

Othonis Friſingenſis Epiſcopi encomium 329.400.

Othonis VVittelſpachij cogn. Sapientis res 306.312.

Othonis VVittelſpachij Magni

Digitized by Google

gni facinora 379. 383. 397. 405. 511. 523.
Othonis IV. Acta l. 14. *Mors memorabilis* 770.
Otho BOIARIÆ *Dux ad Coronam Vngariæ vocatus eiusque varia Fortuna* 1000. *ſeq.* 1010.
Otho VVittelſpachius Philippum Cæſarem interficit 621. 628.

Orationes.

Othonis Göttingenſis Ducis Exauthorati pro Libertate tuenda 27.
Gebhardi Salisburgenſis de Iniuriis Henr. IV. Cæſ. 108.
VVelfonis pro Pontifice 238.
Iudithæ BOIÆ *ad ſeditionem Spiræ compeſcendam, & animandos milites* 292.
Friderici Sueui ad caſtigandam Henrici Superbi perfidiam 298.
Cunonis Epiſcopi morientis ad amicos 301.
Othonis VVittelſpachij Cogn. Sapientis Pacificatoria 307.
Conradi VVittelſpachij Epiſcopi ad Frid. Cæſarem pro tollendo ſchiſmate 457.
Eiusdem de Iure Pontificum 535.
Emerici Regis ad Vngaros tumultuantes 603.
Beatricis Philippi Cæſ. Filiæ pro vindicãda Patris nece 625.
Regis Daniæ ad Filium de non acceptando Imperio 719.
Conradini Militaris 824.
Ludouici Seueri pro Pace ad Principes 935.
Conſiliariorum Othonis D. Boiar. de acceptanda & repudiãda Corona Vngariæ 1002.
Lud. VI. D. BOIAR. *militaris* 1041.

P.

Palatinatus Rhenanus BOIARIÆ *additus* 659. *Palatinorum Comitum origo* 669. *ſeq.*
Prodigia 58. 75. 135. 159. 179. 246. 276. 419. 676. 726. 789. 804. 836. 840.
Philippus Imperator occiditur 621.
Pacificationes Principum 900.

Pugnæ.

Vnſtrutana 45. *Mellerſtadiana* 86. *Fladiſhemiana* 94. *Elſtrana* 104. *Bleichfeldenſis* 133. *Romana* 236. *Vngarica* 353. *Romanæ* 382. 1031. *Langobardica* 426. *Tuſculana* 473. *Cum Soldano* 562. *Ad Iconium*

nium cum eodem 566. 568.
Pugna vnius cum quinquagin-ta 571. Cum Saracenis 590.
Conradi Cæſaris F. 748. Inter Vngaros & Bohemos 807. Conradini 830. Rudolphi cum Ottocaro R. 882. Ottonis Boii cum Alb. Haigerlohio 976. Alberti Auſtrij cum Adolfo Cæſare 980.
Ludouici VI. D. Boiar. dicta vulgò Gamelſtorfenſis 1047.
Priuilegia Prouinciæ Inferiori ab Othone Duce Rege Vngariæ conceſſa 1026.

R.

Ratisbona fit Vrbs Imperialis 523.
Rudolphi Rheinfeldenſi res l. xi. ſparſim.
Regalia & Inueſtituræ cauſa bellorum 230.
Richardi R. Angliæ memorabilis captiuitas 579. ſeq.
Rudolphum Habſpurgicum Pietas ad Imperium euehit 922.

S.

Salomonis Vngariæ R. mors memorabilis 139.
Saliſburgenſes Canonici Regulam S. Auguſtini amplectuntur 269.
Stillæ Virginis res geſtæ 288.
Scotorum Coloniæ & Virtutes 148. 345.
Schyrenſis Arx in Cœnobium conuerſa 262.
Sancti in Boica eod. tempore miraculis celebres. 519.
Saladinus Hieroſolymam capit 538. Bellum illi denunciatur 542.
Straubinga & Landauum conduntur 645.
Schiſmata Pontificia l. xi. n. 4. l. xii. n. 2. n. 9. l. xiii. n. 1.

T.

Theobaldi Vohburgij caſus memorabiles 285.
S. Thymonis res geſtæ 150. Iter in Palæſtinam 179. Martyrium 187.
Tirolis à Boiaria auellitur 521.
Tartarorum irruptio in Germaniam 735.

V.

Vdalrici Monachi Cluniacenſis Boii Viri S. res 148.
S. Virgilij Miracula 516. Canonizatio 694.

VVel-

W.

VVelſonum origines, ſtemma, opes 13.

Eorum geſta vide in Breviariis priorum librorum.

VVittelſpachia arx exciſa 628.

VVilhelmi Caeſ. mors & ſepultura memorabilis 785.

VViltrudis Hohenvvartenſis pietas 138.

VVilhelmi Windbergenſis Anachoretæ vaticinationes 49.

VVilhelmi Hirſaugienſis Viri S. res geſtæ 143.

EMENDANDA.

Fol. 6. v. 5. à fine. impetrauerat. lege imperauerat. f. 73. v. 11. inſimulatione l. in ſimulatione. f. 103. v. 11. captam. l. carptam. f. 171. v. 10. fitt, res. l. fit; tres. f. 163. v. 20. exigiſſent. l. exegiſſent. f. 437. v. 1. Zaringenſi l. Zaringenſis. f. 504. v. 25. conditionis. l. conditiones. f. 530. v. 14. ſacrinæ. l. ſarcinæ. f. 528. v. 17. Eſcopis. l. Epiſcopis. f. 556. v. 5. miltem. l. militem. f. 603. v. 24. corrputi. l. corrupti. f. 614. v. 13. deſita. l. deſita. f. 623. marg. iniquis l. iniquus. f. 869. v. 24. ills l. illis. f. 881. v. 12. validiſſimiis l. validiſſimis. f. 927. v. 21. ex. l. &c. f. 930. v. 23. irer l. iter. f. 988. v. 4. incogita l. incognita. &c.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google